

Erkki Palmén

DE ADVERBIIS PRONOMINALIBUS
LOCALIBUS LATINIS

studia semantica et syntactica



UNIVERSITY OF JYVÄSKYLÄ

JYVÄSKYLÄ 1998

Editor
Kaarina Nieminen
Publishing Unit, University Library of Jyväskylä

URN:ISBN:978-951-39-9800-4

ISBN 978-951-39-9800-4

Jyväskylän yliopisto, 2023

ISBN 951-39-0321-4

Copyright © 1998, by University of Jyväskylä

Jyväskylä University Printing House, Jyväskylä

Erkki Palmén

DE ADVERBIIS PRONOMINALIBUS
LOCALIBUS LATINIS

studia semantica et syntactica

Dissertatio academica doctoralis, quae venia amplissimae Rerum Humanarum
in Universitate Jyväskyläensi Facultatis die 28^o mensis Novembris anno
1998^o hora 12^a in auditorio S 212 publice recensenda proponetur.

Esitetään Jyväskylän yliopiston humanistisen tiedekunnan suostumuksella
julkisesti tarkastettavaksi yliopiston vanhassa juhlasalissa (S212)
marraskuun 28. päivänä 1998 klo 12.

Academic dissertation to be publicly discussed, by permission of
the Faculty of Humanities of the University of Jyväskylä,
in Auditorium S212, on November 28, 1998 at 12 o'clock noon.



UNIVERSITY OF JYVÄSKYLÄ

JYVÄSKYLÄ 1998

1. P R A E F A T I O

Ad argumentum huius investigationis primum inductus sum anno 1955^o, quo mihi gradum candidati philosophiae affectanti id commendavit praeceptor meus academicus Edwin Linkomies, professor litterarum Romanarum Universitatis Helsinkiensis. Qui cum illo tempore in textu Petroniano recensendo occupatus esset, e locis Cenae Trimalchionis, quos ab omnibus editoribus minus feliciter emendatos esse censebat, unum praecipue commemoravit: lectionem codicis Traguriensis 38,8 **ego nemini invideo, si quo deus dedit** negavit corruptam haberi posse. Nihil impedire, quin adverbium **quo** hic genuinum iudicaretur; Petronium, qui convivae Trimalchionis vulgari sermone colloquentes induceret, videlicet adverbium locale pro casu dativo pronominis (cui) adhibuisse, ut iam Plautus quibusdam locis comoediarum suarum egisset, e.g. Stich.142 **nam, quo dedisti nuptum, abire nolumus** (pro **nam, quibus dedisti nuptum, ab iis abire nolumus**).

Illo de loco Petroniano locutus Linkomies addidit nondum quemquam, quod sciret, fusius investigavisse, quantum et quibus rationibus singuli scriptores singulis aevis litterarum Romanarum adverbium localia pronominalia pro casibus pronominum usurpavissent, ac mihi persuasit, ut hanc rem investigandam susciperem. Triennio post de iis, quae compereram, in commentatione **Die lateinischen pronominalen Ortsadverbien in Kasusbedeutung** inscripta¹ disserui.

Insequentibus annis multi mihi collegae et amici suadebant, ut idem argumentum investigare pergerem, quippe quod idoneam materiam dissertationis doctoralis praeberet. Iis morem gerere cum lectoratus academici muneribus aliisque occupationibus gravatus plus triginta annos recusavisses, nunc tandem senectute urgente

velut iuventutis renovandae causa adverbia localia Latina denuo tractare aggressus sum, non modo quod labente aetate haud paucis novis occurri exemplis, quae quondam me adolescentem fugerant, sed etiam quia in iis ipsis, quae tum in Arcto scripseram, complura repperi, quae aut corrigi aut fusius explanari oportere existimo.

Opere procedente materia a me collecta valde aucta est. Itaque postquam capitula 1 - 5 huius investigationis Kalendis Augustis anno 1995^o ad gradum licentiati philosophiae obtinendum publicae censurae subieci, censorum meorum, professorum Birger Bergh et Tuomo Pekkanen, consilium secutus non modo capitula dicta paululum retractavi, verum etiam toti investigationi laxiorem simulque breviorum titulum imposui.²

Si quis forte miratus erit, qua de causa investigationem, quam lingua Theodisca olim incohaberam, nunc Latine scripserim, illi respondebo mea sententia operam navari oportere, ut vivus usus linguae Latinae, qui medio fere saeculo nostro in philologia classica haud iure deseri ac vitari coeptus est, rursus efflorescat. Ubique in Europa Latinitas prima fuit lingua communicationis academicae; in Finnia quoque inde ab Academia Aboensi anno 1640^o condita quattuor milia septingentae undequinquaginta (4749) dissertationes Latinae editae sunt (perpaucae quidem nostro saeculo). Mea igitur investigatio est dissertatio quater millesima septingentesima quinquagesima (4750^a) in Finnia Latine conscripta.

Ad finem summarium et Latine et Finnice conscriptum adiunxi (p. 242-249 et 250-257). Indices autem alphabetici huius generis investigationi necessarii praesenti versionis operis mei usque desunt, quippe quae nondum ultima, sed paenultima versio eius sit. Tum demum, cum septimum quoque capitulum absolvero, quo adverbia localia ad homines relata fusius et systematice examinabo, moderniore ordinato usus ultimam versionem eius indicibus instructam, quae typis imprimatur, conscribere adoriar, idque facienti mihi adnotationes criticae a censoribus meis in disputatione doctorali ad praesentia capitula 1 - 6 factae praesto erunt.

Restat, ut iis, qui me in opere adumbrando et conficiendo adiuverunt, gratias agam. Horum nimirum longe princeps est Edwin Linkomies, professor summae et doctrinae et auctoritatis iam anno 1963^o vita defunctus, qui primus mihi hoc argumentum, quod investigaretur, aptum esse ostenderat. Secundum locum occupant censores mei supra laudati professores Birger Bergh et Tuomo Pekkanen, qui mihi non modo consiliis suis adfuerunt, sed etiam assidue suaserunt, ne in opere perficiendo usque ad infinitum cunctarer. E ceteris collegis Latinistis, qui peculiaria quaedam exempla usus adverbiorum pronominalium localium mecum perscrutando auxilium mihi tulerunt, praecipue nominandi sunt Päivö Oksala, qui ultimis annis aetatis suae (1971-1974) professor linguae Latinae Universitatis Jyväskyläensis fuit, profestrix Saara Lilja, docentes Teivas Oksala et Reijo Pitkäranta atque professor Rolf Westman; qui omnes nonnihil ad investigationem meam provehendam contulerunt.

Denique Universitati Jyväskyläensi, quae mihi dissertationem componenti bis - primum anno 1994^o et iterum anno 1997^o, cum iam in pensionem recesseram - oeconomice subvenit, summas ago gratias.

2. DE ADNOTATIONIBUS GRAMMATICORUM ET INVESTIGATORUM

2.1. QUID GRAMMATICI ANTIQUI DE ADVERBIIS PRONOMINALIBUS VI TRANSLATA USURPATIS ADNOTAVERINT

Adverbia pronominalia localia saepe translata significatione a scriptoribus Romanis usurpari ne antiquos quidem grammaticos Latinos praeteriit. Iam quarto p.Chr.n. saeculo Aelius Donatus comoedias Terentii commentans huius rei pluries mentionem facit. Ad Adelph.46-47 **nati filii / duo; i n d e ego hunc maiorem adoptavi mihi** hoc notat: "mire 'inde' subiungit, cum personam praetulerit. Sic alibi (Eun.114-115) **e praedonibus, / u n d e emerat, se audisse abreptam e Sunio.** inde ego hunc: **inde pro ex quibus.**" Eiusdem comoediae versum 867 **duxi uxorem; quam i b i miseriam vidi** ita explicat: "ibi inquit, quasi uxor locus sit." Simili explicatione opus esse existimat etiam in versibus Eunuchi 449-450 **metuit semper, quem ipsa nunc capit /fructum, ne quando iratus tu a l i o conferas:** "et hic locum pro persona posuit, ne diceret **ad aliam.**" Denique prologum Eunuchi attingit; cuius in versibus 10-12 **atque in Thensauro scripsit causam dicere / prius u n d e petitur, aurum qua re sit suam, / quam illic qui petit, unde is sit thensaurus sibi** praecipua adnotatione dignam putat elocutionem **unde petitur,** quae in forensi Latinitate idem fere significat atque (**is**) a quo petitur (sc. **ut alteri satisfaciat vel ad crimina respondeat**), id est **reus vel accusatus** (cf. v.12 **illic qui petit, id est ille qui alterum in ius vocavit**). Peculiaritatem iuridicam in versibus supra commemoratis narratam Donatus ita explicat: "Nam possessorem fecit priorem agere quam petitorem, quod abhorret a consuetudine et iuris et litium"; sed nostra hic pluris interest, quod iis verbis adnotationem syntac-

ticam praemittit: "unde 'a quo', ut Vergilius (Aeneis 1,6) **genus unde Latinum.**"

Hic Aeneidis versus etiam a posterioribus grammaticis, Servio et Prisciano, notatus est; quorum ille de eo varia locutus adnotationem suam verbosam ita concludit:¹ "...Sed veteres **unde** etiam ad personam adplicabant ita ut ad omne genus, ad omnem numerum iungerent, ut hoc loco **genus unde Latinum** masculino generi et numero singulari iunxit, alibi ad genus femininum et numerum pluralem refert, ut (8,71)² **Nymphae, Laurentes Nymphae, genus annibus unde est**, sicut **hinc** particulam sumpsit loco adverbii Terentius, cum vetuste ad personam transtulerit: **Sed eccum Syrum incedere video: hinc iam scibo, quid siet.**"³ Adverbium illo loco pro elocutione praepositionali adhibitum esse bis monet Priscianus: Inst.gramm.17,168 (Keil III, p.193) "Aliae quoque pro aliis partibus vel dictionibus ponuntur, ut...adverbium pro nomine, ut **genus unde Latinum pro ex quo**", atque 18,256 (Keil III, p.338) "Frequentissimae tamen sunt huiusmodi figurae, quibus adverbia nominibus vel participiis vel pronomibus redduntur, et maxime localia. Virgilius: **Arma virumque cano...genus unde Latinum pro ex quo.**"

Utroque loco Priscianus similia de elocutionibus causalibus adnotat. Post verba supra exposita 17,168 e Ciceronis pro Deiotaro oratione hunc profert locum (6,17): **En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset atque cur pro propter quae ait positum esse.** Quid autem "frequentissimis huiusmodi figuris" (18,256) designaverit, e verbis eius praecedentibus patet (18,255): "Idem (sc. Terentius) in Eunucho (144-145) **Nunc ego eam, mi Phaedria,/multae sunt causae, quam ob rem cupio abducere.**" Omittit quidem dicere, quidnam peculiare in verbis Terentianis videat, sed nullum est dubium, quin hoc quoque loco censuerit praepositione cum sola forma plurali pronominis relativi (**ob quas** vel **propter quas**) aequaliter idem exprimi potuisse atque elocutione **quam ob rem.**

2.2. QUID EX ADNOTATIONIBUS GRAMMATICORUM ANTIQUORUM APPAREAT

Iam id ipsum, quod grammatici Romani lingua Latina patrio sermone usi huius generis vim translatam adverbiorum localium totiens adnotaverunt, ostendit in ea, quamvis publici iuris facta esset, tamen aliquid inusitatum et a purissima Latinitate alienum visum esse. Non est dubium, quin in exemplis, quae illi protulerunt, adverbia localia limites proprii vel potius artissimi sui usus aliquatenus excedant, neque negari potest sub iis res abstractas aut personas velut latere; tumque potius casus pronominum aut elocutiones praepositionales adhiberi exspectaveris. Neque tamen omnia in adnotationibus grammaticorum tam perfecta et absoluta sunt, ut in iis nihil addendum et corrigendum reperias. Adverbium **ibi** Terentius in Adelph.867 non necessario ad ipsam uxorem retulit; haud minus apte id pro tota sententia **uxorem duxi** positum esse potest⁴ vel temporalem fere vim (= **tum**) habere; utique eo nova illa designatur vitae condicio, quae Demeae, viro "agresti, saevo, tristi, parco, truculento, tenaci" (cf. v.866) obtigerat. Adverbia **unde** et **hinc** in exemplis supra commemoratis grammatici recte iudicant non proprie localia esse, sed potius ad personas referri, a quibus aliquid emitur aut petitur aut originem trahit; at ex iis quoque unum, ipsum illud Vergilianum **genus unde Latinum** ab omnibus tribus grammaticis peculiariter notatum syntactice nonnihil ambiguum est. A **patre Aenea** quidem genus Latinum originem trahere Vergilius nimirum tradit; at hoc loco **unde** (v.6) haud minus iusto iure referri potest ad **res ab Aenea gestas**, quae praecedentibus versibus enumerantur, quam ad ipsum Aeneam, qui, quamquam in initio carminis ter syntactice velut in scaenam prodit (1,1 **Arma virumque cano**, 1,3 **multum ille et terris iactatus et alto**, 1,5 **multa quoque et bello passus**), tamen ab adverbio **unde** longius distat quam enuntiatum secundarium (1,5-6) **dum conderet urbem / inferretque deos Latio**.⁵ - Partitiva autem significatio, quam **inde** in Adelph.47 habet, non solum praepositionali elocutione (**ex quibus** aut **ex iis**), quam Donatus commendat, sed etiam genetivo (**quorum** aut **eorum**) exprimi potest. Quod denique ad adverbium **alio** (Eun.450) attinet, id hic semantice non prae-

sertim eminet; quamquam enim Donatus haud iniuria notavit id pro ad aliam positum esse, tamen specie solam localem vim habet.

Alia quoque ex adnotationibus grammaticorum colligi possunt. Ante omnia animadvertendum est temporibus serioris antiquitatis, quibus illi vixerunt, usum adverbiorum pronominalium localium Latinorum pro casibus pronominum et elocutionibus praepositionalibus videlicet archaismum existimatum esse. Neque enim quisquam eorum ullum profert exemplum e litteris argenteae aut posterioris aetatis desumptum, Serviusque nominatim "veteres" dicit adverbium **unde** ad personam applicasse ac Terentium quoque **hinc** particulam simili ratione "vetuste" ad personam transtulisse. Altera res mentione digna est, quod exempla a grammaticis notata in operibus diversi generis litterarum occurrunt. Ex iis septem e comoediis Terentianis sunt desumpta, quarum personae inter se colloquentes haud raro quam proxime ad cotidianum sermonem accedunt. Eundem vero usum in epicam quoque poesim penetravisse ostendunt loci Vergiliani. In exemplis Terentianis praesertim excellit formula iuridica **unde petitur**, ad quam infra revertar. Quod denique ad causales elocutiones Ciceronis et Terentii (**cur et quam ob rem**) attinet, eas Priscianum in hoc conexu haud iniuria commemoravisse censeo.

2.3. DE RECENTIORUM GRAMMATICORUM ET INVESTIGATORUM ADNOTATIONIBUS

Quod ad medium aevum attinet, nullum repperi grammaticum, qui tum peculiaritates adverbiorum localium Latinorum notaverit. Si quis forte leviter eas perstrinxit, vix quidquam protulit dignum, quod hic separatim commemoraretur.

E recentioribus quoque saeculis tantum in proximo praeterito sive undevicesimo paulisper moror. Annis 1829-1845 Ferdinandus Handius Lipsiae opus edidit, cui titulus est **Tursellinus seu de particulis Latinis commentarii** et in quo ordinem alphabeticum secutus naturam et usum singularum particularum Latinarum - adverbiorum, praepositionum, conjunctionum, interiectionum - illustravit. In

eo etiam pronominalia adverbialia suum quaeque locum tenent, ac ratio ipsa, qua ea investigantur, apud Handium multo magis systematica est quam apud grammaticos antiquos. Id haud dubie ei merito tribuendum est, quod multa exempla a scriptoribus antiquis petita et nonnulla, quae quidam priores viri docti de iis disputaverant, collegit⁷ ac de adverbiorum in iis adhibitorum variis significationibus translatis lucide disseruit. Dolendum est, quod huius operis tantum volumina I - IV perscripta et edita sunt. Quo fit, ut non nisi illae particulae, quae secundum litteram initialem in iis locum habent (**ab - puta**), sub suis lemmatis tractatae reperiantur; reliquae autem - inter alias adverbialia localia **quo, ubi, unde** - his voluminibus non sunt inclusae.

Ipse postquam aestate anni 1955ⁱ primum materiae investigationis colligendae me dedi, mox animadverti, quam vere professor Linkomies existimasset nostrum quoque saeculum investigatione speciali, in qua adverbialia localia Latina pro casibus nominum aut elocutionibus praepositionalibus adhibita fusius tractarentur, omnino carere. Immo apparuit brevem quidem mentionem eorum in compluribus grammaticis Latinis atque investigationibus et commentationibus ad syntaxin Latinam pertinentibus factam esse, sed harum in numero perpaucas inveniri, in quibus illi rei plus quam dimidia pagina dedicaretur.⁸ Recentissima decennia haud multum novi secum attulerunt; e.g. in opere **On Latin Adverbs** inscripto, quod H. Pinkster anno 1972^o ediderat, praeter expectationem perpaucas inveniri, quibus usus translatus adverbiorum pronominalium localium Latinorum illustraretur.⁹ Ea igitur, quam ego anno 1958^o in Arcto edidi, etiam hodie sola videtur esse commentatio typis impressa, in qua hoc argumentum monographice investigatur.¹⁰

E viris doctis nostri saeculi praecipue dignus, qui hic nominetur, est Einar Löfstedt, qui adverbialia pronominalia localia primum attigit anno 1911^o de peculiaritatibus sermonis vulgaris in Pergrinatione Aetheriae occurrentibus disserens.¹¹ Quia in annotatione eius nonnulla sunt, ad quae ipse saepius revertar, operae pretium esse censeo eam in extenso exscribere:

7,9. **peruenimus ad ciuitatem, quae appellatur Arabia... U n d e** (= de qua) **scriptum est dixisse Pharaonem ad Ioseph...** Über den Gebrauch der pronominalen Adverbia statt eines Kasus eines Pronomens (mit oder ohne Präposition) vgl. Schmalz 629. Obgleich dieser Gebrauch auch bei mehreren Vertretern der Klassizität begegnet, so werden wohl doch die meisten und auffälligsten Beispiele desselben im Alt- und Spätlatein zu finden sein. Für dies letztere vgl. u.a. Dombarts Index zu Commodian s.v. **unde** und Paulys zu Salvian s.v. **hinc**; ferner z.B. Aulul.s.Quer.S.9,21 Peip. **unum solum est, u n d e** (= de quo) **responderi mihi uolo**; **ibid.S.36,15 etiam h i n c** (= de hac re) **queritur**; Scheifler 66 über **inde**, z.B. Anthimus Epist.praef. **i n d e reddo rationem**. Im Romanischen braucht man nur an den wichtigen Gebrauch von frz. 'dont', 'en' und 'y' zu erinnern. Nach Schmalz soll die ganze Konstruktionsart aus der Kanzleisprache hervorgegangen sein, vgl. Manutius zu Cic. ad Fam.VII 11,1. Mir scheint es recht unwahrscheinlich, dass eine so lebenskräftige und durch die ganze Volkssprache verbreitete Ausdrucksweise wirklich nur in dem Kanzleistil ihre Wurzeln haben sollte. Vielmehr gehörte sie wohl von jeher der Volkssprache an, wofür sie sich auch durch ihre Bequemlichkeit trefflich eignete (z.B. **unde = a,de,ex quo,qua,quibus**). Dass sie daneben auch im Kurialstil eine wichtige Rolle spielte, lässt sich schon daraus erklären, dass der zähe Konservatismus dieser Stilgattung überhaupt so viel altes und ursprüngliches Sprachgut bewahrte; auch hier konnte wohl übrigens gelegentlich die Bequemlichkeit in Betracht kommen: so passte ja z.B. die juristische Formel **unde petitur** ebenso gut zu jedem Korrelat. Aus dem Einfluss der Kanzleisprache erklärt sich dann leicht das mehrmalige Vorkommen der Konstruktion bei einem Schriftsteller wie Caesar¹.

¹Jedoch könnte es möglicherweise auch bei ihm eine Konzession an die Alltagssprache sein. Vgl. über derartige Bestandteile seines Stils, deren Bedeutung im allgemeinen unterschätzt wird, die nützliche Dissertation von R.Frese, Beiträge zur Beurteilung der Sprache Caesars, München 1900.

Concludit igitur Löfstedt usum, de quo nunc agitur, initio in lingua populari ortum esse atque aliam de origine eius opinionem, quam Stolz et Schmalz in editione quarta grammaticae suae (1910) p.629 expresserunt - in lingua cancellariensi sive curiali ("in dem Kanzleistil") radices eius esse quaerendas - minus probabilem

refutat. In recentioribus editionibus eiusdem grammaticae ea, quae Löffstedt notavit, accepta sunt.¹² Conclusio Löffstedtiana ea ipsa re confirmari videtur, quod Servius quoque locos Vergilianos a se expositos cum Terentiana elocutione **hinc scibo** comparat.

Etiam ea, quae Löffstedt de elocutione **unde petitur** disserit, accipienda sunt. Eam iuridicam quandam formulam fuisse ex eo apparet, quod apud Ciceronem non modo in Epistulis (Fam.7,11,1), sed in orationibus quoque (Mur.12,26) atque in operibus rhetoricis (De orat.1,37,168) necnon in fragmentis orationum Catonis (Gell. 14,2,6) invenitur. Linguae burocraticae proprium vix quisquam negaverit esse quendam tenacem conservativismum, quo multum veteris et originalis materiae ("viel altes und ursprüngliches Sprachgut") perseveranter colitur. Adverbiorum commoditati ("Bequemlichkeit") usum frequentem talis elocutionis tribuit etiam A.H. Salonius, qui in opere suo 'Vitae patrum' inscripto argumentationem Löffstedtianam ita excipit:¹³

Aber **unde** war noch bequemer: es konnte auch andere Kasusformen ersetzen, die zu jener Zeit mit den Präpositionsaustrücken abwechselten. So steht **unde** für den partitiven Genetiv, Petrus Diaconus, in Itinera Hierosolymitana S.110,25, ed.GEYER, **Intus vero in Ebron domus consistit David, u n d e adhuc aliqua pars stat.** An Stelle des instrumentalen Ablativs, der ja zu jener Zeit durch **de** + Abl. ersetzt zu werden pflegte, wird **unde** öfters gebraucht, z.B. von Commodian, s.Belege in DOMBARTS Index 247, von Lucifer Calar.312,8 ed.HARTEL... **u n d e nunc nos ornatos videmus? u n d e munitos ac tutos esse sentimus? u n d e nos sapientes cognoscimus?**, ferner von Petrus Diaconus, Lib. de locis sanctis 110,10 **ibi sunt et gladii petrini, u n d e circumcisi sunt filii Israel secundo.** Den kausalen Ablatif ersetzt **unde** Commodian 1,26,3 **Perdunt te luxuriae et brevia gaudia mundi, u n d e sub inferno cruciaberis tempore toto;** ebd.28,11 **Grassaris, insanis, detrectas nunc et Dei nomen? U n d e non effugies, poenam post fata qui ponet.** Unde ist = **quo modo** Lucif.Calar.19,14 ed.HARTEL, **u n d e etiam dulces possent esse sermones;** weitere Beispiele im Index 377. Noch andere Beispiele geben z.B. BONNET, Greg.Tur.580; HOPPE, Synt.des Tertullian 111 f.

In unseren Texten wird **unde** öfters im Sinne von **de qua re** gebraucht,

z.B. 5,10,40 **si ex toto corde homo poenituerit, et non apposuerit facere iterum unde poenitentiam agat, etiam triduanam poenitentiam suscipiat Deus.** Unde bezieht sich auf einen Plural 3,180 **Permittit tamen Dominus laborare electos suos, ut remorentur tribulationum labores, unde semet ipsos custodiant.** Zur Verbindung zweier Sätze steht **unde = quare,quamobrem** 3,188 **Unde dicebat senex;** ähnlich in der Parallele 7,33,3, wogegen Pelagius an der entsprechenden Stelle 5,15,27 **Dicebat autem senex** schreibt; 7,30,1 schliesst die Sentenz mit den Worten: **Unde (= quare) nihil est melius quam tacere.**

In gleicher Weise wie **unde** werden gewisse Kasusformen eines Pronomens (mit den Präpositionen) durch **inde** ersetzt, z.B. 6,1,16 **Episcopus autem ex his qui ei haec nuntiaverant commotus est, et suspicatus ne forte et aliae huiusmodi essent, ad deprecandum Deum se convertit, inde certus effici rogans, quod et meruit.**

Haec multiplex varietas exemplorum e litteris senioris antiquitatis desumptorum a locis, quos Donatus et Servius et Priscianus notaverunt, una re differt, quod in nullo eorum adverbium locale pro persona positum est. Hoc illis temporibus saltem in scripta Latinitate minus usitatum quam prioribus saeculis fuisse non modo ex eo concludendum est, quod exempla eius difficillime reperiuntur, sed idem ostendere videtur Servius talem usum nominatim pro archaismo iudicans.¹⁴ In populari et vulgari sermone rem item se habuisse non tam certum est; namque in linguis Romanicis, quarum etiam Löfstedt et Salonius obiter mentionem faciunt,¹⁵ quaedam adverbia pronominalia localia - sive pronomina adverbialia, sicut consuetudine Francogallica pariter appellantur,¹⁶ - vulgo etiam ad homines referri possunt. Hoc praesertim ad **ne** Italicum et ad **en** Francogallicum pertinet, quae ambo ex **inde** Latino evoluta sunt.¹⁷ Velut verba Terentiana supra tractata Adelph.46-47 **Nati filii duo; inde ego hunc maiorem adoptavi mihi** hoc modo reddi possunt Italice: **Sono nati due figli; io ne ho adottato questo maggiore** (pro ...io ho adottato il maggiore di loro) et Francogallice: **Il est né deux fils; moi, j'en ai adopté cet aîné** (pro ...j'ai adopté l'aîné d'eux). Leumann & Hofmann & Szantyr necnon Väänänen hanc rem observantes etiam adverbium Hi-

spanicum et Portugallicum **ende** commemorant,¹⁸ a quo tamen, etsi **inde** Latinum eo quoque etymologice continuatur, similis usus semanticus est prorsus alienus (Hispanice verba Terentiana supra dicta non nisi ita reddiderim: **Nacieron dos niños; yo adopté al mayor de ellos**). Revera **ende** hodie tantummodo in elocutione Hispanica litterarii et archaici coloris **por ende** (cf. Lat. **proinde**) occurrit; ceteroquin et in Hispanica et in Portugallica lingua ex usu decidit.¹⁹

Neque tamen illam elocutionem hoc loco praetereundam esse censeo; nam Latinitas quoque - praesertim infimae antiquitatis - exempla praebet adverbiorum compositorum, in quibus vetus adverbium simplex praepositione completur, tamquam si casus pronominis sit; e.g. **exinde** et **exhinc** eadem fere significatione adhibentur, atque antea adverbia **inde** et **hinc** adhibita erant. Locus praecipua mentione dignus est Gregor. Turon. Hist. Franc. 5, 26 (Krusch-Levison, p. 232, lin. 13-14) **illi dolose per nocte super Saxones Baiocassinos ruens, maximam exinde partem interfecit**, quod **exinde** in eo ad homines refertur (= **Saxonum Baiocassinorum** vel **e Saxonibus Baiocassinis**).²⁰ Eiusdem generis elocutiones Löfstedt et Salonius multas proferunt, e.g. Vitae Patrum 5, 7, 24 **Si non veneris, et deperierit substantia illa, in conspectu dei tu exinde reddes rationem** (cf. exemplum supra commemoratum Anthim. Epist. praef. **in de reddo rationem**), ubi adverbium substitutum est in locum elocutionis praepositionalis **de ea re** vel genetivi **eius rei**.²¹ Pro plurali quoque forma adverbium compositum item adhiberi posse ostendunt exempla Löfstedtiana Corpus Iuris, Novell. Iust. 49, 2 pr.: **et legitimam probationem exinde vellet fieri, ex quibus ipse adversarius illud obtulerat** atque Sermo de Melchisedech c. 1 **intellege itaque exhinc, quae commentati sumus, aliud esse regem loci et aliud significationem habere qualitatis** et c. 5 **exhinc ergo, quae supra diximus, videtis non posse creaturam creatori suo concordare** (**exhinc = ex his**).²² Notionem originalis naturae et significationis adverbiorum localium ambo viri docti iure concludunt paullatim obscuratam, ideoque perspicuitatis causa praepositionem **ex** addi oportuisse, quae antea tantummodo cum ablativo nominis potuisset ad-

hiberi; ita adverbium compositum **exhinc** cum elocutione praepositionali **ex his** adaequatum esse.²³ Similiter adverbium **ibi** composito **inibi** cessisse²⁴ atque aliquanto post etiam **deinde** et **adhuc**, quae antea in alio inveterassent usu, nova significatione adhiberi coepta esse, e.g. Mutiani conversio Homiliae Chrysostomi 6, p. 281 (Migne, Patrol.Gr. 63) **Certum ergo est, quoniam est alia requies. D e i n d e e n i m , q u a e i n P a l a e s t i n a f u i t , n o n p o s s e t d i c i ; h a b e b a n t e n i m i l l a m (d e i n d e = d e e a , s c . r e q u i e)**²⁵, et Vitae Patrum 7,19,3 **Venerunt a d h u c a l i q u i f r a t r e s ? (a d h u c = h u c)**.²⁶

Composita adverbia etiam plura in sermone vulgari et populari existisse ac latius patuisse rursus testimonio sunt linguae Romanicae, in quibus vestigia eorum apparent. Ante omnia **dont** Francogallicum e ***de unde** Latino ortum in hodierno quoque sermone similem habet functionem ac praepositio **de** cum pronomine relativo neque solum ad res, sed etiam ad homines referri potest, e.g. **les fleurs d o n t l a t a b l e é t a i t o r n é e (d o n t = d e s q u e l l e s)** et **l ' h o m m e d o n t j ' a i p a r l é (d o n t = d e q u i v e l d u q u e l)**.²⁷ Etiam **d'où** Francogallicum, quod puram localem habet vim (e.g. **Voici la maison d ' o ù j e s u i s s o r t i ' E c c e d o m u s , u n d e / e q u a e g r e s s u s s u m ')**, e praepositione et adverbio compositum est (**de-où** < **de + ubi**). Quod ad **donde** Italicum et Hispanicum attinet, quo item ***de unde** Latinum continuatur, id syntactice a **dont** Francogallico nonnihil differt. In lingua Italica illud adverbium multo magis litterarii coloris est quam elocutiones praepositionales idem significantes, sed non prorsus extra usum: **La fonte d o n d e l ' h o s a p u t o (d o n d e = d a c u i v e l d a l l a q u a l e v e l d a d o v e)**.²⁸ In Hispanica autem lingua **donde** in novum usum localem transiit; idem enim significat atque **ubi** Latinum (cf. It. **dove** < Lat. ***de ubi**), necnon **de donde** 'unde' et **a donde** (vel **adonde**) 'quo' eiusdem generis composita sunt atque ea, quae supra tractavi.

Denique etiam extra linguas Romanicas similia facillime reperiuntur. Ad hoc demonstrandum satis est e.g. adnotationem Löfstedtiam supra p.9 expositam denuo perlegere, in qua inter alia occurrunt haec verba: **Vielmehr gehörte sie wohl von jeher der**

Volkssprache an, w o f ü r sie sich auch durch ihre Bequemlichkeit trefflich eignete (wofür = für die). Pari ratione in lingua Theodisca usurpantur demonstrativa adverbia, et quidem interdum ad homines relata, e.g. Es waren viele Leute dort, d a r u n - t e r auch Jugendliche²⁹ (darunter = unter diesen vel unter ihnen). Etiam Anglice dici potest: He devised a plan w h e r e b y he might escape (whereby = by which vel by means of which).³⁰ In Suetica autem lingua huius generis elocutiones sunt litterarii coloris; in sermone cotidiano neque Saken v a r o m vi talade nec Saken o m v i l k e n vi talade a quoquam facile dicitur, sed potius Saken (s o m) vi talade o m.³¹

3. Q U O T E N D A T H A E C I N V E S T I G A T I O

3.1. DE MATERIA TRACTANDA

In universum aestimans dixerim me hac investigatione id consequi studuisse, ut legentibus quam maxime viva et perspicua redderetur imago evolutionis semanticae et syntacticae adverbiorum pronominalium localium Latinorum - eius ipsius evolutionis, quae effecit, ut multa eorum in usu suo solitos limites excederent atque apud varios scriptores Romanos diversarum aetatum etiam functiones ipsorum pronominum occuparent. Primum quidem relationem adverbiorum ad casus nominum et ad elocutiones praepositionales generaliter perscrutatus proficiscor ab exemplis, in quibus adverbia, quamquam ad loca referuntur, tamen ita usurpantur, ut pro iis aequaliter vel potius elocutionibus praepositionalibus utaris. Deinde adverbia ad res vel concretas vel abstractas relata examinanda suscipio. Denique - et hoc quidem in futura ultima versione operis mei - in elocutiones ab antiquis grammaticis notatas transibo, in quibus adverbia loco pronominum personae vivas aut alios animantes designantium adhibentur.

Eadem fere, quae supra scripta sunt, iam in adumbratione investigationis meae anno 1958^o editae legi possunt.¹ Revera haud pauca iam tum Theodisce examinata nunc Latine retracto. Neque tamen credo me in hac investigatione nihil nisi veteres cantilenas canere. Ut enim iam in praefatione dixi, annis labentibus aliquantum novorum exemplorum inveni, quae fideliter notis et memoriae mandare conatus sum sperans aliquando mihi occasionem fore ad hoc argumentum redeundi et ea novae investigationi inserendi. Accedit quod in iuventute, qua eram imperitia, nonnulla, quae in quavis re scientificae tractanda necessario observari oportet, nondum satis cognoveram. Nimis obscuris tum limitibus amplitudinem mate-

riae investigandae circumscripseram, quod a) non satis lucide definiiveram neque enumeraveram ea ipsa vocabula Latina, quae adverbialia pronominalia localia existimanda essent sive apta, quae sub hoc titulo investigarentur; b) adverbialia a me tractata parum exacte in singula genera diviseram; c) denique omnino de rationibus sive methodis a me in materia definienda et tractanda adhibitis nullam satis expressis verbis mentionem feceram. Omnia haec par est in sequentibus paginis subtilius perscrutari.

3.2. QUAE SINT ADVERBIA PRONOMINALIA LOCALIA LATINA

Ex iis, quae modo summatim enumeravi, primum locum obtinet conspectus adverbiorum Latinorum, quae, cum stirpem pronominalem habeant eademque locum designent, pronominalia simulque localia definirari possunt.

Pronomina Latina partim morphologicis, partim syntacticis rationibus in sex genera dividi solent: 1) personalia, 2) possessiva, 3) demonstrativa, 4) relativa, 5) interrogativa, 6) indefinita.² Quaedam e demonstrativis pronomibus in certo usu syntactico posita determinativa appellantur.³ Adverbialia autem localia, quae in hac investigatione imprimis semantice et syntactice examinare studui, initio morphologicis tantum rationibus nixus simpliciter in duo divido genera: 1) adverbialia demonstrativa (e quibus nonnulla interdum determinativam vim habent), 2) adverbialia relativa & interrogativa & indefinita, quae maximam partem ex iisdem stirpibus derivata sunt.⁴

3.2.1. ADVERBIA LOCALIA DEMONSTRATIVA

Ex iisdem stirpibus, ac pronomina hic et ille et iste et is et idem, derivantur adverbialia localia infra enumerata:

hic	hinc	huc	hac
illi(c)	illinc,illim	illuc,illo	illa(c)
isti(c)	istinc,istim	istuc,isto(c)	ista(c)

ibi	inde	eo	ea
ibidem	indidem	eodem	eadem

3.2.2. ADVERBIA LOCALIA RELATIVA & INTERROGATIVA & INDEFINITA

Stirps **qu-** fundamentum morphologicum est pronominum relativorum eademque interrogativorum atque indefinitorum et nonnullorum quae vocantur pronominalium.⁵ In quibusdam pronominibus et pronominalibus indefinitis stirps **ali-**, in certis pronominalibus stirps negativa **ne-** pro morphemate initiali fungitur; in aliis finalia occurrunt morphemata **-que, -cumque, -dam, -quam, -piam, -libet, -vis.**

Ex omnibus pronominibus relativis et interrogativis et indefinitis ac pronominalibus hic ea tantum commemoro, quibus adverbialia localia plus minus ex iisdem morphematis constantia opponi possunt: a) pronomina relativa **qui, quicumque**, b) pronomen interrogativum **quis**, c) pronomina indefinita **quis, aliquis, quispiam, quisque, quilibet, quivis**, d) pronominale interrogativum **uter**, e) pronominalia indefinita **alius, uterque, neuter**. Mentione digna sunt etiam pronominalia **ullus** et **nullus**, quibus adverbialia **usquam** et **nusquam**, etsi etymologice cum iis minus cohaerent,⁶ tamen semanticè respondent.

Adverbialia autem, quorum alia sunt usitatissima, alia minus frequenter adhibentur, hic sine pari divisione semantica⁷ enumero:

ubi	unde	quo	qua
ubicumque	undecumque	quocumque	quacumque
alicubi	alicunde	aliquo	aliqua
usquam	—	quoquam	quaquam
nusquam	—	—	—
ubique	undique	—	(usque)quaque
ubivis	—	quovis	—
—	—	quorsum	—
alibi	aliunde	alio	alia
utrubi	—	utro	—

utrubique ⁸	utrimque	utroque	utraque
neutrubi	—	neutro	—

3.2.3. DE RARIORIBUS ADVERBIIS LOCALIBUS

Non ad unum omnia adverbialia pronominalia localia supra sunt enumerata; quaedam rariora omisi velut "deverticula eloquendi" (cf. Quint.Inst.or.10,1,29). In iis paene nihil inveni, quo argumentum meum illustraretur; quae ideo tantum commemoro, quod ea quoque cum ceteris investiganda suscepi.

1. Ut pronomen **quis** duplicando fit **quisquis**, sic etiam adverbialia **ubi** et **unde** et **quo** et **qua** duplicari possunt (> **ubi ubi**, **unde unde**, **quoquo**, **quaqua**).

2. Perraro in litteris Romanis occurrit adverbium ad quaestionem **ubi?** respondens **aliubi** (pro **alibi**). Non multo usitatius est **uspium** (pro **alicubi**), iuxta quod nulla sunt adverbialia ad quaestiones **unde?** et **qua?** respondentia; **quopiam** autem (pro **aliquo**) est extremae raritatis, itemque **utrinde** (pro **utrimque**). Admodum rara sunt etiam **utrubi** et **neutrubi**, quae in conspectu supra posito ideo tantum commemorata sunt, quod adverbialia ad quaestionem **quo?** respondentia **utro** et **neutro** saepius usurpantur.

3. Completam seriem adverbiorum faciunt **ubilibet** et **undelibet** et **quolibet** et **qualibet**, sed ex his tantum duo ultima sunt ceteris paulo usitatiora.

4. Praeter **quorsum** (sive **quorsus**), quod interrogativa tantum vi usurpatur, in adverbialibus ad quaestionem **quo?** respondentibus quaedam rariora sunt adverbialia e stirpibus pronominalibus et morphemate **-versus** vel **-versum** (archaice: **-vorsus**, **-vorsum**) constantia: **horsum**, **illorsus**, **istorsus**, **quoquoversus**, **aliorsum** (sive **aliorsum**), **altrorsus** (sive **alterorsus** sive **altrovorsum**), **utroqueversum**.

3.3. DE ADVERBIIS LOCALIBUS IN SINGULA GENERA DIVIDENDIS

Ex adverbiiis localibus supra enumeratis consulto quattuor columnas verticales aedificavi, quo magis perspicue eluceret ea non modo in demonstrativa atque relativa & interrogativa & indefinita, verum alia quoque ratione in singula genera dividi posse: adverbia primae columnae ad quaestionem **ubi?**, secundae ad quaestionem **unde?**, tertiae ad quaestionem **quo?**, quartae ad quaestionem **qua (via)?** respondent. In commentatione anno 1958^o edita, quam scribens nondum animadverteram etiam quartae columnae adverbia localem quandam vim habere, materiam a me tractatam in tria tantum genera (Wo-Adverbien, Woher-Adverbien, Wohin-Adverbien) divisi atque hanc quoque divisionem parum subtiliter adumbravi; unumquodque enim horum generum porro in genera specialia dividi potest, quibus par est proprias appellationes Latinas attribuire.

Id, quod Löfstedt primus expressis verbis dixit, adverbium **unde** commodioris usus fuisse quam elocutiones praepositionales **a/de/ex quo/qua/quibus**, quas adhibentem non solum genus et numerum correlati, sed ipsam praepositionem quoque recte eligendam observare oporteret,⁹ in aliis quoque adverbiiis valet. Similiter enim concludi potest adverbium **ubi** commodioris usus fuisse quam **in quo/qua/quibus** et **apud quem/quam/quod/quos/quas/quae** atque **quo** commodioris usus quam **in/ad quem/quam/quod/quos/quas/quae** et **cui/quibus** atque ea de causa praesertim in sermone praevaluisse. Desiderium autem commoditatis, praecipue sermonis cotidiani proprium, elocutiones parum perspicuas efficere potest, quae, etsi plerumque 'sat sapienti' sunt, tamen interdum, cum e.g. lis in iudicio tractanda verba solito exactiora postulat, ne quid forte perperam accipiatur, oratorem vel causidicum cogunt "res involutas definiendo explicare" et "verba ambigua distinguere", ut Cicero sibi pro A.Caecina orationem habenti accidisse tradit (Orator 29, 102).¹⁰

In hac investigatione ambiguitatis tollendae causa quosdam praecipuos terminos afferro. Ad hos inveniendos adductus sum systemate grammaticali linguae Finnicae, quae casus locales habet tres in-

ternos (**inessivum, elativum, illativum**) et tres externos (**adessivum, ablativum, allativum**) atque insuper reliquias veteris casus **prolativi**.

Adverbia quoque diversitate localis functionis suae pariter fere in singula genera dividi possunt:

1. Adverbia ad quaestionem **ubi?** respondentia aut **inessiva** aut **adessiva** appello; iis enim indicatur e.g., **in qua domo** aliquis sit aut **apud quam domum** stet.

2. Adverbia ad quaestionem **unde** respondentia aut **elativa** aut **ablativa** appello; iis enim indicatur e.g., **e qua domo** aliquis exeat aut **a qua domo** proficiscatur.

3. Adverbia ad quaestionem **quo** respondentia aut **illativa** aut **allativa** appello; iis enim indicatur e.g., **in quam domum** aliquis intret aut **ad quam domum** adveniat.

Ex his exemplis etiam, qua ratione **interna localitas** et **externa localitas** inter se differant, clare apparet; namque **inessivis** et **elativis** et **illativis** adverbis exprimitur **interna localitas** (id est **in qua domo** aliquis sit aut **e qua domo** exeat aut **in quam domum** intret); **adessivis** et **ablativis** et **allativis** adverbis exprimitur **externa localitas** (id est **apud quam domum** aliquis stet aut **a qua domo** proficiscatur aut **ad quam domum** adveniat).

4. Extra tria adverbiorum localium genera supra commemorata sunt etiam adverbia ad quaestionem **qua?** respondentia, quae **prolativa** appello, quia iis indicatur e.g., **qua via** aliquis procedat.¹¹ Ablativus viae, cui hoc genus adverbiorum respondet, inter elocutiones locales Latinas quodam modo sui generis est; namque ab elocutionibus ad quaestiones **ubi?** et **unde?** et **quo?** respondentibus eo differt, quod imprimis ab instrumentali usu ablativi originem trahere videtur ac paullatim contagione localis significationis imbutus esse.

Nunc videndum est, quam apti sint termini novi modo allati ad

perscrutanda exempla ex ipsis litteris Romanis petita. Primum quidem profero exempla, quorum genus sine ulla difficultate definiiri potest:

1. Hor.Epist.1,6,45 **exilis domus est, u b i non et multa supersunt** (ubi est adverbium **inessivum**, quia pro elocutione in qua adhibetur); Cic.2.Or.Verr.4,12,29 **tuam tantam fuisse sagacitatem, ut eas (sc. phaleras) per illum ipsum inspiceres, u b i erant depositae** (ubi est adverbium **adessivum**, quia pro elocutione apud quem sive penes quem adhibetur).

2. Ter.Phorm.1017-1018 **mulierculam / eam compressit, u n d e haec natast** (unde est adverbium **elativum**, quia pro elocutione e qua adhibetur); Plaut.Epid.80 **numquam hominem quemquam conveni, u n d e abierim lubentius** (unde est adverbium **ablativum**, quia pro elocutione a quo adhibetur).

3. Cato, Agr.10,4 **dolia, q u o vinaceos condat** (quo est adverbium **illativum**, quia pro elocutione in quae adhibetur); Pompon. Bonon.Atell.fragm. **Hominem beatum, q u o illae pervenibunt divitiae** (quo est adverbium **allativum**, quia pro elocutione ad quem adhibetur).

4. Cic.Or.Caecin.8,21 **iste ad omnes introitus, q u a adiri poterat ...in eum fundum,...armatos homines opponit** (adverbium qua habet **prolativam** functionem, quia pro ablativo viae quibus sive pro elocutione per quos positum est).

E grammaticis senioris antiquitatis Diomedes in libro primo Artis grammaticae suae, qua ratione interna localitas ab externa differat, non quidem appellationibus a me supra allatis usus, hac ratione exponit (Keil I, p.415, lin.3-11): "Hae praeterea praepositiones (= a,ab et e,ex), ut quibusdam videtur, non idem unumque significant. Nec enim unum est **a theatro venire et ex theatro**. Nam qui dicit **a theatro**, non **ex ipso theatro**, sed **e loco qui est proximus theatro**; qui **ex theatro** se venire dicit, **ex ipso venit theatro**. His praepositionibus contraria potestate sunt **ad et in**, quae et ipsae non unum idemque significant, quia **in forum ire est**

in ipsum forum intrare, ad forum autem ire in locum foro proximum; ut in tribunal et ad tribunal venire non unum est, quia ad tribunal venit litigator, in tribunal vero praetor aut iudex."

Nonnumquam tamen inter adverbia internas et externas functiones locales habentia obscuri tantummodo - si ulli - limites constitui possunt, quia ipsae elocutiones praepositionales, quae iis compensantur, hoc aspectu haud multum inter se differunt. Adverbia ad quaestionem **unde?** respondentia non solum in elativa et ablativa, sed haud raro etiam in **delativa**¹² significatione adhibita esse dixeris (velut in exemplo Löffstedtiano supra¹³ commemorato Anthim.Epist.praef. **i n d e r e d d o r a t i o n e m p r o d e e a r e r e d d o r a t i o n e m**), sed revera significationem delativam haud procul ab elativa abesse iam ex eo patet, quod in locum adverbii **inde** in simili elocutione mox **exinde** substitutum est. Praepositione **a, ab** plerumque externa relatio localis exprimitur, sed haec quoque nonnumquam obscuratur, quia eadem praepositio apud ipsum Cicero- nem occurrere potest praepositioni **e, ex** iuxtaposita, e.g. Leg.3, 8,18 **Nihil enim praeter laudem bonis atque innocentibus neque e x h o s t i b u s neque a s o c i i s** reportandum. Itidem **victoria** modo ab adversario, modo ex adversario, modo de adversario reportatur: Cic.Or.Imp.Pomp.3,8 **ita nostri cum illo rege contenderunt imperatores, ut a b i l l o insignia victoriae, non victoriam reportarent;** Liv.7,34,13 **e x C a m p a n i s victoriam pepererunt;** 27,31,3 **quantaecumque, d e R o m a n i s tamen, victoriae partae fama.** Pariter triumphari potest aut ex aliquo aut de aliquo: Cic.Or.Philipp.8,6,18 **e x Transalpinis gentibus triumpharunt, 11.8,18 d e Numantinis triumpharat.** Itaque cum Ovidius scribit (Am.2,9,15-16) **Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellae; / h i n c tibi cum magna laude triumphus eat, nihili fere refert, utrum pro ex his an de his adverbium hinc** adhibitum esse contendamus; functio eius et elativa et delativa definiri potest. Item nonnumquam e.g. eo translata vi positum functionem habet illativam & allativam, velut Cic.Or.Rosc. Amer.34,96 **e o r e m iam adducam, ut nihil divinationis opus sit** (cf. Or.Philipp.6,7,19 **Res i n extremum est adducta discrimen, Epist.Att.7,9,2 r e m adduci a d interregnum**).

Livius scribens e.g. 21,16,1 scribens **Legati, qui redierant a b C a r t h a g i n e, Romam rettulerunt omnia hostilia esse** praepositione **a,ab** non ablativae utitur, sed campum semanticum eius amplificat; hoc enim loco secundum regulas grammaticae classicae (**ex urbe**) **Carthagine** pro **ab Carthagine** dici exspectaveris.¹⁴ Similia problemata etiam in adverbis ad quaestiones **ubi?** et **quo?** respondentibus reperiuntur. Iam in archaica Latinitate ortus est mirus quidam "error consuetudinis",¹⁵ id est consuetudo praepositione **apud** cum accusativo ad quaestionem **ubi?** respondendi pro praepositione **in** cum ablativo adhibita vel pro nudo ablativo loci aut locativo, quae rem exactius indicassent. Pro archaicis exemplis huius consuetudinis commemorantur SC de Bacch.(CIL I 196) **apud aedem Duelonai** (= **in aede Bellonae**) et Plaut.Epid.53 **apud Thebas** (= **Thebis**). Postea inde a Tacito frequentiora fiunt exempla, praesertim in nominibus geographicis.¹⁶ Similiter nonnumquam ad pro **in** + acc. ponitur, e.g.Cic.Epist.Fam.16,1,1 **magni ad honorem nostrum interest quam primum a d U r b e m me venire**, quin etiam pro solitis elocutionibus inessivis supra dictis, e.g. Cic. Epist.Att.1,16,10 **Surgit pulchellus puer, obicit mihi me a d B a i a s fuisse** (ad **Baias** = **Baiis**).¹⁷ In huius generis exemplis, quae in posteriore Latinitate paulatim usitatiora fiunt, saepe parum liquet, utrum de adessivo an inessivo aut de allativo an illativo adverbiali agatur. Equidem elocutiones **apud aedem** et **apud Thebas** et **ad Baias** locis supra prolatis iudicaverim morphologicè adessivas,¹⁸ semanticè inessivas esse, **ad Urbem** vero morphologicè allativam, semanticè illativam.

Utrum igitur interna an externa iudicanda sit localitas adverbii, saepe haud facile est definire. In iis, quae Diomedes disserit, praecipue notentur verba "ut quibusdam videtur", e quibus conici potest illa aetate - ultimis decenniis quarti p.Cr.n. saeculi - ne grammaticos quidem de his rebus plane consensisse atque in normali sermone populari externam localitatem ab interna vix ullo fine distinctam esse.

Si translata est vis adverbii, omne problema saepe minoris fit momenti atque indignum, cui nimia cura tribuatur. In Latinitate

enim haec duo localitatis genera plerumque non tam subtilibus limitibus inter se distinguuntur quam e.g. in linguis Finnougricis. Ergo terminos illos e grammatica Finnougrica velut mutuo sumptos tum tantummodo, cum elocutiones Latinae iis revera illustrantur, oportet adhiberi neque oblivisci eos ne semantice quidem cum appellationibus casuum Finnicorum semper congruere.¹⁹ Proinde diligentissime cavendum est, ne una cum his appellationibus quodam modo Procrustis similes systema casuum a Latinitate alienum ei per vim superimponere conemur!

3.4. ADVERBIA PRONOMINALIA COMPOSITA

Denique composita quaedam adverbia pronominalia, quorum, etsi morphologice e praepositionibus et simplicibus adverbiiis localibus constant, pauca tantum semantice localia sunt, ordine alphabetico enumerato: **abhinc, adeo, adhuc, antea, dehinc, deinde, exhinc, exinde, inibi, interea, interibi, perinde, postea, posthac, posthinc, postibi, postilla, praeterea, praeterhac, prohinc, proinde, propterea, quapropter, subinde**. Plurima horum adverbiorum extra hanc investigationem relicta sunt. Etiam ea, quae Löfstedt et Salonius ostenderunt in seriore Latinitate vim localem sortita esse,²⁰ strictim tantummodo, si res poscit, inter cetera attingo, quia de eorum usu illos viros doctos iam potissima dixisse existimo.

3.5. DE RATIONIBUS ET SUBSIDIIS IN HAC INVESTIGATIONE ADHIBITIS

Ex iis, quae supra (3.2.- 3.4.) scripsi, summatim apparent limites huius investigationis. Eam qua ratione inscriberem, haud mediocre mihi fuit problema. Titulum Theodiscum commentationis a me anno 1958^o in Arcto editae, quam Edwin Linkomies mihi suaserat, nonnihil mancum esse sentiebam, quod in eo iuxta casus (**in Kasusbedeutung**) elocutiones praepositionales omnino omittebantur; quibus cum in Latinitate par fere functio syntactica esset ac nudis casibus, aequum iuxta hos locum in titulo deberi. Hac de causa

opus denuo aggressus inscripsi titulo Latino **Adverbia pronominalia localia Latina pro casibus pronominum aut elocutionibus prae-positionalibus adhibita**, quem brevi apparuit nimia longitudine laborare. Tandem intellegens titulum nec rerum nec verborum nimia multitudine refertum esse oportere in eam contraxi formam, quae in fronte huius libri legi potest, partim etiam quo laxior et liberior mihi campus relinqueretur de functionibus translatis adverbiorum pronominalium localium Latinorum disserenti. Utique eas ipsas res, quae longo illo titulo continentur, imprimis perscrutor. Nam manifestum est adverbia tamquam suas egisse partes in evolutione syntactica casuum Latinorum, quorum plurimi paullatim invalescentibus elocutionibus prae-positionalibus cedebant, simulque harum varietatem unam fuisse e causis principalibus, quae usum adverbiorum praesertim in sermone populari minus diligenti et ad simplicitatem quandam tendente augebant.

Equidem non tanto rigore intra argumentum huius investigationis me contineo, ut dubitem interdum caute circumspicere et extra limites eius analogias id illustrantes quaerere. Id imprimis in capitulo quarto facio generalem casuum et adverbiorum relationem examinans. Pro exemplo cedant elocutiones adverbiales **cur** et **quam ob rem** a Prisciano commemoratae,²¹ quas, etsi non sunt locales, sed causales, nolo omnino praeterire; usus enim eorum illis ipsis locis et alibi quoque simillimis causis videtur tribui posse, ac sunt eae, de quibus adverbia localia simplicia pro variis elocutionibus prae-positionalibus adhibentur.²² Idem in **qui** valet, quod non locale, sed instrumentale vel modale adverbium est (= **quomodo**), atque in **cum** et **quoad**, quae plerumque sunt coniunctiones temporales pronominali origine. Quae omnia exploranti mihi occurrerunt aliquot exempla, ut opinor, in hac investigatione non praetereunda.²³ Peculiares autem usus adverbiales, quos nonnulli casus velut petrificati sunt sortiti, minus attingo.²⁴

Haec de adverbiiis pronominalibus non localibus. Nonnullas analogias manifestas praebent etiam adverbia localia non pronominalia, e.g. **intus** et **foris** et **domi**. Seneca, cum in dialogo De Providentia (6,3) scribit: **Putat itaque deum dicere: "...Aliis bona falsa**

circumdedi et animos inanes velut longo fallacique somno lusi: auro illos et argento et ebore adornavi, i n t u s boni nihil est", adverbio **intus** expresse utitur pro **in iis** (sc. **aliis vel animis inanibus**). Minime casu factum est, ut Cicero, cum de consiliis nefariis Catilinae in castra Manliana profecti orationem ad populum habens dissereret, anaphorice (Or.in Catil.2,5,11): **i n t u s insidiae sunt, i n t u s inclusum periculum est, i n t u s est hostis!** exclamaverit; immo civibus Romanis quam expressissime persuadere voluit externa quidem bella ubique extincta esse, sed **intra fines patriae, paene intra parietes domesticos** hostem periculosissimum saluti omnium bonorum imminet saevire. Videmus ergo hic quoque elocutionem praepositionalem sub adverbio locali quasi latere. Similiter **foris** idem fere significat atque **extra fines patriae** in dicto celeberrimo Ciceroniano (Off.1,22,76) **parvi enim sunt f o r i s arma, nisi est consilium d o m i** (**domi = intus = intra fines patriae**). Huius generis analogias tamen optimum factu esse duxi extra investigationem meam relinquere, ne a principali argumento nimis longe digrederer.

Haud raro adverbium pro casu nominis aut elocutione praepositionali ideo imprimis adhibitum est, ut, quamvis fortiter in re, tamen suaviter in modo ageretur. Catullus in carmine, quod Manlio Torquato et Iuniae Aurunculeiae dedicavit, novam nuptam inter alia his versibus alloquitur (61,151-153): **Nupta, tu quoque, quae tuus / vir petet, cave ne neges, / ni petitum a l i u n d e eat.** Torquatus fortasse offensus esset, si poeta sine ambagibus **ab alia** vel **ab aliis** (**mulieribus**) cecinisset, praesertim qui in eodem carmine iam iocans nominatim affirmasset eum non fore virum levem aut "in mala adultera" deditum aut "probra turpia" persequentem (61,101-103). Martialis adverbio usus obscena tegit aut tegere se simulat in epigrammate 11,104, in quo maritus quidam uxorem suam, ut secum in rebus amatorii minus languidam se praebeat, inter alia his versibus impellere conatur (15-16): **...Ithaco stertente pudica solebat / i l l i c Penelope semper habere manum** (illic pro **in illius inguine**). In omnibus linguis variae reperiuntur elocutiones euphemisticae - non modo adverbium pro ca-

sibus nominum posita -, quibus res dedita opera obscure dicuntur, ne "mollia dure" fiant (cf. Quint.Inst. or.10,2,19) neve, quicquid in occulto est, "in apricum" proferatur (cf. Hor.Epist.1,6, 24); ad eas in septimo capitulo redibo.

In materia colligenda imprimis Thesaurum Linguae Latinae adhibui atque alia ampla lexica, quibus non modo vocabula ipsa Latina continentur, sed etiam loci, ubi eadem apud scriptores occurrunt, exactius indicantur.²⁵ Praeterea concordantiis et lexicis specialibus omnia vocabula singulorum scriptorum Romanorum continentibus usus sum. Horum mihi nunc maior numerus praesto fuit quam annis 1955-1957.²⁶ Itaque etiam exemplorum numerus ex eo, qui in illa commentatione reperitur, haud mediocriter auctus est. Insuper multa eorum nunc subtilius interpretari studeo.

Temporalem terminum huius investigationis circiter sextum p.Chr. n. saeculum constitui, e quo aliquot exempla apud Iordanem atque Gregorium Turonensem necnon apud alios quosdam scriptores aevi Merovingici occurrentia profero. Posteriorum saeculorum litteras ex ea paene omnino exclusi, ne materia mihi tractanda immoderate tumesceret. Usus adverbiorum pronominalium localium in mediaevalibus litteris Latinis peculiare est argumentum, quod perraro tantummodo velut degusto. Id alias separatim investigari ideo quoque aequum est, quod medio aevo Latinitas, ut prima lingua peregrina omnium litteratorum, ita nullius iam sermo patrius erat.

4. OBSERVATIONES GENERALES

4.1. ADVERBIA ET CASUS NOMINUM

Naturam generalem adverbiorum localium, praesertim pronominalium, iam supra et morphologice et syntactice attigi. Ea, quae hactenus demonstrata sunt, optime exprimi possunt verbis Wackernagelianis, inter casus et adverbia nullum omnino limitem fixum esse.¹ Utrisque tam similis est functio syntactica, ut e.g. adverbia localia pronominalia paene casus locales pronominum dicas.

Hic mihi liceat rursus lingua Finnica, sermone meo patrio, pro exemplo uti. In ea non modo sex illi sunt casus locales, quorum supra mentionem feci et in quibus plurima nomina poni possunt, sed etiam adverbia localia maximam partem in easdem terminationes exeuntia:

- **tässä** 'hic', 'hoc (ipso) loco' (cf. **tässä metsässä** 'in hac silva'); item **täällä** 'hic', 'hoc loco', 'in hac regione' (cf. **täällä kukkulalla** 'in hoc colle'). In priore exemplo de inessivo (interno casu locali, cf. Theod. **in diesem Wald**), in posteriore de adessivo (externo casu locali, cf. Theod. **auf diesem Hügel**) agitur, quorum amborum ultimae terminationes eandem originem habent (-ssa,-ssä < *-s-na, -s-nä, -lla,-llä < *-l-na, -l-nä, cf. **kotona** 'domi', **ulkona** 'foris', **olla läsnä** 'praesentem esse', 'adesse');

- **tästä** 'hinc', 'ex hoc (ipso) loco' (cf. **tästä metsästä** 'ex hac silva'), **täältä** 'hinc', 'ab hoc loco', 'ab/ex hac regione' (cf. **tältä kukkulalta** 'ab/ex/de hoc colle'). Ex his **tästä** est adverbium locale elativum simulque casus elativus pronominis demon-

strativi, **täältä** adverbium locale ablativum, haud multum a casu ablativo pronominis demonstrativi (**tältä**) differens. Eaedem sunt utrisque terminationes (**-s-ta, -s-tä, -l-ta, -l-tä**);

- **tähän** 'huc', 'in hunc (ipsum) locum' (cf. **tähän metsään** 'in hanc silvam'). Alterum adverbium **tänne** 'huc', 'in/ad hunc locum', tametsi non habet eandem formam atque casus allativus pronominis demonstrativi (cf. **kiivetä tälle kukkulalle** 'in hunc collem ascendere') atque etiam, quod ad terminationem (**-nne**) attinet, cum casu allativo (**-lle**) vix coniungi potest,³ tamen vetus casus localis videtur esse.⁴ Ipse allativus quoque in quibusdam elocutionibus petrificatis adverbii localis functionem syntacticam habet, e.g. **kohottaa soihtu korkealle** 'facem alte extollere' (cf. **kiivetä korkealle kukkulalle** 'in collem altum ascendere').

Casus locales Finnici etiam translata vi adhibentur, ut casus Latini et nudi et praepositiones secuti: **tällä tavalla** 'hoc modo', 'hac ratione'; **puhua tästä asiasta** 'de hac re loqui'.

4.2. LOCATIVUS ET ABLATIVUS

In Latinitate quoque reliquiae veterum casuum localium supersunt. Horum pro exemplo ante omnia cedit locativus in **-i** (< ***-ei** < ***-oi**) exiens: **domi, humi, ruri, Sagunti, Romae** (< **Romai**). Eadem ipsa terminatio non modo in adverbiiis localibus **ibi** et **ubi** invenitur, sed etiam in **hic** et **illic** et **istic**, in quibus reliquiae suffixi deictici eam sequuntur (< ***hei-ce, *illei-ce, *istei-ce**).

Item ablativus Latinus initio casus localis ad quaestionem **unde?** respondens fuit. Ille originalis ablativus postea non solum ablativo separativo continuatur, qui aut localem aut translata vim habere potest (e.g. **domo, humo, rure, Roma, Delo, magistratu abire, civitate expellere, imperio liberare**) sed etiam ablativo originis (e.g. Plaut. Amph. 28 **h u m a n a m a t r e n a t u s**) et ablativo comparationis (e.g. Plaut. Asin. 614 **m e l l e d u l c i d u l c i o r**).

Ablativus loci ad quaestionem **ubi?** respondens heres syntacticus est locativi defuncti. Ita **rure** non semper separativam vim habet, sed interdum idem significat atque **ruri**, e.g. Hor. Epist.1,7,1-2 **Quinque dies tibi pollicitus me r u r e futurum / Sextilem totum mendax desideror** (itemque Epist.1,14,10 et 1,15,17). Eiusdem generis atque **ruri/rure** formarum par videtur esse **peregri/peregre** (forma **peregre** plerumque longam **e** finalem habet ex analogia adverbiorum modalium), necnon quaedam nomina urbium et oppidorum in casu locali posita, e.g. **Carthagini/Carthagine**. Prior forma, etsi rarior, occurrit semel apud Plautum (Cas.71) et semel apud Ciceronem (Or.Leg.agr.2,33.90) atque quater apud Livium (28,26,1 et 30,9,3 et 30,44,4 et 31,11,7). Similes atque **Carthagini** locativi sunt **Sicyoni** (Plaut.Cist.156 et 190, Pseud.994), **Anxuri** (Liv.5,8,2), **Tiburi** (Cic.Or.Philipp.13,9,19, Liv.30,45,4) atque etiam **Praenesti** apud Propertium (2,32,3-4 **nam quid P r a e n e s t i dubias, o Cynthia, sortis, / quid petis Aeaei moenia Telegoni**); alibi nomen proprium **Praeneste** ablativum localem in **-e** exeuntem habet, e.g. Hor.Epist.1,2,1-2 **Troiani belli scriptorem, maxime Lolli, / dum tu declamas Romae, P r a e n e s t e relegi**. In huius generis nominibus formae locales in **-i** et in **-e** exeuntes videntur aliquatenus inter se confusae esse. Quin etiam in declinationibus prima et secunda, quae locativum genetivi similem optime conservaverunt, nomina singularia urbium et oppidorum nonnumquam inter hunc et ablativum loci vacillant; e.g. Vitruvius ablativis loci **Arretio** (2,8,9) et **Halicarnasso** (2,8,11) utitur atque ablativum loci **Tarso** locativo **Magnesiae** iuxtaponit (8,3,24). Pariter in quadam inscriptione Pompeiana (CIL IV 4299) locativus **Nuceriae** ablativo loci **Herculaneo** iuxta positus et in alia (CIL IV 8356) ablativus loci **Nuceria** occurrit. Apud poetas quoque similia invenias, e.g. Verg.Aen.6,766 **genus L o n g a nostrum dominabitur A l b a** (**Longa Alba** pro **Albae Longae**). Quod ad elocutionem usitatissimam **domi bellique** attinet, Livius pro ea scribit 1,34,12 **bello domique** et 9,26,21 **domi belloque**. Contra non solum **bellum** et **militia** locativos (**belli** et **militiae**) praebent elocutioni **domi** iuxta positos, sed in archaica Latinitate etiam **viciniae** interdum locativi functione videtur adhiberi: Plaut. Bacch.205-206 **p r o x i m a e v i c i n i a e / habitat**; Mil.

glor.275-276 Certo edepol scio me vidisse hic proxuma e vicinia e / Philocomasium; Rud.613-614 Sed quid hic in Veneris fano mea e vicinia e / clamoris oritur; Ter. Phorm.95-96 modo quandam vidi virginem hic vicinia e / miseram suam matrem lamentari mortuam.⁵

Id, quod supra de ablativo loci disserui, magna ex parte aequaliter in ablativo temporis, qui a locali vi originem trahit, et in adverbis temporalibus valet, ut ostendunt formarum paria **vespere / vesperi** et **here/heri** (cf. **temperi**). Notandae sunt etiam elocutiones Plautinae **die septimi** (Men.1156) et **die crastini** (Most. 881): et **septimi** et **crastini** locativi habendi sunt ablativo temporis (**die**) annexi (cf. etiam **postridie**, **quotidie**). Peculiari natura est **luci**, quod modo velut adverbium absolutum temporale in locativo positum est (Plaut.Amph.165, Cas.786, Men.1005), modo una cum praepositione elocutionem adverbialem efficit: **cum luci semul** (Merc.255 et Stich.364), modo adiectivum attributivum masculini generis⁶ in ablativo positum secum habet (Plaut.Aul.748 **luci claro**, Cist. 525 et Ter.Adelph.841 **cum primo luci**).

Ne pronominalia quidem adverbia localia omnino extra talem, ut ita dicam, aemulationem binarum elocutionum relicta sunt. Nonnumquam **eo** (sc. loco) pro **ibi** adhibetur, e.g. Nep.Datam.7,3 **locum deligit talem, ut neque circumiretur ab hostibus neque praeteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur, et, si dimicare e o vellet, non multum obesse multitudo hostium suae paucitati posset**, ac Pompon.Dig.33,1,7 **pupillum e o morari, ubi pater iusserit**. Plerumque tamen **eo**, ad quod in huius generis elocutionibus non facile loco subauditur, perspicuitatis causa genitivo partitivo loci completur:⁷ Valer.Max.2,4,5 **e o loci nullam aram viderat**. Itidem pro **ubi** ponitur **quo loci** aut **quo locorum**, e.g. Vitruv.8,3,16 **quo loci sepultus est** et Hor.Od. 1,38,3-4 **mitte sectari, rosa quo locorum / sera moretur** ac Sueton.Calig.53,2 **Irato et verba et sententiae suppetebant, pronuntiatio quoque et vox, ut neque eodem loci praeardore consisteret et exaudiretur a procul stantibus**. Tales elocutiones translatae quoque vim habere possunt (= in ea condicio-

ne et in qua condicione): Cic.Or.Sest.31,68 **Res erat et causa nostra iam e o l o c i**, ut erigere oculos et vivere videretur; Epist.Att.8,10 **Respondit se, quod in nummis haberet, nescire, q u o l o c i esset**. Huiusmodi autem genetivus partitivus pariter atque etiam saepius ad adverbia localia **ubi** et **ubicumque** accedit, e.g. Plaut.Capt. 958 **Propemodum u b i l o c i fortunae tuae sint, facile intellegis** et Hor.Epist.1,3,34-35 **u b i - c u m q u e l o c o r u m / vivitis**; cui rhetorica quaedam functio est - similis atque genetivis e.g. in elocutionibus **ubinam gentium** (Cic.Or.Catil.1,4,9) et **ubicumque terrarum** (Cic.2.Or.Verr.5,55,143) et digna, quae infra⁸ fusius examinatur.

4.3. INSTRUMENTALIS ET ABLATIVUS

Etiam instrumentalis veteris, qui ex usu decedens item ablativum tamquam heredem suum fecit, reliquiae morphologicae in Latinitate supersunt. Primum quidem commemorandum est **qui** (= **quo modo** aut **qua ratione** aut **qua re**), quod pariter ac locativus in **-i** exit; in quo quaeri potest, utrum casus pronominis sit an potius adverbium instrumentale et modale. Praesertim in archaica Latinitate eius haud pauca sunt exempla. In functione interrogativa a Cicero quoque et a Livio adhibetur (Cic.Nat.deor.1,30,84 **q u i potest esse in eiusmodi trunco sapientia?** et Liv.28,43,18 **q u i ego minus in Africam traicerem?**), sed indefinite et relative positum paene solum in archaica Latinitate occurrit. Mentione digna est etiam particula **quin** e forma instrumentali **qui** et negatione **ne** composita, quae interrogative usurpata potius causalem quam instrumentalem aut modalem vim habet, e.g. Plaut.Mil.glor.428 **Q u i n ego hoc rogem, quod nesciam** (**quin rogem = quare non rogem**); Ter.Heaut.831-832 **Quid stas, lapis? / Q u i n accipis?** (**quin accipis = quare non accipis**), sed paullatim in coniunctionem mutatur, qua enuntiata secundaria negativis enuntiatis primariis varia vi annectuntur. Haud raro hanc coniunctionem ipse Cicero eadem fere functione adhibet ac nominativum vel accusativum vel ablativum pronominis relativi una cum negatione **non**, e.g. Epist.Fam.6,1,1 **Nemo est, q u i n ubivis quam ibi, ubi est, esse**

malit (quin malit = qui non malit); 2.Or.Verr.4,1,1 Nego in Sicilia tota...ullum argenteum vas...fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quicquam ex auro aut ebore factum, signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum, nego ullam picturam..., q u i n conquisierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit (quin conquisiverit = quam non conquisiverit vel quae non conquisiverit); Epist. Att.1,10 (1),3 (Kasten, p.24) dies fere nullus est, q u i n hic Satyrus domum meam ventitet (quin ventitet = quo non ventitet). De ceteris varii generis elocutionibus, in quibus particula quin usurpatur, hic non est locus amplius disserendi.

Redeamus ad ipsam formam instrumentalem qui. Primum quidem pauca exempla eius indefinite adhibiti examinemus. Haec etiam exclamatoria aut asseverativa appellari possunt, nam particulam qui in iis plerumque praecedit invocatio alicuius herois, sicut hercle aut (ede)pol, nonnumquam tantummodo ut vel quippe: Plaut.Men.1092 Hercle q u i tu me admonuisti recte, Mil.glor.779 Edepol q u i te de isto multi cupiunt non mentirier, Amph.705-706 At pol q u i certa res / hanc est obiurgare, Trin.637 An id est sapere, ut q u i beneficium a benevolente repudies?, Ter.Heaut. 537-539 "In loco / ego vero laudo." "Recte sane." "Quippe q u i / magnarum saepe id remedium aegritudinumst..." Classico aevo ex hoc usu restat coniunctio atqui, e.g. Cic.Cato Maior 22,81 Iam vero videtis nihil esse tam morti simile quam somnum; a t q u i dormientium animi maxime declarant divinitatem suam.

Relativum usum particulae qui fusius oportet perscrutemur. In eo enim qui pariter fere atque adverbialia localia cum normali casu pronominis relativi aemulatur: Pacuv.trag.39 canis, quando est percussa lapide..., illum eum... lapidem, q u i ipsa icta est, petit (qui = quo); Plaut.Amph.260-261 Amphitruoni patera donata aurea est, / q u i Pterela potitare rex est solitus (qui = qua); Most.537-538 dedit argentum fenore, / q u i amica est empta (qui = quo).

Praecipua frequentia hic archaicus usus adverbii qui in enuntiatis relativis vim finalem aut consecutivam habentibus occurrit: Ennius,Scaen.fragm.205 (Warmington I, p.292) date ferrum, q u i

me anima privem (qui = quo); Incert.trag.fragm.244 (Ribbeck) taeniam, q u i volnus vinciat, petit (qui = qua); Plaut.Mil.glor. 138-139 Itaque ego paravi hic intus magnas machinas, / q u i amantis una inter se facerem convenas et Pseud.826-827 Quid tu? Divinis condimentis utere, / q u i prorogare vitam possis hominibus (qui = quibus vel qua ratione); Aul.187 sat habes q u i bene vitam colas (qui = quo); Aul.502 vehicla q u i vehar; Stichus 292 quadrigis, q u i vehar (qui = quibus); Rud.1110 ubi sunt signa, q u i parentes noscere haec possit suos (qui = quibus); Poen.1264 magis q u i credatis dicam (qui = quo); Ter. Andr.5-7 nam in prologis scribundis operam abutitur, / non q u i argumentum narret, sed q u i malivoli / veteris poetae maledictis respondeat (qui = qua aut quo); Andr.511-512 multa concurrunt simul, / q u i coniecturam hanc nunc faciam (qui = quibus); Phorm.769-770 etiam argentumst ultro obiectum, / ut sit q u i vivat, dum aliud aliquid flagiti conficiat (qui = quo); Catull. 116,1-3 Saepe tibi studioso animo venante requirens /carmina uti possem mittere Battiadae, / q u i te lenirem nobis (qui = quibus). In plerisque horum exemplorum pro adverbio qui etiam conjunctionem ut adhibere possis.⁹ Utique in iis omnibus qui idem habet commodum, quod Servium adverbio locali unde tribuere vidimus: pariter enim "ad omne genus, ad omnem numerum" iungi potest.

Addo unum exemplum Plautinum, in quo qui bis occurrit: Capt.1002-1004 nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monerulae / aut anites aut coturnices dantur, q u i c u m lusitent, / itidem haec mihi advenienti upupa, q u i me delectem, datast. In ultimo horum versuum qui pariter atque in exemplis supra citatis pro nudo ablativo instrumenti positum est (qui = qua); in priore autem elocutionem quicum pro quibuscum videmus adhibitam esse (cf.Rud.1111 q u i b u s c u m periit parva Athenis). In poesi classica archaistice eadem elocutione etiam quocum et quacum compensantur: Catull.2,1-4 Passer, deliciae meae puellae, / q u i c u m ludere, quem in sinu tenere, / cui primum digitum dare appetenti / et acris solet incitare morsus; 66,75-78 Non his tam laetor rebus, quam me afore semper, / afore me a dominae vertice discrucior, / q u i c u m ego, dum virgo quondam fuit, omnibus

expers / unguentis, una melina¹⁰ multa bibi; 69,7-8 Hunc metuunt omnes, neque mirum; nam mala valde est / bestia, nec q u i c u m bella puella cubet; Verg.Aen.11,820-822 Tum sic exspirans Accam ex aequalibus unam / adloquitur, fida ante alias quae sola Camillae, / q u i c u m partiri curas.

4.4. ABLATIVUS VIAE

Item ablativus viae, qui iam in lingua proto-Italica videtur fuisse,¹¹ instrumentalem habet originem. Id clare patet e nonnullis locis Plautinis et Terentianis, in quibus via velut instrumentum est ad certam metam euntis aut currentis: Plaut.Pseud.1234 dum h a c domum redeam v i a; Amph.795 huc a l i a v i a praecucurristi; Ter.Andr.670 h a c non successit, a l i a aggre diemur v i a. Ex huius generis elocutionibus saepe substantivum via (vel semita, porta, regione), omittebatur: Plaut.Men.566 em, h a c abiit, si vis persequi vestigiis, Persa 444 abi i s - t a c travorsis angiportis ad forum, Amph.1042 ad regem r e c - t a me ducam. In omnibus his exemplis adverbium formam femininam ablativi singularis habentia ad quaestionem qua (sc. via)? respondent. Ovidius Daedalum de fugae facultatibus primum in Arte amatoria, iterum in Metamorphosibus eadem ratione cogitantem inducit: Ars am.2,37 Restat iter caeli: c a e l o temptabimus ire; Metam.8,186 at caelum certe patet: ibimus i l l a c. Utroque loco ablativum viae adhibet: primo ipsum substantivum caelum repetit, altero non forma illo utitur, quae, quamvis per se ad caelum referri possit (illo, sc. caelo), tamen similis adverbii illativi & allativi (illo = illuc) in elocutionem aliquid ambigui aut obscuri afferat, sed perspicuitatis causa mavult illac (sive illa via) scribere.

Praecipue observetur in hoc conexu elocutio usitatissima terra marique. Quae utrum localem an instrumentalem habeat originem, pro certo dici nequit.¹² Vis instrumentalis manifesta apparet in exemplo Plautino Pseud.316-317 ego in hoc triduo/ aut t e r r a aut m a r i alicunde evolvam id argentum tibi (aut terra aut

mari = aut per terrestre aut per maritimum iter); itemque Livius scribens 24,33,9 **Inde t e r r a m a r i q u e simul coeptae oppugnari Syracusae, t e r r a ab hexapylo, m a r i ab Achradina hac, de qua agitur, elocutione potius, qua ratione (id est simul terrestri et navali impetu) quam ubi oppugnatio incohata sit, referre studet.** Apud scriptores aevi classici tamen elocutio **terra marique** saepius in locali functione occurrere videtur. Exemplum maxime perspicuum praebet Nepos eam in eadem positione syntactica atque adverbium locale **utrubique** adhibens (Hann.10,2): **bellumque inter eos gerebatur et m a r i et t e r r a, sed u t r u b i q u e Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem.**

Quaecumque origo syntactica huius elocutionis est, utique exempla supra commemorata ostendunt localem significationem ab instrumentali interdum subtiliter tantum differre. Quo fit, ut adverbia, quae dico prolativa (**hac, ea, qua** etc.), in hac investigatione praeteriri non possint. In iis quoque praecipue observandum est adverbium **qua** relative adhibitum, quod similiter fere, atque **qui** instrumentale, saepe vice pronominis relativi in ablativo positi fungitur. Nonnumquam quidem conexio inter adverbium **qua** et substantivum, ad quod refertur, admodum laxa est; e.g. Plautus dicens (Men.237-238) **orasque Italicas omnes, q u a adgreditur mare, / sumus circumvecti** adverbium eadem fere vi adhibet, ac si diceret: **orasque Italicas, ubicumque eas adgreditur mare.** Item cum in fragmento tragoediae ignotae a Seneca (Epist.80,7) commemorato rex Argivus ait: **en impero Argis; regna mihi liquit Pelops, / q u a ponto ab Helles atque ab Ionio mari / urguetur Isthmos,** adverbium **qua** non directe ad **regna** refertur, sed potius ad loca, **per quae** fluctus maritimi Isthmum petunt et **ubi** etiam regna illa reperiuntur. Item in Tac. Ann.1,79,3 **Nec Reatini silebant, Velinum lacum, q u a in Narem effunditur, obstrui recusantes** pro correlato relativae elocutionis **qua** subauditur **ab ea parte.** In aliis autem exemplis adverbium relativum aliquanto strictius ad substantivum in primario enuntiato adhibitum accedit. Ita non necessario res se habet in Plaut. Mil. glor.142-143 **In eo conclavi ego perfodi parietem, / q u a commeatus clam esset hinc huc mu-**

lieri, ubi qua aequaliter ad totam elocutionem parietem perfodi atque ad ipsum parietem perfossum referri potest aut etiam finali coniunctione ut compensari. Paulo minus ambiguitatis syntacticae est in elocutione Catonis Agr.1,3 oppidum validum prope siet aut mare aut amnis, q u a naves ambulant (qua, sc. via).

In Ciceronis pro Caecina oratione nonnulli loci in hoc conexu mentione digni sunt, e.g. 8,21 ad omnes introitus, q u a adiri poterat, ...armatos homines opponit, ubi qua plane eandem vim habet atque quibus vel per quos sive, ut ait C.A.Jordan¹³, "deposita grammatica rectione adverbii quidem naturam induit, sed ita, ut ad cuiusvis generis et numeri substantiva referri possit". Statim post verba supra citata Cicero ita pergit: Itaque primo, cum in antiquum fundum ingredi vellet, quod e a proxime accedi poterat, frequentes armati obstiterunt. Quo loco depulsus Caecina tamen, q u a potuit, ad eum fundum profectus est, in quo ex conventu vim fieri oportebat (ea = per eum, sc. antiquum fundum; ad qua tantummodo via subauditur). Postea in eadem oratione (15,44) haec leguntur: Tuus enim testis hoc dixit, metu perterritis nostris advocatis locum se, q u a effugerent, demonstrasse (qua = qua via vel per quem, sc. locum); 29,82 sum ex proximo vicini fundo deiectus, q u a adibam ad istum fundum et 30,88 non, opinor, eos in cuniculum, q u a aggressi erant, sed in Capitolium restitui oporteret (qua = qua via vel per quem, sc. cuniculum). In oratione de imperio Cn.Pompeii 9,22 ita dicit: ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant in fuga fratris sui membra in iis locis, q u a se parens persequeretur, dissipavisse (qua = quibus, sc. locis, vel per quae, sc. loca); Or.Philipp.9,3,6 multis illi in urbibus, iter q u a faciebat, reficiendi se et curandi potestas fuit (secundum Nägelsbach qua est "nicht ganz, aber fast so viel als per quas").¹⁴ Nepos scribit in Milt.3,1 Pontem fecit in Histro flumine, q u a copias traduceret (qua = quo vel per quem) idemque Eum.8,4 duae erant viae, q u a ex Medis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hibernacula posset perveniri (qua = quibus vel per quas). Sallustius scribens in Catil.57,3 sub ipsis radicibus montium, q u a illi descensus erat in Galliam properanti adverbium qua pro per quos

(sc. **montes**) ponit. Apud Livium quoque reperiuntur exempla: 10,5,6 **reliquerat intervalla inter ordines peditum, q u a satis laxo spatio equi permitti possent** (qua = quibus vel per quae), 21,23,1 **Hiberum copias traiecit praemissis, qui Gallorum animos, q u a traducendus exercitus erat, donis conciliarent** (qua = per quos vel per quorum fines), 21,47,5 **multorum dierum circuitu Padi vada petenda fuerint, q u a exercitus gravis impedimentis traduci posset** (qua = quibus vel per quae), 35,4,4 **saltum, q u a trans-eundum erat Romanis, insederunt** (qua = quo vel per quem). Denique ex Apuleio unum proferatur exemplum: *Metam.*8,15,7 **ob iter illud, q u a nobis erat commeandum, iacere semesa hominum corpora** (qua = quo vel per quod).

Caesar quodam loco in eadem periodo et pronomen relativum in ablativo viae ponit et adverbium **qua** pari vi adhibet: *Gall.*1,6,1 **Erant omnino itinera duo, q u i b u s itineribus domo exire possent: unum per Sequanos, angustum et difficile, inter montem Iuram et flumen Rhodanum, vix q u a singuli carri ducerentur** (qua = quo vel per quod). In cotidiario autem sermone minus limato correlatum adverbii interdum tantum subauditur; e.g. Cicero scribens *Epist. Att.* 9,23,1 **omnes et illos et, q u a iter feci, maestos afflictosque vidi** pronomine **illos** municipes suos Arpinates designat atque incolas ceterarum regionum, **per quas** iter fecit, iis iuxta ponit.

Etiam in poetarum operibus exempla mentione digna occurrunt: *Verg. Georg.*1,89-90 **pluris calor ille vias et caeca relaxat / spiramenta, novas veniat q u a sucus in herbas**; 4,359-360 **Simul alta iubet discedere late / flumina, q u a iuvenis gressus inferret**; *Aen.*2,752-753 **Principio muros obscuraque limina portae, / q u a gressum extuleram, repeto**; *Ovid. Am.*3,10,38 **omnia, q u a tulerat se dea, messis erat**. In omnibus his exemplis forma feminina petrificata **qua** expeditior est quam pluralis ablativus viae **quibus** vel elocutio praeositionalis **per quae**. In *Prop.*1,1,29-30 **ferte per undas, / q u a non ulla meum femina norit iter etiam tautophoniae vitandae causa post elocutionem per undas vix per quas dixeris pro qua**.

Etiam adverbium **haec, ea, qua** etc., sicut elocutio supra tractata **terra marique**, paulatim extra prolativum usum digredi incipiunt et prope localem vim habere. Iam in archaica Latinitate hoc interdum fit. Cato de oliveto disserens (Agr.44), quo modo recte putetur, ex eo pendere docet, utrum locus ferax sit necne: **q u a locus recte ferax erit, quae arida erunt, et siquid ventus interfegerit, ea omnia eximito; q u a locus ferax non erit, id plus concidito aratoque**. Subtiliter quidem adverbium **qua** hic ab **ubi** significatione differt. Vim eius potissimum limitativam vocaveris; **qua...**, id enim circiter eodem valet atque **eam partem, qua**. Alibi quoque **qua** idem fere significat atque **qua(cumque) parte**, velut Caes.Gall.1.38,4-5 **Dubis ut circino circumductum paene totum oppidum cingit; reliquum spatium, quod est non amplius pedum sescentorum, q u a flumen intermittit, mons continet magna altitudine; Verg.Aen.7,100-101 omnia sub pedibus, q u a sol utrumque recurrens / aspicit Oceanum, vertique regique videbunt**. Nonnumquam vis adverbii **qua** fere paraphrasi usque ad eam partem, (in) **qua** exprimi potest, e.g. Sallust.Iug.101,11 **omnia, q u a visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus (omnia, qua visus erat... fere pro quocumque oculi circumferri poterant, omnia...)**; Liv.25,3,5-6 **Ti.Sempronio Graccho et P.Sempronio Tuditano imperium provinciaeque, Lucani et Gallia, cum suis exercitibus prorogatae, item P.Lentulo q u a vetus provincia in Sicilia esset, M.Marcello Syracusae et q u a Hieronis regnum fuisset (qua... esset fere pro quo...pertineret et qua...fuisset fere pro quo...pertinuisset)**. Itaque vix dubitari potest, quin lacuna in capitulo 26^o Monumenti Ancyranum hac fere ratione expleri debeat: **Gallias et Hispanias provincia<s et Germaniam q u a inclu>dit Oceanus a Gadibus ad ostium Albis flum<inis pacavi...>**; secundo enim enuntiato **qua includit Oceanus**, cui respondent verba Graeca *καθὼς Ὠκεανὸς περικλείει* optime idem exprimitur atque e.g. locutione longiore usque ad eas partes, **quas adluit Oceanus**.

In versibus Ovidii Metam.1,299-300 **et modo q u a graciles gramen carpere capellae, / nunc i b i deformes ponunt sua corpora phocae** adverbium **qua** manifesto potius localiter pro **ubi** quam pro

normali ablativo viae positum est. Itidem res se habet in alio versu Ovidiano (Nux 60) **parsque loci, q u a sto, publica paene via est**, in quo non necesse est **qua** pro adverbio accipi; nihil obstat, quin ablativus localis pronominis relativi ad substantivum **pars** referendus habeatur (= **in qua** vel **a qua**). Denique in inscriptionibus haud raro simpliciter **hac** pro **hic** ponitur, e.g. CIL IV 1653 **Hermaiscus invictus h a c** (cf. CIL IV 2226 **Victoria invicta h i c**), CIL V 6400 **a c requiescit** (**ac** forma vulgaris in inscriptionibus usitata est idem valens atque **hac**).

Quo longius aetate progressi erimus et quo propius ad infimam Latinitatem accesserimus, eo obscurioribus limitibus semanticis adverbia **qua** et **ubi** inter se distingui videbimus. Hic proferantur quidam loci Apuleiani, e.g. *Metam.* 4,6 **Huius (sc. montis) per obliqua devexa, q u a saxis asperrimis et ob id inaccessis cingitur, convalles lacunosae cavaeque nimium spinetis aggeratae et q u a q u a v e r s u s repositae naturalem tutelam praebentes ambiebant** (**qua** = **in quibus** vel **ubi**, et **quaqua versus** = **in omnibus partibus**). Ibidem post paucas lineas haec leguntur: **insurgit speluncae, q u a margines montanae desinunt, turris ardua** (**qua** = **ea parte, qua** vel **ibi, ubi**).¹⁵ Denique in *Peregrinatione Aetheriae* **qua** etiam in temporalem usum transit. Huius exemplorum fortasse maxime conspicuum est *5,4 his diebus, q u a fecerant vitulum, praecedente alio ceteroquin simillimo enuntiato 5,3 his diebus, q u i b u s Moyses fuit in montem*, in quo normalis ablativus pluralis est pronominis relativi.¹⁶

Ad formas femininas **hac, ea, qua** etc. non semper **via** aut **parte** primaria significatione, sed interdum potius translate positum (= **ratione**) subauditur, e.g. *Ter. Adelph.* 690-691 **Si te mi ipsum pudit proloqui, / q u a resciscerem**, ubi pro **qua** sive elocutionem instrumentalem qui supra tractatam sive adverbium locale unde pariter adhibere possis: cf. *Andr.* 501 **q u i istaec tibi incidit suspicio?** et 511 **U n d e id scis?** Vergilius scribens (*Aen.* 5, 588-591) **quondam Creta fertur Labyrinthus in alta / parietibus textum caecis iter ancipitemque / mille viis habuisse dolum, q u a signa sequendi / frangeret indeprencus et inremeabilis er-**

ror adverbium **qua** aut ad **iter** et **ancipitem dolum** aut ad elocutionem **mille viis** rettulit (**qua** = **quo** vel **quibus** vel **ubi**) aut pro elocutione finali **qua ratione** adhibuit. Huius generis exempla, in quae non iam est cur amplius incumbamus, ostendunt, quam exiguis et obscuris limitibus semanticis saepe adverbia inessiva & adessiva ab instrumentalibus & modalibus distinguantur.

Restat, ut leviter perstringatur coniunctio **ut** (sive **uti**), quae initio fuit adverbium modale eiusdem stirpis ac pronomina relativa et indefinita (< ***cuti** < ***quotei**) atque idem fere significans atque **quo modo** et **eo modo quo** et **qui** supra tractatum. Ei temporalis quoque usus est frequentissimus (= **ut primum**) atque multo rarior localis functio (= **ubi**). In verbis Chrysalis servi (Plaut. Bacch.815) **in eopse adstas lapide, u t praeco praedicat** existimaverim **ut** inter modalem et localem vim haerere (**ut** = **sicut** aut **in quo**, sc. **lapide**); apud Catullum autem duobus locis vis eius nisi localis (= **ubi**) esse non potest: 11,2-4 **in extremos penetrabit Indos, / litus u t longe resonante Eoa / tunditur unda;** 17,8-11 **Quendam municipem meum de tuo volo ponte / ire praecipitem in lutum per caputque pedesque, / verum totius u t lacus putidaeque paludis / lividissima maximeque est profunda vorago.**

4.5. ABLATIVUS CAUSAE

Antequam ablativum relinquamus, par est causalem quoque usum eius attingere. Primum quidem Handium secutus¹⁷ commemoro neutri generis formam **eo** saepe idem significare atque **ea re** vel **ob eam rem** vel **ideo** vel **propterea**. E numero exemplorum ab Handio prolatorum satis est pauca excerpere: Ter.Hec.238 **Enim lassam oppido tum esse aibant; e o ad eam non admissa sum;** Liv.23,19,10 **nocte et mittebantur et perveniebant; e o custodias hostium fallebat;** Tac.Ann.4,24,1 **Igitur Tacfarinas disperso rumore rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari e o q u e paullatim Africa decedere,...auget vires.** In his exemplis aliisque ab Handio commemoratis **eo** paene adverbium causale appellari potest.¹⁸

Praeterea notanda sunt enuntiata secundaria causalia, quibus eo excipi potest: Cato, Agr.6,4 **Nam convenit harundinetum cum corruda, e o q u i a foditur et incenditur et umbram per tempus habet**; Liv.9,2,4 **fidem auxere captivi, e o maxime, q u o d sermo inter omnes congruebat**; 21,10,11 **Hamilcarem e o perisse laetatus sum, q u o d, si ille viveret, bellum iam haberemus cum Romanis**. Pro quia et quod poni potest quin aut quo cum coniunctivo, si in praecedenti enuntiato primario eo negatur, id est si quis dicere vult aliquam causam aut nihil valuisse aut omnino non fuisse: Plaut.Trin.341 **Non e o haec dico, q u i n, quae tu vis, ego velim et faciam lubens**; Cic.Epist.Att.3,15,4 **Neque haec e o scribo, q u o te non meo casu maximo dolore esse adfectum sciam**. Finale quoque enuntiatum secundarium interdum pro correlato habet formam eo, e.g. Cic.Epist.Fam.13,69,1 **Haec ad te e o pluribus scripsi, u t intellegeres me non vulgari more nec ambitiose, sed ut pro homine intimo ac mihi pernecessario scribere**; De orat.3,49,189 **Sed e o te ne laudandi quidem causa interpellavi, n e quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo deminueretur**. In huius generis elocutionibus tamen saepe quaerendum est, nonne eo enuntiato secundario finali praemissum potius adverbium allativum pro ad id vel ad eam rem positum sit.¹⁹

Fortasse pluris hic refert, quod nonnumquam elocutio quare ablativus causae petrificatus ita usurpatur, ut eius loco potius pronomen relativum cum correlato congruens adhiberi exspectes, e.g. Nepos, Cato 2,3 **multas res novas in edictum addidit, q u a r e luxuria reprimeretur**, ubi quare aut ad omne enuntiatum praecedens refertur aut pro quibus (sc. novis rebus) positum est. Pariter mentione digni sunt duo loci in oratione Ciceronis pro Rosc.Am.: 14,41 **quaeramus, quae tanta vitia fuerint in unico filio, q u a r e is patri displiceret**, ubi quare aut pro ob quae aut pro ut positum est aut paratactice ad priorem quaestionem accedit et interrogativam vim habet; 33,94 **permulta sunt, quae dici possunt, q u a r e intellegatur summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi (quare = e quibus)**. Similiter usurpantur passim etiam elocutiones adverbiales quam ob rem et cur a Prisciano 17,168 et

18,255 commemoratae,²⁰ praesertim si pro correlato habent neutri generis formam (e.g. **quid, aliquid, multa**): Plaut.Aul.735-736 **Quid ego de te demerui, adulescens, mali, / q u a m o b r e m ita faceres** (quam ob rem = ob quod); Cic.Epist.Fam.3,10,1 **multaque mihi veniebant in mentem, q u a m o b r e m istum laborem tibi etiam honori putarem fore** (quam ob rem = quibus vel ob quae); 2,16,10 **quid ergo accidit, c u r consilium mutarem** (cur = ob quod); Hor.Od.1,16,17-19 **Irae Thyesten exitio gravi / stravere et altis urbibus ultimae / steterae causae, c u r perirent** (cur = ob quas vel de quibus).

In sermone vulgari posteriorum saeculorum usum adverbialem elocutionis **quare** etiam latius patuisse inter alia nonnullae inscriptiones aetatis imperatorum ostendunt, in quibus eandem fere vim habet atque **quia** vel **nam**, e.g. CIL IX 3473 **I<ta> tu qui legis, bona vita vive sodalis, q u a r e post obitum <n>ec risus <n>ec ulla voluptas erit. Have, Maximae, Mentem habae quod legeris, q u a r e vita morti propior fit cottidiae**. Ex hac functione evoluta est coniunctio Francogallica explanativa **car**, qua elocutio Latina **quare** etymologice continuatur.²¹

4.6. ACCUSATIVUS

Ne accusativus quidem omni contagione cum adverbis localibus caret. In elativis enim adverbis **illim** et **istim** et **utrimque** restat morphema **-m**, itemque in **hinc, illinc, istinc, inde, unde** (< ***him-ce, *illim-ce, *istim-ce, *im-de, *cum-de** < ***quom-de**) supersunt reliquiae huius morphematis, quod etymologice idem est atque **-m** in terminatione accusativi singularis occurrens; sed dubitari potest an nullam nominativam cum locali functione syntactica connexionem illud morphema habeat, quippe quod etiam in adverbis non localibus reperitur.²² Ex his nonnulla quidem temporalia, e.g. **iam, olim, tum, tunc** (<***tum-ce**), **cum** (<**quom**), haud longe a locali vi absunt, sed alia, velut **tam, quam, clam, palam, coram** etc. significatione potius modalia sunt.²³ Idem dici potest de adverbis in **-im** exeuntibus, quae e stirpibus et substantivorum

et verborum ducta sunt numerosissima, e.g. **furtim, partim, passim, pedetemptim, sensim.**

Ex adverbis supra commemoratis nullum aliud nisi **cum**, quod a stirpe relativa ductum paullatim in coniunctionem temporalem et causalem et concessivam mutatum est, in hac investigatione fusius observandum esse censeo. Eius quoque in evolutione syntactica aliquid videmus, in quo manifesta est similitudo cum usu adverbiorum localium (**unde** etc.) et modalium (**qui, qua**) et causalium (**quare, cur**) "commoditatis" causa adhibitorum; namque eadem ratione etiam **cum** ad correlata omnium generum et singularia et pluralia referri potest. Huius rei exempla et archaico aevo et postea praesertim apud Ciceronem plurima reperiuntur: Enn. Ann. fragm. 378-379 (Warmington I, p.140)²⁴ **Nunc est ille dies quo gloria maxima sese / nobis ostendat, si vivimus, sive morimur (quom = quo);** Plaut. Poen. 470-473 **occepi dicere, / lenulle, de illa pugna Pentetronica, / quo sexaginta milia hominum uno die / volaticorum manibus occidi meis (quom = in qua, sc. pugna);** Ter. Heaut. 1024-1026 **Si umquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi / fuerim, dictus filius tuos vestra voluntate, obsecro / eius ut memineris (cum = quo).** Admodum frequenter **tempus, cum...** pro **tempus, quo...** necnon **tempora, cum...** pro **tempora, quibus...** etiam classico aevo ponitur: Varro, Rust. 3,1,1 **fuit tempus, cum rura colerent homines neque urbem haberent;** Cic. Inv. 1,2,2 **fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur;** Caes. Gall. 6,24,1 **fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent;** Cic. Off. 1,10,31 **Sed incidunt saepe tempora, cum ea, quae maxime videntur digna esse iusto homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur;** cf. Liv. 9,33,3 **Permuli iam anni erant, cum inter patricios magistratus tribunosque nulla certamina fuerant (anni, cum... = anni, quibus...);** Verg. Aen. 1,283-285 **Veniet lustris labentibus aetas, / cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenae / servitio premet (aetas, cum... = aetas, qua...).** Nonnumquam **cum** tempus proficiendi designans pro **ex quo**, id est **ex eo tempore, quo** usurpatur: Cic. Off. 2,21,75 **Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea cum fuisset;**

Orator 51,171 iam anni prope quadringenti sunt, c u m hoc probatur; Verg.Aen.5,626-628 Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas, / c u m freta, c u m terras omnes, tot inhospita saxa / sideraque emensae ferimur (cum = ex qua, sc. aestate, vel ex quo, sc. anno aut tempore).

Nonnumquam Cicero in orationibus suis elocutioni tum (vel tunc) - cum elocutionem id tempus (vel eo tempore) - cum rhetorice opponit: Quinct.2,8 Ita fit, ut ego, qui tela depellere et vulneribus mederi debeam, t u m id facere cogar, c u m etiam telum adversarius nullum iecerit, illis autem i d t e m p u s impugnandi detur, c u m et vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit et medicinae faciendae locus non erit; Lig.7,20 ille e o t e m p o r e paruit, c u m parere senatui necesse erat; vos t u n c paruistis, c u m paruit nemo, qui noluit.

Plura exempla supra commemoratis similia - praesertim ex orationibus et epistulis Ciceronis nec non e quibusdam poetis excerpta - Lewis & Short in lexico suo proferunt sub vocabulo cum ea quoque re observata, quod praeter exempla, in quibus substantiva **annus, mensis, dies, nox, tempus, aetas** etc. manifesto correlata determinativa sunt elocutionis relativae cum, etiam alia occurrunt, in quibus cum non ita stricte ad substantivum praecedens refertur, sed laxius cum eo cohaeret epexegeticum quoddam enuntiatum secundarium inducens.²⁵ Nonnullos tamen locos, quos Lewis & Short inter prioris generis exempla enumerant, ego potius in posterioris (id est "epexegetici") generis exemplis collocandos esse existimaverim.²⁶ Similiter laxa est conexio enuntiatu primarii cum secundario apud Ciceronem in oratione Imp.Pomp.12,33 **quid ego...illam labem atque ignominiam rei publicae querar, c u m ...classis ea...a praedonibus capta atque oppressa est, ubi cum non directe ad labem atque ignominiam refertur, sed relativa quaedam elocutio subaudiri videtur (= ...labem atque ignominiam, qua affecta est res publica, cum ...classis ea...oppressa est).**

Praecipue notandum est cum relative positum a Cicerone in periodo (Orator 67,225) **Incisim autem et membratim tractata oratio in veris causis plurimum valet, maximeque eis locis, c u m aut ar-**

guas aut refellas. Hic **cum** pro (**in**) **quibus** vel **ubi** paene locali vi positum dici potest, dummodo meminerimus de locis orationis agi, qui singuli ordine temporis pronuntiantur.²⁷

E pluralibus accusativi formis petrificatis hic perscrutanda est **alias**. Hoc adverbium sine dubio est, ut ait Handius, "accusativi forma, qua extensionem, vel relationem ad aliquam rem indicamus"²⁸, morphologice quidem aliquatenus cum **foras** comparabilis, syntactice autem ei dissimilis; ad eam enim subaudiendum est aliquod plurale substantivum feminini generis (fortasse **vices** vel **horas** vel **res** vel **partes**). Temporalem plerumque vim habet (= **alio tempore**), sed interdum ab hac functione "transfertur ad locum et ad rem designandam"²⁹, id est in significationem **alio (in) loco, alibi** vel **alia in re** transit. Auctoritate omnium grammaticorum nisus Handius huius usus "nullum exemplum certum apud antiquiores scriptores exstare" dicit ac ne Ciceronem quidem "aliter nisi de tempore hanc vocem" in orationibus usurpasse contendit; ex epistulis autem et ex operibus philosophicis singula profert exempla: Epist.ad Att.16,1,7 **alii enim sunt a l i a s nostrique familiares fere demortui i.e. aliis in locis**, atque Fin.1,3,7 **facete is quidem, ut a l i a s**, ubi "vix potest de tempore intelligi".³⁰ Ad haec unum exemplum addiderim: Tusc.3, 21,51 **Sed cum istis a l i a s, et eo quidem animo, nullum ut certamen instituam, verum dicentibus cedam (alias = in aliis rebus)**. Frequentiora exempla in litteris posteriorum saeculorum occurrunt: Iustinus 4,1,7 **Nec mirum, si fabulosa est loci huius antiquitas, in quem res tot coiere mirae. Primum quod nusquam a l i a s tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam saevo (alias = alibi)**.³¹ Saepe **alias** velut haeret inter temporalem et localem vim; e.g. in versu Horati de natura saturae disserentis (Sat. 1,4,63) **Hactenus haec; a l i a s, iustum sit necne poema** paene nihili interest, utrum temporalem an localem huic adverbio tribuamus significationem. Utra ratione potius accipiendum sit, haud raro ex oppositis colligi potest. Porphyrio ad Hor.Sat.1,10,53 **cum a l i a s tum vel maxime in tertio libro** scribens manifesto localiter adverbium adhibet (= **cum in aliis libris tum in tertio libro**); auctor autem Rhetoricorum ad

Herennium, cum 3,16,28 **Placet enim nobis esse artificium memoriae - quare placeat, a l i a s ostendemus; in praesentia, cuiusmodi sit ea, aperiemus** scribit, adverbio **alias** elocutionem in praesentia opponens potius temporalem vim dat,³² itemque Cicero in Fin. 1,7,28 et 5,26,77, ubi eidem adverbio **nunc** opponit. At ne in his quidem exemplis localis vis ab adverbio **alias** est prorsus aliena; pro eo enim non solum **alio tempore**, sed etiam **alio loco** scribi poterat (vel **in alio conexu** aut **alia occasione**, ut in recentiore Latinitate dici solet).

Exemplum sui generis est Apul.Dogm.Plat.1,13,208 **nam prudentiam sensusque omnes non a l i a s quam illa parte corporis contineri**, ubi **alias**, si recte traditum est,³³ idem significat atque (in) **alia parte**, id est inter localem et instrumentalem vim velut vacillat.

Nec desunt exempla adverbii **alias** modalis aut causalis vi adhibiti. Praesertim notanda est formula **non alias quam** sive **non alias nisi**, quae Handio e vulgari sermone videtur desumpta esse,³⁴ sed aetate imperatorum in litteris quoque haud raro occurrit:³⁵ Curt. 8,1,24 **debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, iacuisse non a l i a s quam simulatione mortis tutiorem (alias = alia ratione)**; Ulp.Dig.33,8,8, § 8 **Iulianus a l i a s accipiendum legatum peculi ait, si ipsi servo legetur (alias = aliter vel alio modo)**. In Tac.Ann.3,73,2 **non a l i a s magis sua populi Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret** causali potissimum vi **alias** adhibitum esse ex eo apparet, quod ei oppositum est enuntiatum secundarium causale **quod desertor...ageret**; cf. 16,1,2 **Dido Phoenissam illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret aut reges Numidarum, et a l i a s infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur (alias = aliis de causis vel alioquin)**. Limitativa quoque functio illius adverbii existimari potest, sicut Plin.Nat.hist.25,5,11 **Homerus quidem, primus doctrinarum et antiquitatis parens nullus a l i a s in admiratione Circes, gloriam herbarum Aegypto tribuit (alias = alioquin vel ceterum vel in aliis rebus)**; Apul.Metam.9,5,4 **Tunc mulier...hominem**

dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed a l i a s vacuum, dissimulanter abscondit; Macrob. Sat.5,19,2 sicut vir a l i a s doctissimus Cornutus existimat (alias = alioquin vel ceterum).³⁶

Ab instrumentali sive modali significatione, ut supra ablativi functiones perscrutati vidimus, haud longe abest prolativus usus, quem in infima Latinitate **alias** in lingua iuridica interdum sorti-
turi videtur, e.g. Ulp.Dig.47,2,10 **fures ab eo non inducti, sed a l i a s ingressi (alias = alia ratione vel alia via); Paul. Dig.10,3,19, § 1 qui de vestibulo liceri cogatur, necesse habeat interdum totarum aedium pretium facere, si a l i a s aditum non habeat (sc. quam per commune vestibulum binarum aedium).**³⁷

Iam praehistorico aevo casus priscus ad quaestionem **quo?** respondens, lativus sive "Zielkasus" sive "Akkusativ der Richtung" vocatus,³⁸ cum "proprio" accusativo videtur confusus esse. Eius reliquiae sunt, praeter adverbium **foras** supra dictum, etiam elocutiones locales **Romam, Carthaginem, Athenas, domum, rus** etc. atque accusativus supini (e.g. **salutatum, consultum**). Pronominalia autem adverbia localia illativa & allativa **huc, illuc, illo(c), istuc, isto(c), eo, quo** etc., quae in sequentibus paginis examinantur, ex hoc accusativi ramo, ut ita dicam, nihil morphologicae hereditatis sortita sunt. Quaecumque enim origine etymologica sunt, cum accusativo certe nullam habent cognationem morphologicam.

4.7. DATIVUS

Saeculo undevicesimo in doctrinam, quae Theodisce "lokalistische Kasustheorie" vocatur, multi philologi paene iurabant. Nostro autem saeculo investigatores tali doctrina destiterunt; e.g. dativo, quem nonnulli initio localem casum fuisse contendebant,³⁹ hodie vix quisquam iam talem originem tribuit.⁴⁰ Fortasse illa doctrina factum est, ut praeterito saeculo viri docti contra, atque hodie, in ortu adverbiorum localium illativorum et allativorum supra dictorum vix ullum problema invenirent. Handius in Turselli-

no⁴¹ nequaquam dubitans dicit usum adverbii **eo** "nos ad ea tempora antiquissima" revocare, "quibus dativo et ablativo una erat forma, et **eo loco** etiam pro **ei loco** dicebatur". Itidem ait Forcellini⁴² **eo** "proprie" esse et dativum pronominis **is, ea, id** et ablativum eiusdem pronominis adverbii more usurpatum. In dativo de "antiqua forma" agi, quam Forcellini ita explicat: "veteres enim **eo** dixerunt in Dativo pro **ei**, ut patet ex Inscript.apud Murat. 582; ac praeterea Priscian.6.p.694. Putsch docet, vetustissimos solitos fuisse omnium Genitivum in **ius** terminantium et in **i** Dativum, etiam in **i** Genitivum et in **o** Dativum in genere masculino et neutro proferre." Simili ratione dicit **quo** proprie esse dativum et ablativum "ab antiqua communi forma **quoi**" eformatum et "adverbii more" adhibitum.⁴³

Recentiorum autem investigatorum multi longe aliter existimant. Ex his imprimis commemoretur A.Ernout. Is septimam editionem Syntaxis Latinae, quam ultimis decenniis prioris saeculi scripserat O.Riemann, curans multos locos eius recensuit et correxit; e.g. explicationem de ortu adverbii **quo** Riemannianam, quae eadem fere est ac Forcelliniana, Ernout notat iam omnino reiectam esse.⁴⁴ Idem in tertia editione revisa et correcta operis sui **Morphologie historique du latin** (1974), postquam adverbia localia **isti(c)** et **illi(c)** veteres locativos esse commemoravit et quaedam etiam de adverbiiis **hic** et **ibi** addidit, ita scribere pergit:⁴⁵

"**Illuc, istuc, huc** peuvent également représenter d'anciens locatifs à diphtongue **-oi-** alternant avec **-ei-**; **illuc** de **illo-i-ce**, etc.; **illo, illoc, isto, istoc, hoc, eo, quo**, seraient d'anciens ablatifs masculins-neutres..."

Etiam Walde & Hofmann illa adverbia pro dativis singularibus accipi posse negantes originem eorum partim a vetere instrumentali, partim a locativo quodam directionis (Theodisce: "Lokativ der Richtung") repetunt:⁴⁶

"Mit Skutsch Gl.1,319 f. (= Kl.Schr.359 f.) in ***hō eō quō illō istō** Dative Sg. zu sehen, wird durch u. **ulo** 'illuc', **pu-e** 'quo', **podruh-pei** 'utrōque' usw., die in der Bildung von **illō** usw. nicht zu trennen sind,

verwehrt (vgl.v.Planta II 191 f.). Man wird also mit Solmsen a.O. in **hōc hūc** zwei verschiedene Formen zu erblicken haben; **hōc** wie **illō(c)** **istō(c)** **eō** usw. und umbr.**ulo**, **pu-e** usw. alte Instrumentale (v. Planta a.O. m. Lit.), **hūc** aus ***hoi-ce** (entsprechend **illūc** usw.) Lok.der Richtung wie gr. **πῶ** "wohin", **ὄ** "wohin", ablaut. mit **hīc** "hier" aus ***hei-ce** (Kretschmer KZ.31, 461 f., Conway IF.4,213 f., Brugmann IF.17,172¹. II² 2, 180.364.707; anders Meillet MSL.20,89 f., der mit **πῶ** l. **quo** aus ***-oi** und arm. **y-o** 'quo' aus ***-oi** verbindet)..."

Ceterorum lexicographorum alii rem aliter iudicant: F.A.Heinichen (1931)⁴⁷ adverbia **eo** et **quo** sub singulis lemmatis exhibens hoc protinus ablativum pronominum **quis** et **qui** esse scribit, illud autem tantummodo "casum pronominis **is** adverbialiter adhibitum" definit; dativi neutro loco ullam facit mentionem. Georges vero ac Lewis & Short et in **eo** et in **quo** non modo ablativi, sed etiam dativi veteris formam vident.⁴⁸ In Oxoniensi Dictionario Latino itidemque in Dictionario etymologico linguae Latinae ab Ernout & Meillet conscripto eadem adverbia sub binis exhibentur lemmatis: sub unis usus illativus & allativus eorum exponitur sine exacta mentione, quo e casu eae, de quibus agitur, formae sint evolutae; sub alteris lemmatis eorundem instrumentali origine usus illustratur praecedente expressis verbis mentione has formas ablativos veteres esse.⁴⁹ Ex hoc patet auctores operum supra dictorum saltem dubitavisse, an adverbiorum vim illativam aut allativam habentium origo non ab ablativo repetenda esset.

Equidem neque hanc dubitationem vanam esse et iis, quae Forcellini Prisciano et inscriptionibus nisus de veteribus genetivi et dativi formis pronominis **is** refert, nonnihil ponderis tribuendum censeo, praesertim cum in feminino quoque genere vestigia talis archaicae flexionis reperiantur⁵⁰ et, ut ipse Ernout commemorat⁵¹, etiam similes dativos archaicos **isto**, **illo**, **istae**, **illae** fuisse constat. Cur denique forma ***illo-i-ce**, ad quam **illuc** referenda est, necessario locativus priscus fuerit, non intellego. Nihil impedire existimo, quominus pro prisco accipiatur dativo, qui praeter formam **illuc** etiam aliam prolem genuerit: ***illo-i-ce** > **illo(c)**, sicut in secunda declinatione vetus terminatio dativi

singularis **-*oi** in **-o** mutata est.⁵² Ad hoc refellendum, quod intellegam, adverbia Umbrica, quae Walde & Hofmann commemoraverunt, vix sufficiunt.

Quod adverbia localia **huc, illuc, eo, quo** etc. e formis dativi singularis nasci potuisse iudico, hoc non ita accipi oportet, ut dativo omnino localem tribuam originem. Equidem id tantum contendo, dativum saepe quibusdam elocutionibus localibus - scilicet illativis et allativis - syntactice tam propinquum esse, ut cum iis quasi in communi area versetur, eoque fieri, ut facile et elocutio illativa aut allativa in dativi fines transgrediatur et vice versa.⁵³ Utriusque generis reperiuntur exempla - partim eadem, quibus quondam nonnulli viri docti localem originem dativi ostendere conabantur.

Primum quidem commemoretur res, cui tractandae Löfstedt septem paginas dedicavit,⁵⁴ aemulatio quaedam iam archaico aevo inter dativum et praepositionem **ad** cum accusativo adhibitam orta. Hanc elocutionem praepositionalem Löfstedt recte notat a locali significatione profectam esse. Ea quibusdam locis Plautinis et Terentianis (e.g. Capt.1019 **ego hunc ob furtum a d c a r n u f i c e m d a b o** et Phorm.653 **in servitute[m] pauperem a d d i t e m d a r i**) admodum perspicua superest, sed iisdem locis elocutiones praepositionales haud procul a dativi functione absunt. Conferantur inter se alii quidam loci, e.g. Plaut. Amph.809 **haec me modo a d m o r t e m d e d i t** et Merc.472 **ibi me toxico m o r t i d a b o**, itidemque Capt.360 **quae a d p a t r e m v i s n u n t i a r i** et Capt.400 **numquid aliud v i s p a t r i n u n t i a r i?** Apud ipsum Ciceronem - et quidem in eadem periodo - **ad** cum accusativo et dativus similem functionem syntacticam habentes inter se opponuntur in oratione pro Fonteio 21,48 **Tendit a d v o s v i r g o V e s t a l i s m a n u s s u p p l i c e s e a s d e m, q u a s p r o v o b i s d i s i m m o r t a l i b u s t e n d e r e c o n s u e v i t.**

Talia exempla et exemplorum paria Löfstedt complura profert, e quibus patet non solum post verba **dare** et **nuntiare** et **tendere**, sed etiam post alias elocutiones plus minus similes modo dativum, modo praepositionem **ad** cum accusativo poni sine multa diversitate

semantica, monetque posterioribus saeculis numerum et varietatem exemplorum paullatim crescere ac terminum quendam evolutionis esse Romanicam formationem dativi ("die romanische Dativbildung") sive elocutiones praepositionales linguarum Romanicarum (a Italicum & Hispanicum atque à Francogallicum etc.).

Idem contrariae quoque evolutionis mentionem facit, quae effecit, ut usus dativi eo penetrare inciperet, ubi vis localis elocutionis potius praepositionem ad (vel in) cum accusativo requireret. Huius generis "dativum directionis" praecipue in poesi Augustae aetatis, nominatim apud Vergilium, frequentissimum esse docet. In numero exemplorum ex Aeneide desumptorum 2,688 **c a e l o p a l m a s c u m v o c e t e t e n d i t** cum elocutione Ciceroniana supra dicta Or.Font.21,48 **t e n d i t . . . d i s i m m o r t a l i b u s** comparari potest. Pro aliis exemplis proferantur haec: 5,451 **i t c l a m o r c a e l o**, 6, 176-177 **a r a m q u e s e p u l c r i / c o n g e r e r e a r b o r i b u s c a e l o q u e e d u c e r e t e m p t a n t** (caelo = ad caelum); 2,553 **l a t e r i c a p u l o t e n u s a b d i d i t e n s e m** (lateri = in latus), 6,126 **f a c i l i s d e s c e n s u s A v e r n o** (Averno = in Avernum); Hor.Od.4,7,1-2 **D i f f u g e r e n i v e s , r e d e u n t i a m g r a m i n a c a m p i s / a r b o r i b u s q u e c o m a e** (campis = in campos et arboribus = in arbores); Ovid.Metam. 4,91-92 **l u x , t a r d e d e c e d e r e v i s a , p r a e c i p i t a t u r a q u i s** (aquis = in aquas). Assentior quidem viris doctis talem dativum localem imprimis poeticae naturae esse neque pro testimonio originis localis dativi cedere, sed tanta frequentia exemplorum, qualibus ne prosa quidem oratio vulgaris notae, velut Bellum Hispaniense, omnino caret,⁵⁵ videtur pro sua parte id confirmare, quod supra scripsi de dativo et quibusdam elocutionibus localibus interdum quasi in communi area semantica versantibus.⁵⁶

In posteriore et infima Latinitate interdum tam peculiaria occurrunt exempla dativi localis sive directionem indicantis, ut ea fortasse "hyperurbana", sicut aiunt, existimari possint, id est ut, qui scripsit, dativum in locum elocutionis praepositionalis perperam substituerit veritus, ne haec parum videretur elegans.⁵⁷ Aliter vix intellegi possunt quidam dativi directionis in Versione Vetere Latina Novi Testamenti occurrentes, e.g. Marc.2,11 **v a d e**

d o m u i t u a e, ubi dativus in locum solitae elocutionis praepositionalis in textu Graeco adhibitae (*Εἰς τὸν οἶκόν σου*) substitutus est; in Versione Vulgata eodem loco rursus elocutio praepositionalis (**in domum tuam**) occurrit. Similiter dativus pluralis **Hierosolymis** bis in Versione Vetere Latina positus (**Matth. 16,21 ire Hierosolymis** et **21,10 cum intrasse Hierosolymis**) postea in Versione Vulgata in singularem accusativum directionis (**Hierosolymam**) mutatus est.⁵⁸ Exempla dativi liberius adhibiti in litteris seriorum saeculorum varia occurrunt, velut **Vict.Vit.3,39 Carthagini revocavit** et **3,19 restituet vos ecclesiis vestris**. Ea quoque testimonia sunt diuturni inter dativum et elocutiones illativas allativasque "coniugii" semantici; quae examinantes tamen memoria teneamus oportet illis saeculis iam omne systema casuum Latinorum in sermone populari obscuratum esse.⁵⁹

Redeo ad adverbia **eo** et **quo** illative et allative adhibita. Non dubitandum esse censeo, quin origo eorum potius a prisco dativo quam ab ablativo repetenda sit, quamquam eandem formam etiam **eo** et **quo** instrumentali vel causali vi usurpata habent. Nonnumquam haec duo adverbiorum genera exiguo tantum limite semantico inter se discernuntur, sed plerumque distinctio eorum non est obscura. E.g. Sallustius scribens in **Catil.52,11 e o res publica in extremo sita est** ablativo pronominis id causas modo commemoratas (quia bona aliena largiri libertas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur) designat;⁶⁰ idem alio loco, **Iug.24,10, e o natus sum, ut Iugurthae scelerum ostentui essem** adverbium **eo** pro ad id adhibet vel pro dativo fere commodi (= **ei rei**); enuntiatum secundarium subsequens (**ut...essem**) non ad res praeteritas refertur, sed futuras indicat, non causalem, sed finalem vim habet, quae plerumque aut dativo aut praepositione **ad** cum accusativo exprimitur; cf. e.g. **Ter.Adelph.545 me credo h u i c esse natum r e i, f e r u n d i s m i s e r i i s**; **Hor.Ars poet.80-82 hunc socci cepere pedem.../.../...natum r e b u s a g e n d i s**; **377 a n i m i s natum inventumque poema i u v a n d i s**; **Cic.Or. Prov.cons.5,10 Iudaeis et Syris, nationibus natis s e r v i t u t i**; **Fin.2,13,40 Hi non viderunt, ut a d c u r s u m equum, a d a r a n d u m bovem, a d i n d a g a n d u m ca-**

nem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intellegendum et ad agendum esse natum; 5, 22,63 Quid loquor de nobis, qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus?; Off.3,8,35 ad honestatem nati sumus; Or.Harusp.resp.4,6 Scipio natus mihi ad interitum exitiumque Carthaginis; Seneca, Const.sap.1,1 cum...altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit. Itidem Livius adverbium alio elocutionibus finalibus ad sacrificandum et ad serviendum iuxtaponit: 4,54,7 liberos..., qui...nusquam alio quam ad sacrificandum pro populo relinquuntur; 7,18,7 sed pars altera, in aeterno imperio locata, plebem nusquam alio natam quam ad serviendum putet.⁶¹ Aliquatenus cum verbo nasci comparari potest elocutio opus est, ad quam aut dativus aut ad cum accusativo aut interdum pro iis adverbium allativum accedit: Liv.1,41,1 quae curando vulneri opus sunt; 37,18,10 quae ad transitum Hellesponti opus essent; 27,28,5 parati milites essent, qui in praesidio erant, si quo opera eorum opus esset. Ernout quidem in hoc ultimo exemplo quo ablativum respectus (ablatif de point de vue) esse credit.⁶² Loci paralleli Liviani supra dicti tamen aliam potius explicationem suadent, scilicet quo adverbium esse allativum idemque valere atque cui rei vel ad quam rem.⁶³

Denique breviter attingendum est verbum nubere, cui et dativus et elocutio localis illativa annecti potest: Catull.70,1-2 Nulli se dicit mulier mea nubere malle, / quam mihi; Cic.Or. Cael.14,34 Cum ex amplissimo genere in familia mclaris sima nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit?. Quare Plautus, cum scribit (Aul.489-491) "Quo illae nubent divites / dotatae, si istuc ius pauperibus ponitur?" / Quo lubeant, nubant, dum dos ne fiat comes, adverbium quo aut pro in quas familias aut pro quibus viris adhibet. Etiam verbo composito innubere et dativus et elocutio localis regi potest: Ovid.Metam. 7,856 ne thalamis Auram patiare innubere nostris, Liv.1,34,4 Tanaquil summo loco nata et quae haud facile iis, in quibus nata erat, humiliora sineret ea, quo innupsisset. Hic

non de propria tantum transitione ex uno loco in alium agitur, sed adverbium **quo**, quod elocutioni praepositionali **in quae** respondet,⁶⁴ idem fere valet atque **in quas condiciones vitae**, omni-que periodo Livius dicere vult non nisi regium virum idoneum fuisse, **cui** Tanaquil nuberet.

4.8. ELOCUTIONES PRAEPOSITIONALES ET POSTPOSITIONALES

Inter dativum et praepositionem **ad** cum accusativo usurpatam aemulatio, quam supra attigi, non est res in genere suo unica. Procedente evolutione linguae, ut notum est, in aliis quoque casibus similia fiebant. Praepositio **de** cum ablativo adhibita genetivum in variis functionibus eius paullatim depulit,⁶⁴ quod in plurimis linguis Romanicis etiam hodie apparet. In tertio capitulo monui Livium, cum pro nudo ablativo separativo (e.g. **Carthagine**) elocutionem praepositionalem (**ab Carthagine**) perspicuitatis causa usurparet, campum semanticum praepositionis **a, ab** amplificavisse.⁶⁶ Hic addiderim iam Plautum in Pseud.730 quidem **Carysto**, sed paulo post (Pseud.737) **ex Carysto** scripsisse atque Catonem Agr. 135,1 **ex Venafro**. Etiam locativo et accusativo directionis in sermone populari pariter exstiterunt aemulae elocutiones praepositionales. Plautus et **in Epheso** (Mil.glor.441) et **Ephesi** (ibid. 648) dicit idemque in prologo Menaechmorum modo nudum accusativum **Epidannum** (Men.51) vel **Epidannium** (Men.33) atque **Syracusas** (Men. 37), modo elocutionem praepositionalem **in Epidannum** (Men.49 et 70) adhibet. Porro praepositiones **apud** et **ad** nonnumquam etiam internam localitatem exprimentes iam attigi.⁶⁷

Instrumentali origine ablativus varias elocutiones praepositionales "in iura paterna recepit" (cf.Hor.Ars poet.256); e.g. **quem ad modum, de improvise, quam ob rem, per iocum** idem fere valent atque **quo modo, improvise, quare, ioco**.⁶⁸

In hac varietate elocutionum praepositionalium mihi vix operae pretium est diutius commorari; potius de origine earum pauca sunt disserenda. Ut inter alios Leumann-Hofmann-Szantyr et Ernout-Tho-

mas adnotant,⁶⁹ praepositiones initio nihil erant nisi particulae syntactice adverbiorum similes, quae nullum certum casum nominum regebant, sed admodum libere in enuntiato pro additamentis fungebantur ad summam eius exactius definiendam aut quo clarior aliqua in eo elocutio fieret. Hoc multis e rebus patet: primum quod earundem particularum plurimae non modo nominibus praepositae, sed etiam verbis et adverbis praefixae occurrunt (**ab-ducere, ad-ire, pro-ferre, trans-igere** etc.; **ab-hinc, ad-eo, inter-ea, post-hac** etc.),⁷⁰ deinde quod nonnullae earum (e.g. **ante, contra, infra, post, prope, supra**), cum paullatim in praepositiones mutarentur, tamen adverbialem quoque usum conservabant. Revera eae ipsae praepositiones, quae in communi sermone adverbialia esse desierunt, interdum testimonia proferunt originis suae adverbialis, ut **ad** pro **paene** vel **fere** vel **circiter** adhibita⁷¹ et **praeter**, quae quibusdam locis non quidem longe a praepositionali usu distans tamen pro accusativo alios quoque casus sibi adiungi patitur.⁷² In Peregrinatione Aetheriae idem **praeter** etiam adverbii **praeterea** vicem gerit.⁷³

Syncretismo casuum sive veteribus casibus paullatim concrenentibus factum est, ut numerus eorum minueretur. Tum quibusdam casibus - praesertim accusativo et ablativo - novarum significatorum multitudine oneratis necesse erat has aliqua ratione distinguere. Id ipsum faciebant eae particulae, quae paullatim nominibus in certo casu positae semper adiungi coeptae erant, id est in praepositiones mutatae. In quibusdam elocutionibus haec evolutio diu velut in medio constitit. In enuntiato Plautino Cas.763 **omnes festinant i n t u s t o t i s a e d i b u s** particula **intus** adverbium est cum ablativo **totis aedibus** coniunctum atque hoc, ut ita dicam, epexegetice completur. Quamquam igitur non habet prorsus praepositionalem functionem (cf. e.g. Trin. 12 **qui i n h i s c e h a b i t a t a e d i b u s**),⁷⁴ tamen ab ea non longe abest. Adverbium frequenter pro parte certae elocutionis usurpatum facile paullatim minoris in ea ponderis fit. Apud Vergilium, qui Aen.7,192 **tali intus templo** scribit, idem **intus** iam praepositionis, quae dicitur, impropriae partes agit et a particula Theodisca **innerhalb** eo tantum differt, quod non genetivum, sed ablativum regit. Cum

genetivo **intus** demum Apuleius coniungit, qui Met.8,29,6 **intus aedium** scribit videlicet, ut aiunt Ernout & Meillet,⁷⁵ exemplar Graecum secutus. Utique, quamquam **intus aedium**, quod ad structuram attinet, e.g. cum elocutione Theodisca **innerhalb des Hauses** optime comparari potest, tamen ne in hac quidem elocutione particulam **intus** nisi impropriad vocaverim praepositionem; immo pro **intus aedium** aequaliter **in interiore parte aedium** dici posse existimaverim, id est **aedium** partitivum esse genitivum, quo adverbium locale **intus** compleatur.⁷⁶ In veram praepositionem **intus** numquam mutatur - nisi forte evolutionem eius usque ad linguam Francogallicam persequimur, in qua praepositionem usitatissimam **dans** invenimus. Haec ex adverbiali elocutione serae Latinitatis **de intus** orta est. Elocutio **de foris**, cui **de intus** duobus locis Vulgatae (Luc.11,7 et 11,40) opponitur, adverbio Francogallico **dehors** continuatur. Ambae hae elocutiones in seriore Latinitate passim occurrentes sunt exempla adverbiorum e praepositione et adverbio simplici compositorum, qualia supra⁷⁷ attigi. In lingua Francogallica similis evolutio continuatur. E praepositione **dans** ortum est adverbium **dedans**, quod in praepositionis quoque functione ante 17^{um} saeculum particulae **dans** anteferebatur⁷⁸: ex hoc autem formata est elocutio adverbialis **de dedans**. Particula **hors**, qua **foris** continuatur, pro praepositione quadam impropria fungi potest (e.g. **hors-concours** 'extra certamen', cf. it. **fuori concorso**) atque **dehors**, sive pro substantivo sive pro adverbio adhibetur, plerumque ad aliquam praepositionem accedit (**du dehors**, **de dehors**, **en dehors** etc.).

Quae de origine et evolutione praepositionum disserui, mutatis mutandis in postpositionibus quoque valent, quarum in lingua Latina multo minor est quam praepositionum numerus. Pro exemplis earum cedunt ablativi **causa** et **gratia**, qui paullatim in postpositionalem usum transeunt item atque adverbium **ergo**.⁷⁹ His multo rarior est postpositio **fini** vel **fine**. Primum proferantur duo loci archaici aevi scriptorum, quibus eam praecedit ablativus. In iis dubitari potest, utrum substantivi an postpositionis vis praevaleret: Plaut.Men.859 **o s s e f i n i dedolabo assulatim viscera** (**osse fini** = 'ita, ut os finis sit dedolandi' = usque ad

os);⁸⁰ Cato, Agr.28,2 **postea operito terra r a d i c i b u s f i n i** (= 'ita, ut radices limitem faciant operiendi' = usque ad radices sive radicibus tenus).⁸¹ Item postea alter scriptor agriculturae peritus Columella dicit 5,11,5 **e a ... f i n e , q u a a d r a s e r i s s u r c u l o s , . . . i n s e r i t o** (ea fine, qua = usque eo, quo). Alioquin autem, exceptis elocutionibus **qua fini** (Cato, Agr. 21,3 et 154, Carm.Epigr.186,4, Gell.1,3,16 et 4,1,6) et **quo fine** (Augustin.Civ.Dei 5,14, Dombart I, p.219,lin.29), quarum illa idem fere valet atque **quatenus** vel (**usque**) **ad quem finem**, haec etiam pro **ad quam rem consequendam** accipi potest, **fini** prope semper cum genetivo coniungitur: Cato, Agr.113,2 **amphoras nolito implere nimium, a n s a r u m i n f i m a r u m f i n i** (id est ...usque ad ansas infimas); Bell.Afr.85,1 **per mare u m b i l i c i f i n e i n g r e s s i t e r r a m p e t e b a n t** (umbilici fine = usque ad umbilicum); Ovid.Epist.Pont.1,4,27-28 **Ille est in Pontum Pelia mittente profectus, / qui vix T h e s s a l i a e f i n e t i m e n d u s e r a t**. In hoc ultimo exemplo fine simul et substantivi et postpositionis naturam habet. Postquam enim dixit poeta Iasonem in Pontum profectum **in Thessaliae finibus** iam vix cuiquam fuisse metuendum, suam sortem huic rei opponit: sibi nocuisse iram Caesaris Octaviani Augusti, "quem solis ab ortu / solis ad occasus utraque terra tremit", id est qui imperium suum non tantum **usque ad Thessaliam**, sed multo longius protulisset. Apud Augustinum **fine** non solum postpositionis, sed etiam praepositionis - impropriae quidem - vice fungitur, e.g. in Civ.Dei 5,13 (Dombart I, p. 218, lin.11-13) ille mentionem facit Ciceronis de talibus studiis loquentis, quae **sectanda sunt f i n e v e r i b o n i , n o n v e n t o s i t a t e l a u d i s h u m a n a e**. Hoc in conexu **fine veri boni** idem fere valet ac **veri boni consequendi causa**;⁸² at hic quoque e substantivi natura vocabulo **fine** aliquid superest, quippe quod ablativo **ventositate** oppositum sit.

In lingua Francogallica exstat quidem vocabulum **fin**, sed et adverbiali et praepositionali et postpositionali usu omnino caret. In Italica autem lingua est praepositio impropria **fino (a)**, quae saepe in formam **fin** corripitur, e.g. **fin allora** (cf. lat. **usque ad illam horam**). Ea cum haud multum differat ab elocutione Latina

supra exposita **fini / fine** + gen., in hac organicas quasdam radices syntacticas habere potest.

Videmus ergo singulas partes orationis res nequaquam stabiles esse, sed admodum mobiles: e casibus substantivorum adverbia fieri posse atque ex his praepositiones et postpositiones, quarum in usu tamen nonnumquam vestigia veteris functionis maneant. Adde unum exemplum, quod fortasse artius, quam supra prolata, cum argumento huius ipsius investigationis cohaeret. Particula **quoad** initio est adverbium interrogativum et relativum, e duabus aliis particulis compositum, e quibus prior, **quo**, est adverbium locale illativum vel allativum, posterior autem, **ad**, non solito more praepositionis, sed potius suffixi vicem gerit, excepto fragmento Afranii Com.249 **ni tantum amarem...patrem, iratus essem a d q u o liceret**. Utique adverbium **quoad** saltem in archaica Latinitate in functione praepositionalis elocutionis (**usque**) **ad quem** vel (**usque**) **ad quam** occurrit: Plaut.Men.769 **verum est modus tamen q u o a d pati uxorem oportet**; Pseud.622-623 **olim, quom abiit, argento haec dies / praestitutast, q u o a d referret nobis**; Lucr.5,1213-1214 **ecquae sit finis, q u o a d moenia mundi / solliciti motus hunc possint ferre laborem**; substantiva, ad quae in his exemplis **quoad** refertur, sunt **modus** et **dies** et **finis**. Etiam adverbium correlatum esse potest: Cic.Leg.1,4,14 **ius civile eatenus exercuerunt, q u o a d populum praestare voluerunt**. In interrogativo quoque usu (e.g.Ter.Phorm.147-148 **senem / q u o a d exspectatis vostrum?**) adverbium eandem fere vim habet atque elocutio **quem ad finem** (Cic.Or.Catil.1,1,1). Etiam cum nullum adest vocabulum, quod pro exacto correlato cedat, **quoad** nonnihil adverbialis suae naturae servare potest (= **quantum**), sed paulatim in coniunctionem temporalem mutatur (= **dum** vel **donec** vel **quamdiu**): Plaut.Asin.296 **Iubeo te salvere voce summa q u o a d vires valent**; Cic.Arch.1,1 nam **q u o a d longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens hunc (sc. Archiam) video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse**; De orat.2,72,291 **ad causam sum aggressus atque omnia cogitando, q u o a d facere potui, persecutus**. Apud

Caesarem **quoad** iam pro coniunctione potius quam pro adverbio habendum est, e.g. Gall.4,11,6 **si ipsi lacesserentur, sustinerent, q u o a d ipse cum exercitu propius accessisset; 4,12,5 ipse equo vulnerato deiectus, q u o a d potuit, fortissime restitit.**

Quando nata sit elocutio in recentiore Latinitate admodum usitata, in qua **quoad** praepositionalem habet naturam, e.g. **quoad hos libros** pro **quod ad hos libros attinet**, parum constat. Plurima lexica, in quibus talis elocutio omnino invenitur, docent **quoad** in litteris antiquis perraro praepositionaliter adhiberi et quidem illa ipsa paucissima exempla incerta esse. Duobus locis Forcellini & alii⁸³ credunt librarios "**quoad...ex quod ad** perperam exscripsisse": Varro, Ling.Lat.8,46,46 **Haec singulatim triplicia esse debent, q u o a d sexum, multitudinem, casum**); Gaius, Dig. 41,1,3 **Nec interest, q u o a d feras bestias et volucres, utrum in suo quisque fundo capiat an alieno.** Tertius locus est Liv.42, 6,6 **regem excusavit, quod stipendium serius, q u o a d diem, praestaret;** hanc codicis Vindobonensis Latini 15ⁱ scripturam plerique editores corruptam esse existimantes pro **quoad diem** scribere malunt **quam ad diem.**⁸⁴ Quare, etsi in mediaevalibus et recentioribus litteris certa occurrunt exempla particulae **quoad** praepositionaliter adhibitae,⁸⁵ tamen Forcellini loco supra citato suadet, "ut, quoad certiora invenias, **quoad** hac ratione usurpare abstineas". Du Cange quoque talem usum eius dissuadet: "**quoad** pro **quod attinet ad** barbarum esse, licet familiare recentioribus", iam viros doctos observavisse.⁸⁶

4.9. DE QUAESTIONUM 'UBI?' ET 'UNDE?' ET 'QUO?' CONFUSIONE

Haud raro limites, quibus elocutiones ad quaestiones **ubi?** et **unde?** et **quo?** respondententes inter se distinguuntur, obscurari videntur. Iam in archaici aevi litteris occurrunt exempla praepositionis **a,ab** non proprie motum ab aliquo loco, sed potius statum in aliquo loco indicantis aut quodam modo inter has duas notiones versantis: Plaut.Merc.477 **Omnia ego istaec auscultavi a b o s - t i o** (id est **stans ad ostium**), Rud.1100-1101 **"Omnia istaec ego**

facile patior, dum hic hinc a me sentiat." / **"Atqui nunc abste stat..."** Hoc elocutionum genus - stare / sentire ab aliquo - a Charisio notatur (Inst.gramm.2, Keil I, p.232, lin. 21): "Item ab duplex est, nam et pro ἀπό et pro ἐπί apud nos accipitur."

Aevo classico etiam e,ex simili ratione ponitur: Cic.Or.Catil.2, 11,25 **Ex hac enim parte pudor pugnat.** In huius generis elocutionibus plerumque de duabus partibus inter se dimicantibus agitur, quod usum praepositionum a,ab et e,ex faciliorem intellectu reddit; iis enim simul, ubi singularum partium "milites" constiterint et unde ad pugnam prodeant, exprimitur. Itidem etiam adverbium elativa & ablativa in aream inessivam & adessivam transire possunt; e.g. enuntiato Ciceroniano modo citato opponuntur verba ad coniuratos Catilinae relata **illinc petulantia**; deinde longa sequitur series "causarum ipsarum inter se confligentium" atque adverbiorum hinc et illinc pari ratione oppositorum: **hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc pudicitia, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudine; hinc continentia, illinc lubido.** Locos parallelos e.g. apud Livium passim reperias: 1,12,2 **Principes utrimque pugnam ciebant: ab Sabiniis Mettius Curtius, ab Romanis Hostius Hostilius;** 24,45,3 **Aliunde stet semper, aliunde sentiat, infidus socius, vanus hostis.** Alia exempla perscrutabor adverbium ad personas relata tractans.⁸⁷

In seriore Latinitate eiusdem generis confusio paulatim latius patere incipit; e.g. Venantius Fortunatus scribens (Carm.11,22 a, 6) **unde prius fuerat, huc revocatur adeps** adverbium unde vim haud minus inessivam & adessivam tribuit, quam est hodie adverbium Italico **dove** (< Lat. *de ubi) et Hispanico **donde** (< Lat. *de unde).⁸⁸

Quaedam disserenda sunt etiam de inessivarum & adessivarum et illativarum & allativarum elocutionum sive, ut eas appellat Svennung, terminorum **in quo** et **in quem** confusione,⁸⁹ quae imprimis

serioris Latinitatis propria peculiaritas est. Eam Svennung radices iam in archaica Latinitate habere ostendens recte monet imprimis psychologici generis causis attribuendam esse, quod notiones ipsae motus et status nonnumquam a Romanis videntur inter se confusae esse.⁹⁰ Manifestum est hoc non ubivis fieri potuisse, sed plerumque in certis elocutionibus videlicet inveteratis, quarum pro exemplis Svennung inter alia profert Plautinum **in mentem fuit** (Amph.180) et **in potestatem esse** (cf.Gell.1,7,16-19 et Cic. Or.Imp.Pomp.12,33).

Equidem, quod ad adverbia localia attinet, inveteratis illis elocutionibus formulam **huc ades!** et variationes eius adnumeraverim, quarum complura exempla Thesaurus Linguae Latinae exhibet;⁹² namque usitatissima est eademque ideo peculiaris, quod in ea ad verbum **adesse**, quod non motum, sed statum exprimit, illativum & allativum accedit adverbium. Saepe enim sub hoc verbo velut latet aliud verbum motum exprimens; e.g. Persius, Sat.3,7-8 **Ocius adsit / h u c aliquis** (**adsit huc = adveniat vel accurrat huc**).

Praecipue notanda est ipsa formula **huc ades!** in precibus frequenter usurpata; nam deum aliquem vel deam invocantes homines verbo **adesse** non solum praesentiam, verum etiam auxilium numinis rogant. Ita Tibullus scribens 3,10,1 **H u c ades et tenerae morbos expelle puellae, / h u c ades intonsa, Phoebe superbe, coma** elocutione **huc ades** paene pro precibus **huic** (puellae) **succurre** utitur. In Ovid. Am.3,2,46 **h u c ades et meus hic fac, dea, vincat amor!** itidemque in Priap.80,10 **h u c ades et nervis, tente Priape, fave!** eadem formula fere pro **mihi auxiliare!** adhibita est.

In seriore Latinitate elocutiones illativae non tantum in huius generis formulis inveteratis usurpantur, sed latius patet hic usus, etsi plura inveniuntur exempla e.g. accusativi ad praepositionem **in** inessive accedentis quam adverbiorum pronominalium ex illativa functione similiter in inessivam vim transgressorum. Nihilominus etiam haec reperiuntur, et quidem in textu iuridico: Gaius, Dig.47,22,4 **Sed haec lex videtur ex lege Solonis tralata esse. Nam i l l u c ita est:...** (sequitur is, de quo agitur,

legis locus Graece scriptus), ubi adverbium **illuc** manifesto pro **illic** (= **in illa lege**) positum est.⁹²

In exemplis supra prolatis elocutiones illativae in locum inessivarum penetraverunt. Contrarii generis exempla - scilicet elocutionum inessivarum in aream illativam ingressarum - Svennung aliquanto plura esse dicit, quod in adverbis pronominalibus iam ex eo facile credi potest. quod **hic** et **illic** et **ibi** et **ubi** in linguis Romanicis heredes habent,⁹³ ex illativis autem adverbis **huc** et **illuc** et **eo** et **quo** in iis nihil superest. Quaestionem ipsam, quo modo inessivae et adessivae elocutiones ab illativis et allativis differrent, iam inde ab aevo archaico litteratos non praeterisse ostendunt inter alia versus Lucilii (1238-1240 Krenkel II, p.656) "nam, veluti **intro** aliud longe esse atque **intus** videmus, / sic <item> **apud te** aliud longe est neque idem valet **ad te**; / **intro** nos vocat, at sese tenet **int<us apud se>**" ac verba Quintiliani (Inst.or.1,5,50) "**intro** et **intus** loci adverbia; **eo** tamen **intus** et **intro sum** soloecismi sunt". Quae apud archaicos et classicos scriptores inveniuntur exempla inessivorum adverbiorum pronominalium illative adhibitorum, tamen maximam partem cum dubiae sunt traditionis aut interpretationis tum in hac investigatione haud magni ponderis.⁹⁴ Itaque ea fusius tractare omittens in posteriorum saeculorum litteras transeo, e quibus tres locos profero: Apic.6,9,13 **Pullum i l l i c mittis integrum vel carptum**, ubi verbum **mittere** iam eam significationem, in qua heredes eius in linguis Romanicis usurpantur, videtur assumpsisse⁹⁵ et ad exemplar verbi **ponere** non illativa elocutione (**illuc**, id est **in caccabum**), sed inessiva (**illic**, id est **in caccabo**) completur; Versio Vetus Lat., Act.Apost.9,21 **h i c ideo venerat**, quod Vulgata in forma **h u c ad hoc venit** exhibet (in textu Graeco est **ἔθε**); Vulg. Is.37,33 **non introibit civitatem hanc et non iaciet i b i sagittam** (**ibi** = **eo**, id est **in eam civitatem**; in textu Graeco est **ἐπ' αὐτήν**).

Longe alia est causa adverbii **nusquam** allative adhibiti in elocutione **nusquam alio, nisi ad...** (pro **ad nullam aliam rem, nisi ad...**), cuius iam duo exempla e Livio excerpta (4,54,7 et 7,18,7)

dativi et adverbiorum allativorum relationem tractans supra⁹⁶ protuli. In huius generis elocutionibus nequaquam de confusione quaestionum **ubi?** et **quo?** agitur, sed de egestate quadam sermonis Latini, ut qui, quamquam habet adverbium inessivum **nusquam** pro **(in) nullo loco**, tamen careat simili adverbio illativo **in nullum locum** significante. Id clarissime ostendunt Plautina et Terentiana exempla, quae bina profero: Plaut.Cist.702 **hinc nusquam abiit** et Mil.glor.455 **te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem**, Ter.Adelph.246 **Nusquam abeo** et Eun. 280-281 **"Detineo te: fortasse tu profectus alio fueras." / "Nusquam."** Etiam **usquam**, quamvis in Latinitate praesto sit **quoquam**, interdum in illativa functione occurrit, e.g. apud Cornelium Nepotem (Ages.3,2): **At Agesilaus in Phrygiam se convertit eamque prius depopulatus est quam Tissaphernes usquam se moveret.**⁹⁷

Ne in elativa quidem area ullum est adverbium Latinum idem valens atque **e nullo loco**. Itaque adverbium inessivum **nusquam** non modo in illativum & allativum usum, sicut supra exemplis Livianis demonstravi, velut mutuo datur, sed pariter etiam in aream elativam & ablativam transgredi potest: Nepos, Milt.4,3 **Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti auxilium nusquam nisi a Lacedaemoniis petiverunt (nusquam = a nullis).**

4.10. GENETIVUS PARTITIVUS AD ADVERBIUM LOCALE ACCEDENS

Nunc redeundum est ad elocutiones iam supra⁹⁸ obiter commemoratas, in quibus ad adverbium locale, perinde ac si casus alicuius nominis quantitatem designantis sit, genetivus partitivus accedit. Talium elocutionum aliis argumentum huius investigationis non multum attingitur, aliae vero indicia sunt paritatis cuiusdam syntacticae, qua adverbia pronominalia localia cum quibusdam casibus pronominum - aut nudis aut cum praepositione adhibitis - coniunguntur.

Prioris generis sunt plerumque elocutiones, in quibus genetivus,

cum partitivus appelletur, tamen revera non partitivam vim habet, sed id tantum propositi, ut verbis loquentis plus ponderis rhetorici det; cuius generis fortasse clarissimum exemplum est exclamatio **Ubinam gentium sumus?**, in qua Cicero (Or.Catil.1,4, 9), etsi a senatoribus quaerere vult, **in qua alia omnium gentium** status rei publicae tam turpiter labefactatus sit, tamen haud necessario adverbium locale elocutionis praepositionalis vice adhibet, sed potius, quanta sit indignatione commotus, ostendit genetivo **gentium** addito. Hic eandem fere vim habet atque e.g. **in aller Welt** in lingua Theodisca aut **in the world** in lingua Anglica.⁹⁹ Similes fere elocutiones, in quibus **gentium** paene tantum ornamenti vice fungitur, in sermone populari inveteratas esse docent multi loci archaicarum litterarum, e.g. Enn.Scaen.229 (Warmington I, p.302) **quis homo te exsuperavit usquam gentium impudentia?**; Plaut.Poen.825 **Neque periurior neque peior alter usquam est gentium;** Rud.469 **ubi tu es gentium?**; Asin.90 **Face id iam paratum sit! Unde gentium?**; Cist.668 **Nam obsecro, unde haec gentium?**; Rud.824 **non hercle quo hinc nunc gentium aufugiam scio;** Ter.Heaut.928-929 **Immo abeat multo malo quovis gentium / quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.**¹⁰⁰ Nec localibus tantum adverbii adiunctum illud ornamentum rhetoricum in comediis Plauti et Terenti invenitur; aequè usitata videtur fuisse elocutio familiaris acriter negantis **minime gentium** (Plaut.Merc. 418, Ter.Adelph.342, Eun. 625), cui elocutio Francogallica **pas le moins du monde** eo similis est, quod in hac quoque heres syntacticus genetivi (**du monde**) invenitur.¹⁰¹

Pariter atque **gentium** pro solo ornamento fungitur genetivus partitivus **terrarum**, quem Cicero illi iuxta ponit 2.Or.Verr.5,55,143 **ubicumque terrarum et gentium violatum ius civium Romanorum sit.** Ut **gentium**, ita **terrarum** quoque iam in comediis aevi archaici occurrit: Ter.Phorm.551 **quoquo hinc asportabitur terrarum, certumst persequi;**¹⁰² Plaut.Asin.32 **ubi istuc est terrarum loci.** In hoc enuntiato Plautino non modo **ubi terrarum**, sed etiam alia eiusdem generis elocutio, **istuc loci**, occurrit, in qua genetivus **loci** non quidem ad adverbium,

sed ad pronomen demonstrativum accedit. Non minus frequenter **loci** et **locorum** quam **gentium** et **terrarum** illa ratione velut sermonis ornandi causa etiam ad adverbia adduntur. Apud Plinium Maiorem **ibi loci** puram localem vim habet (Nat.hist.6,11,12,30 **ibi loci terrarum orbe discluso**), itemque apud Apuleium **ubi locorum** (Metam.7,9,2 **ubi locorum esset illa, percontatus...discessit**); cf. Cic.Or.Cael.8,18 **quod, cum ad id loci venero, ostendam** (**ad id loci = ad eum locum orationis**), Sallust.Catil.45, 3 **ad id loci legati cum Volturcio venerunt** (**ad id loci = ad eum locum**). Multo saepius tamen huius modi elocutiones translata vi adhibentur, ut Plaut.Cist.528-529 **Si redierit / illa ad hunc, ibidem loci res erit** (**ibidem loci = in eadem condicione vel in eodem statu**); cf. Ter.Phorm.979-800 **in id redactus sum loci, / ut, quid agam cum illo, nesciam prorsus** (**in id loci = in eam condicionem vel in eum statum**). Praeterea **loci** cum praecedente adverbio saepe temporalem efficit elocutionem:¹⁰³ Plaut.Men. 446 et Pseud.266 et Ter.Eun.126 **interea loci**, Plaut.Capt.385 **adhuc locorum**, Lucr.5,741 et 791 **inde loci** (pro **deinde**), ubi ad rem intellegendam genetivis **loci** et **locorum** non magis opus est quam in elocutionibus **postidea loci** (Plaut.Cist.784 et Stichus 758), **post ea loci** (Sallust.Iug.102,1),¹⁰⁴ **post id locorum** (Plaut.Cas. 120 et Sallust.Iug.72,2), **ad id locorum** (Sallust.Iug.63,6 ac Liv. 9,45,2 et 22,38,12 et 25,19,11 et 25,22,1 et 25,32,2 et 43,5,4), quarum ultima idem significat atque **usque ad id tempus**.

Etiam in iis exemplis, quae de ablativo loci disserens supra commemoravi (Plaut.Capt.958 **ubi loci** et Hor.Epist.1,3,34 **ubicumque locorum**), genetivus partitivus minime necessarius est comes syntacticus adverbii localis. Ab iis autem secerni oportet Vitruv.8,3, 16 et 8,5,3 **quo loci** (pro **quo loco** vel **ubi**), Hor.Carm.1,38,3 **quo locorum** (pro **quo loco** vel **ubi**), Cic.Or.Sest.31,68 **eo loci** (pro **eo loco** vel **in ea condicione**), Sueton.Calig.53,2 **eodem loci** (pro **eo loco** vel **eodem vestigio** vel **ibidem**) aliasque elocutiones harum similes, in quibus **quo** et **eo** et **eodem**, quamquam aspectu ab adverbiiis illativis non differunt, tamen manifesto sunt ablativi locales pronominum. Perspicuitas postulat, ut ad ea potius **loco** aut **loci** aut **locorum** addatur quam **quo** aut **eo** aut **eodem** sine ullo additamento dicatur; genetivus partitivus, quo remoto pronomina

syntactice manca maneant nimisque adverbii illativis similia, in huius generis elocutionibus vix supervacaneus aut abundanter additus haberi potest. Talia autem exempla, in quibus **eo loci** illativam vel allativam vim habeat sive idem significet atque **in eum locum** vel **ad id loci** (Sallust.Catil.45, Iug.75,7), perpauca reperiuntur: Vitruv.2,8,12 **Melas et Areuanias ab Argis et Troezene coloniam communem e o l o c i deduxerunt**; Dig.10,4,11,1 **perducendum e o l o c i, ubi actum sit et 47,2,3,2 priusquam e o l o c i pertulerit, quo destinaverat.**

Multo rariores, quam **gentium** et **terrarum** et **loci** et **locorum**, genetivi partitivi sunt **natalium** et **rerum**. Quarum elocutionum illa semel tantum occurrit apud Apuleium, Metam.5,15,3 **occiipiunt sciscitari, qualis ei maritus et u n d e n a t a l i u m, secta cuia proveniret (unde natalium = quali origine vel quibus parentibus natus)**; haec ad adverbium illativum **eo** accedit: Curt.5,12,32,3 **Sed e o r e r u m ventum erat, ut tam periculosum esset non credere suis quam decipi, Pers.3,15-16 h u c i n e r e r u m / venimus?**¹⁰⁵ Ambo loci etiam omisso additamento **rerum** perspicui essent, sed aequo iure contendere potest genetivum partitivum in eos elocutorium quoddam supplementum afferre (= **in eam rerum condicionem** vel **in hunc rerum statum**). Imprimis sermonis ornandi causa Apuleius etiam in Apol.31 (Helm II 1, p.37,lin.8) **alibi carminum** pro **in alio carminum** vel pro simplicissima elocutione **in alio carmine** dicit.

Ita paullatim in ea genetivi partitivi exempla transiimus, quae dixi indicia esse paritatis cuiusdam semanticae adverbia pronominalia localia cum casibus pronominum coniungentis. Num Ter.Andr. 69-70 **Interea mulier quaedam abhinc triennium / ex Andro commigravit huc v i c i n i a e** tale iudicari possit, dubitandum est; quamquam enim **huc viciniae** per se plus exprimit quam solum adverbium **huc**, atque **viciniae** morphologice genetivus existimari potest, tamen non modo, utrum genetivus partitivus habendus sit an potius locativus, pro certo iudicari nequit, sed etiam, utrum haec scriptura genuina sit an potius **huc viciniam** Terentius scripserit, et veteres et recentiores grammatici editoresque certant.¹⁰⁶ Utique substantivi ad adverbium relatio tam laxa est, ut pro hac elocutione haud facile **in hanc viciniam** (nedum **in hanc**

partem viciniae) dicas, sed potius huc in viciniam. Multo maioris ponderis sunt versus Annalium Ennii 194-195 (Warmington I, p.72) a Cicerone (Cato Maior 6,16) traditi **Q u o vobis mentes, rectae quae stare solebant / antehac, dementes sese flexere v i a i?**, in quibus poeta Ap.Claudium Caecum pro usitatiore elocutione **quam in viam sollempnius quo viai?** quaerentem inducit.

Classico autem aevo inde a Sallustio in usum veniunt elocutiones, in quibus ad adverbia pronominalia illativa et allativa, imprimis ad eo, varii generis substantiva abstracta in genetivo partitivo posita accedunt: Iug.1,5 **si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena...petunt, neque regerentur magis quam regerent casus, et e o m a g n i t u d i n i s** procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent (eo magnitudinis = in eam magnitudinem), 5,2 **quae contentio divina et humana cuncta permiscuit e o q u e v e c o r d i a e** processit, ut studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret (eo vecordiae = in eam vecordiam vel in tantam vecordiam), 14,3 **quoniam e o m i s e r i a r u m** venturus eram, vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere (eo miseriarum = in eas miserias vel in tantas miserias). Ex opere Livii haec exempla excerpti: 25,8,11 **iam e o c o n s u e t u d i n i s** adducta est res, ut, quocumque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretur, 28,27,12 **ne hodie quidem scire videmini, q u o a m e n t i a e** progressi sitis, 32,18,8 **eos, qui in praesidio erant,...levibus sine effectum certaminibus e o n e g l e g e n t i a e** et **c o n t e m p t u s** adduxerunt, ut cum refugientibus in portam permixti impetum Romani facerent, 41,23,1 **Haec una ex omni Graecia gens et Atheniensium civitas e o processerat i r a r u m**, ut finibus interdiceret Macedonibus.

In litteris aetatis imperatorum, qua genetivus partitivus pro ornamento rhetorico usurpatus apud plerosque scriptores favore crescit,¹⁰⁷ exempla frequentiora fiunt. Praecipue Tacitus hunc usum videtur multiplicavisse: Agric.28,2 **e o ad extremum i n o p p i a e** venire, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur; Hist.1,16,1 **nunc e o n e c e s s i t a t i s** ...ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Romano possit

quam bonum successorem, nec tua plus iuventa quam bonum principem; 3,17,1 E o postremo a r d o r i s provectus est, ut vexillarium fugientem hasta transverberaret; Ann.1,18,2 Postremo e o f u r o r i s venire, ut tres legiones miscere in unam agitaverint; 2,33,2 postquam e o m a g n i f i c e n t i a e venerit, gliscere singulos; 2,55,5 e o usque c o r r u p t i o n i s provectus est, ut sermone vulgi parens legionis haberetur; 4,10,2 e o a u d a c i a e provectum (sc. esse Seianum), ut verteret et...moneret Tiberium...; 4,14,3 Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, e o f l a g i t i o r u m et v i r i u m venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit; 15,1,2 e o c o n t e m p t i o n i s descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur.

In omnibus exemplis Taciteis supra enumeratis praeter Ann.2,33,2 cum tali elocutione coniungitur enuntiatum secundarium consecutivum (ut...); item in sequentibus: Florus 1,17 (1,24,2) Appius e o i n s o l e n t i a e elatus est, ut ingenuam virginem stupro destinaret; 1,27 (3,12,6) e o m a g n i t u d i n i s crescere, ut viribus suis conficeretur; 2,4 (3,16,3) e o v e s a n i a e progressus est, ut consularia quoque comitia nova caede turbaret, 1,34 (2,18,12) e o n e c e s s i t a t u m compulsi, primum ut destinata morte in proelium ruerent; 2,18 (4,8,3) e o denique d i s c r i m i n u m ventum est, ut foedus...feriretur; Valer.Max.6,9,ext.7 Ceterum e o c l a r i t a t i s evectus (sc. Syphax rex), ut validissimorum populorum tantum non arbiter victoriae existeret, parvi temporis iniecta mora catenatus a Laelio legato ad Scipionem imperatorem pertractus est; Quint. Inst. or.2,1,6 Neque infitiabor aliquem...e o usque s c i e n t i a e progredi posse, ut ad haec quoque tradenda sufficiat; Seneca, Nat.quaest.4 a, praef.9 E o enim iam d e m e n t i a e venimus, ut, qui parce adulatur, pro maligno sit; Benef.2,29,2 Vix sibi temperant, quin e o usque i m p u d e n t i a e provehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus; Epist.16,8 ultra privatum pecuniae modum fortuna te...e o d e l i c i a r u m o p u m q u e perducatur, ut terram marmoribus abscondas; 86,7 E o d e l i c i a r u m pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus; Plin.Paneg.16,5 Quodsi quis barbarus e o i n s o -

l e n t i a e f u r o r i s q u e p r o c e s s e r i t , u t i r a m t u a m i n - d i g n a t i o n e m q u e m e r e a t u r , n e i l l e , s i v e i n t e r f u s o m a r i s e u f l u m i - n i b u s i m m e n s i s s e u p r a e c i p i t i m o n t e d e f e n d i t u r , o m n i a h a e c . . . c e - d e n t i a v i r t u t i b u s t u i s s e n t i e t ; I u s t i n . 3 , 5 , 6 e o u s q u e d e - s p e r a t i o n i s S p a r t a n o s a d d u x i t , u t s e r v o s s u o s a d s u p - p l e m e n t u m e x e r c i t u s m a n u m i t t e r e n t ; S u e t o n . I u l . 7 7 , 2 e o q u e a r r o g a n t i a e p r o g r e s s u s e s t , u t . . . d i c e r e t . E t i a m a p u d L u c a n u m , P h a r s . 7 , 4 0 5 - 4 0 7 R o m a m . . . / c l a d i s e o d e d i m u s , n e t a n t o i n c o r p o r e b e l l u m / i a m p o s s i t c i v i l e g e r i , e n u n t i a t u m s e c u n d a r i u m , q u a m v i s f o r m a f i n a l e e s s e v i d e a t u r , t a m e n r e v e r a a v i c o n s e c u t i v a v i x q u i d q u a m a b e s s e e x i s t i m a v e r i m . ¹⁰⁸

I n T a c . A g r i c . 4 2 , 4 S c i a n t , q u i b u s m o r i s e s t i l l i c i t a m i r a r i , p o s s e e t i a m . . . m o d e s t i a m , s i i n d u s t r i a a c v i g o r a d s i n t , e o l a u - d i s e x c e d e r e , q u o p l e r i q u e p e r a b r u p t a , s e d i n n u l l u m r e i p u - b l i c a e u s u m , a m b i t i o s a m o r t e i n c l a r u e r u n t e l o c u t i o n i e o l a u d i s p r o c o n s e c u t i v o e n u n t i a t o s e c u n d a r i o a d i u n g i t u r r e l a t i v u m q u o p l e r i q u e . . . i n c l a r u e r u n t , i d e o p e c u l i a r e , q u o d v e r b o i n c l a r e s c e r e e l o c u t i o n e s i l l a t i v a e & a l l a t i v a e , s i c u t h i c q u o (= i n q u a m v e l a d q u a m) e t i n n u l l u m . . . u s u m r e g i n o n s o l e n t . ¹⁰⁹ U l t i m a m p a r t e m i l l i u s p e r i o d i l o n g a e o r n a m e n t i s d i c t i o n i s T a c i t e a e e x u t a m e . g . h a c p r a p h r a s i c o m p e n s a r e p o s s i s : . . . i n t a n t a m l a u d e m p e r v e n i r e , q u a n t a m p l e r i q u e p e r v i a s a b r u p t a s p r o g r e s s i , s e d n u l l a m r e i p u - b l i c a e u t i l i t a t e m a f f e r e n t e s , m o r t e a m b i t i o s e p e t i t a a s s e c u t i s u n t . ¹¹⁰

D e n i q u e a p u d A m m i a n u m M a r c e l l i n u m q u o q u e e x e m p l u m i n v e n i t u r : 1 4 , 1 1 , 8 E o n e c e s s i t a t i s a d d u c t u s u l t i m a q u e , n i v i g i - l a s s e t , o p p e r i e n s p r i n c i p e m l o c u m , s i c o p i a p a t u i s s e t , c l a m a f - f e c t a b a t , s e d p e r f i d i a m p r o x i m o r u m r a t i o n e b i f a r i a v e r e b a t u r . . .

R a r i u s q u i d e m q u a m e o , s e d c e t e r u m p a r i m o d o u s u r p a t u m i n l i t t e - r i s a e t a t i s i m p e r a t o r u m o c c u r r i t h u c : V a l e r . M a x . 3 , 7 , 1 n e q u e . . . h u c p u t o m a l i g n i t a t i s v e n t u m , u t d e m e a i n n o c e n - t i a q u a e r e n d u m s i t ; 3 , 8 , 3 t a n t i s t e n e b r i s o f f u s a m e s s e r e m p u b l i - c a m , u t h u c i n d i g n i t a t i s v e n i r e t u r ; 8 , 1 , 6 h u c d e d u c t u m n e c e s s i t a t i s , u t a b i c e r e s e . . . c o g e r e t u r ; C u r t . 7 , 1 , 5 h u c e n i m m a l o r u m v e n t u m e s t , u t v e r b a m e a e o d e m t e m p o r e e t A l e x a n d r o e x c u s e m e t A n t i p h a n i ; T a c . A n n . 3 , 7 3 , 1

Tacfarinas...h u c a d r o g a n t i a e venerat, ut...bellum inexplicabile minitaretur; 6,24,3 callidum olim et tegendis sceleribus obscurum h u c c o n f i d e n t i a e venisse, ut ostenderet nepotem sub verbera centurionis...frustra orantem.

Adverbia illativa & allativa hac ratione cum genetivo partitivo coniuncta usitatiora videntur fuisse quam elocutiones praepositionales, quas - praeter exempla supra tractata in/ad id loci / locorum - non inveni nisi haec: Liv.23,19,13 Postremo a d i d ventum i n o p i a e est, ut lora...mandere cogerentur, Vell.2, 80,2 i n i d f u r o r i s processerat, ut...totam victoriam ut suam interpretaretur. Ambo autem elocutionum genera - et eo inopiae et in/ad id inopiae - a Cicerone et a Caesare sunt prorsus aliena.¹¹¹ Elocutionum praepositionalium genetivo partitivo completarum unum addo exemplum: Gell.17,8,1 Philosophus Taurus accipiebat nos Athenis cena plerumque a d i d d i e i, u b i iam vesperaverat (ad id diei ubi = circiter ea parte diei qua).

Denique breviter attingenda est peculiaris quaedam elocutio, cuius perpauca sunt exempla atque ea quoque dubia: Rhet.Her.1,2, 2 Oratoris officium est...posse dicere...cum adsensione auditorum, q u o a d e i u s fieri poterit; Cic.Epist.Att.11,12,4 tu tamen velim ne intermittas, q u o a d e i u s facere poteris, scribere ad me; Epist.Fam.3,2,2 Vides ex senatusconsulto provinciam esse habendam. Si eam - q u o a d e i u s facere potueris quam expeditissimam mihi tradideris, facilius erit mihi quasi decursus mei temporis; Liv.39,45,7 id eos ut prohiberet, q u o a d e i u s sine bello posset, praetori mandatum est; praeterea duo apud Ciceronem loci (Inv.2,6,20 et Epist.Fam. 5,8,5), quibus enuntiatum secundarium quoad eius fieri possit idem fere significat, atque usque ad id, quod in ea re fieri possit vel quantum in ea re fieri possit.¹¹² Haec tamen exempla perpauca nequaquam certa sunt testimonia genetivi partitivi particulae quoad adiuncti. Immo plerique editores et viri docti in iis omnibus genuinam lectionem non quoad eius, sed potius quod eius fuisse existimant.¹¹³

5. D E A D V E R B I I S A D L O C A R E L A T I S

5.1. LOCALITAS STRICTIOR ET LAXIOR

In priore capitulo adverbiorum - non tantum pronominalium et localium - ad casus nominum et ad elocutiones praepositionales necnon ad quasdam coniunctiones relationem generaliter observantes haudquaquam simplicem aut immutabilem esse vidimus. E syntagmatis dictis, ut quae maximam partem in communi area syntactica versentur, peculiaris varietas constat. Imprimis notandus est syncretismus casuum, quo fit, ut nudi casus locales paulatim elocutionibus praepositionalibus cedant. Adverbia localia invadentibus praepositionibus aliquanto efficacius ob-sistunt; sed ne ea quidem harum contagione omnino libera manent. Immo ita evolvuntur, ut in certis conexibus syntactice a nominibus haud multum iam differre incipiant. Nihilo setius inter adverbia localia et elocutiones praepositionales certamen quoddam continuatur sive aemula-tio, in qua adverbia, quamvis minus limatum sermonem reddere possint quam elocutiones praepositionales, tamen has superant usus commodita-te, de qua iam pluries monui.

Adverbia localia nimirum, cum ad elocutiones loca designantes referun-tur, revera propriam significationem non excedunt. Sicut in lingua Francogallica dicitur **le lieu où** pro **le lieu dans lequel** itemque Theo-disce **die Stelle**, **wo** pro **die Stelle**, **an der** atque Anglice **the place where** pro **the place in which**, nihil obstat, quin Latine **locus**, **ubi** dicatur pro **locus**, **(in) quo**, idque iam inde ab aevo archaico omnes scriptores fecisse constat. Quin etiam quaeri potest, nonne in hac functione potius adverbia localia normalia sint et elocutiones prae-po-sitionales pro exceptionibus habendae. Nonnumquam **locus**, **ubi** ideo quo-que elocutioni **locus**, **quo** praeferri potest, quod **quo** ambiguitate qua-

dam laborat incertum relinquens, utrum ablativus pronominis relativi sit an adverbium locale illativum & allativum. Ut iam vidimus, praesertim in interrogativis elocutionibus **quo** inessive adhibitum (= **quo loco**) perspicuitatis causa genetivum partitivum loci vel **locorum** ad se desiderat.¹ In relativis quoque enuntiatis interdum quaerendum est, utrum **quo** adverbium locale sit an ablativus pronominis, e.g. Caes. Gall.2,17,4 **Nervii...**, **quo facilius finitimorum equitatum, si praedandi causa ad eos venissent, impedirent, teneris arboribus incisis atque inflexis crebrisque in latitudinem ramis enatis et rubis sentibusque interiectis effecerant, ut instar muri hae saepes munimentum praebere, q u o non modo non intrari, sed ne perspicere quidem posset.** In plurimis editionibus **quo** pro adverbio locali illativo (= **in quod munimentum**)² accipitur, mea quidem sententia perperam; neque enim in medias saepes credibile est equites finitimorum intrare studuisse, sed **per illud munimentum** in fines Nerviorum penetrare aut saltem perspicere, quidnam ibi ageretur.³ Itaque multo verisimilius est **quo** ablativum viae esse quam adverbium locale. In Quintiliani autem periodo (Inst. or.10,3,6) **in certamine saliendo fieri videmus, ut conatum longius petant et ad illud, q u o contenditur, spatium cursu ferantur alii quo contenditur** idem significare arbitrantur atque **per quod** (sc.**spatium**) certatur (**saliendo**), ea videlicet de causa, quod non de currendi, sed de saliendo agatur certamine; alii vero **quo** potius adverbium esse iudicantes **quo contenditur pro ad quod transiliendum contenditur** accipere videntur,⁴ quod optime quadrat.

Aequaliter **locus, unde pro locus, e quo ponitur ac locus, quo pro locus, in quem.** Adverbia relativa **ubi** et **unde** et **quo** ad cuiuslibet generis correlata referri possunt, ut ostendunt haec exempla e Catone excerpta: Agr.129 **Aream, u b i frumentum teratur, sic facito;** 42 **adponito in eum locum, u n d e exicaveris in alterum genus;** 101 **Vas, q u o condideris, oblinito plane.** E correlatis horum exemplorum **area** et **locus** semantice eius generis sunt, ut ad ea aptius adverbium quam pronomen relativum antecedente praepositione referatur; admodum laxam enim localitatem designant, laxiorem quam **vas** in ultimo exemplo. In hoc quoque quaeri potest, utrum **quo** vere adverbium illativum sit an potius ablativus pronominis relativi, cum et locum strictiore sensu designet et ad verbum **condere** etiam nudus ablativus possit accedere,

e.g. Hor.Od.1,1,9-10 **p r o p r i o** condidit **h o r r e o**, / quicquid de Libycis verretur areis; 20,1-3 Vile potabis modicis Sabinum / cantharis, **G r a e c a** quod ego ipse **t e s t a** / conditum levi, Epod.2, 15 **p r e s s a** **p u r i s** mella condit **a m p h o r i s**; Quint.Inst.or.10, 3,3 **o p e s** velut **s a n c t i o r e** **q u o d a m** **a e r a r i o** conditae, Suet.Aug.31,1 solos retinuit Sibyllinos (sc. libros), hos quoque dilectu habito; condiditque **d u o b u s** **f o r u l i s** **a u r a t i s** sub Palatini Apollinis basi, atque etiam in cum ablativo aut locativus, e.g. Cic.2.Or.Verr.4,63,140 **P r i m u m** mihi litteras publicas, quas **i n** **a e r a r i o** **s a n c t i o r e** conditas habebant, proferunt et 2,2,5 Itaque ad omnis res sic illa provincia semper usi sumus, ut, quicquid ex sese posset efferre, id non apud nos nasci, sed **d o m i n o s t r a e** conditum iam putaremus.

Graviora tamen argumenta pro adverbio loquuntur. Non enim desunt exempla diversi usus, id est in quibus non, (in) quo loco clauso, sed, in quem locum clausum aliquid conditum sit, refertur: Plaut.Pseud.354 **a r g e n t u m** **i n t r o** condidi; Cato,Agr.112,15 **i d** **v i n u m** condito **i n** **d o l i a** **l a u t a**; Cic.Div. 2,41,86 **e x** illa olea arcam esse factam, **e o q u e** conditas sortes.⁵ In Catone fortasse plurimum valet ipsius exemplum Agr.10,4 **d o l i a**, **q u o** **v i n a c e o s** condat X, in quo idem adverbium ad plurale substantivum refertur. Illativam elocutionem Cato quam inessivam vel instrumentalem adhibere maluit etiam 88,2 **e a** **m u r i e s** erit, **v e l** **c a r n e m** **v e l** **c a s e o s** **v e l** **s a l s a m e n t a** **q u o** **c o n d a s**, itemque 117 **c o n d a t** **i n** **a c e t u m**. Forma pluralis **d o l i a** apud Catonem inessivi quoque adverbii (ubi) correlatum bis occurrit Agr.11,1 **d o l i a** **u b i** **q u i n q u e** **v i n d e m i a e** esse possint **c u l l e u m** DCCC, **d o l i a** **u b i** **v i n a c e o s** condat XX, pariterque ubi paulo post (12) ad **a s s e r c u l a** refertur: **a s s e r c u l a** **u b i** **p r e l a** **s i t a** **s i e n t** V.

In exemplis supra prolatis laxiorem localitatem pro novo termino induxi, cui contraria est strictior localitas. Quidnam his terminis designare velim, par est hic paulo fusius exponere. Eam rem iam in initio prioris capituli leviter attigi de adverbiiis localibus Finnicis disserens.⁶ Adverbium **t ä s s ä** Latine reddidi 'hic', 'hoc (ipso) loco', **t ä ä l l ä** autem 'hic', 'hoc loco', 'in hac regione'; subtiliter igitur inter se significatione differunt, similiter fere atque adverbia Suetica **h ä r** et

härstādes, quorum illo strictior, hoc laxior localitas exprimitur. Conferantur inter se duo loci e litteris Romanis excerpti: Plaut.Epid. 345-346 **Accipe hoc sis! / Quantum h i c inest?** et Hor.Od.1,2,49-50 **h i c magnos potius triumphos, h i c ames dici pater atque princeps.** In illo exemplo de strictiore localitate agitur (hic = in hoc, sc. marsupio, quod in priore versu subauditur), in hoc autem de laxiore localitate, quae propter amplitudinem et magnitudinem potius ratione et mente quam sensibus et oculis accipitur⁷ (hic = inter nos Romanos, in terra, unde, ut in prioribus versibus ait Horatius, periculum est ne Augustum civium Romanorum "vitiis iniquum ocior aura" in caelum "tollat"). Item in posteriore Latinitate Christiana e.g. Paulus Nolanus adverbium **istic** pro **hic** (= in hac vita terrena) elocutioni in aeterno saeculo opponens laxa vi adhibet: Epist.30,6 **non solum i s - t i c, sed etiam in aeterno saeculo.** Pro exemplo laxioris et strictioris significationis elocutionum localium cedit etiam **alterorsus**, unum e rarioribus adverbis Latinis. Apuleius in Metamorphoseon libris id bis adhibet, primum laxiore, deinde strictiore sensu: 5,31,7 **Sed Venus indignata ridicule tractari suas iniurias praeveris illis a l t e r o r s u s concito gradu pelago viam capessit** (alterorsus = in alteram directionem); 9,28,1 **puclissima illa uxore a l t e r - o r s u s disclusa solus ipse cum puero cubans gratissima corruptarum nuptiarum vindicta perfruebatur** (alterorsus = in alterum conclave).

In universum aestimans dixerim adverbia Latina paulo laxiorem localitatem exprimere quam elocutiones praepositionales, quae plerumque natura sunt strictiores. Ita **hinc** quattuor locis Terentianis inter se simillimis, scilicet Andr.833 **Illam h i n c civem esse aiunt**, ibid. 892 **adducti qui illam h i n c civem dicant**, ibid.908 **Eho tu, Glycerium h i n c civem esse ais?**, Eun.952 **scis eam h i n c civem esse?** totam urbem Athenas designans magis concise quam ulla elocutio praepositionalis laxam localitatem exprimit. Caesar de bello Usipetum et Tencterorum narrare incipiens (Gall.4,1,1) commemorat hos **non longe a mari, q u o Rhenus influit**, flumen transisse; haudquaquam mirandum est eum, cum de vasto mari agatur, adverbio **quo** quam elocutione praepositionali **in quod** uti maluisse. Phaedrus autem de cervo, qui canes venatoris eludere conatus in silvam densam confugerat, narrans vix casu ita pergat (1,12,9-11): **Silva tum exceptit ferum, / i n q u a re-**

tentis impeditus cornibus / lacerari coepit morsibus saevis canum; quamquam enim ei per metrum optime **ubi** scribere licuisset pro **in qua**, tamen hac elocutione praepositionali uti maluit, quo expressior legenti redderetur imago animalis retentis fruticum et ramorum multitudine cornibus velut in vincula coniecti et libertatem recuperare nitentis. Alia autem exempla ostendunt adverbia localia variis de causis passim etiam tum, cum de strictiore localitate agitur, elocutionibus praepositionalibus anteferri.

Pervulgatae sententiae **Omnes viae Romam ducunt** variatio quaedam est apud Quintilianum Inst.or.10,5,7 **plurimaeque e o d e m viae ducunt**, neque dubium est, quin quaelibet elocutio praepositionalis, e.g. **in eundem locum vel in eundem terminum vel in eandem urbem**, ad dictum proverbiale iam propter nimiam verbositatem minus apta sit quam adverbium **eodem** a Quintiliano adhibitum. E Catonis autem exemplis supra tractatis nonnulla eius generis sunt, ut in iis localitas strictior quasi in laxiorem localitatem mutata esse videatur; manifestum est enim eum commoditatis causa de doliis, **quo** aliquid conditur, quam de doliis, **in quae** aliquid conditur, disserere maluisse, sicut in Agr.66, 2 **oleum in labrum primum indito; i n d e in alterum dolium indito** scribens adverbio **inde** uti maluit quam elocutione **ex eo**. Plautus quoque in Rud.1121 **aliud quidquid i b i est, habeat sibi** scribens adverbio utitur, quamquam in illo diverbio potius de strictiore quam laxiore localitate agitur (**ibi** = **in eo**, id est **in vidulo**, cuius mentio paulo prius v.1109 facta est). Simile fere exemplum est apud Senecam (Troad.809-812): **Matris hanc solacio / relinque vestem, tumulus hanc tetigit meus / manesque cari. Si quid h i c cineris latet, / scrutabor ore** (**hic** = **in ea**, id est **in hac veste**).

De laxiore localitate plane agitur in exemplo Plautino Trin.549-551 **sicut fortunatorum memorant insulas, / q u o cuncti, qui aetatem egerint caste suam, / convenient**, in quo adverbium **quo** expressius describit finem incognitum itineris fabulosi quam elocutio praepositionalis **in quas**; hac, si magnitudo situsque geographicus illarum insularum exacte cognita essent, potius utaris. Ob eandem causam Horatius in Epod. 16,41-43 **beata / petamus arva, divites et insulas, / reddit u b i Cererem tellus inarata quotannis** scribens maluit adverbio **ubi** quam

elocutione praepositionali in quibus uti. Similiter Lucretius adverbis localibus usus fabulosa Acherusia templa ab Ennio memorata describit (1,122-126): **q u o neque permaneant animae neque corpora nostra, / sed quaedam simulacra modis pallentia miris; / u n d e sibi exortam semper florentis Homeri / commemorat speciem lacrimas effundere salsas / coepisse.** Verbum permanere, ad quod plerumque inessivae aut adessivae elocutiones locales accedunt (e.g. Cic. Epist. Fam. 5,2,10 **in voluntate**), Lucretius hic pari fere ratione adhibet atque e.g. Ovidius Trist. 4,10,73 **ultima quae mecum s e r o s permansit i n a n n o s;** docere enim poeta studet corpus et animam non usque ad Acherusia templa, si quae sint, coniuncta permanere. Frustra igitur Ernout in novissima sua operis Lucretiani editione in locum verbi **permaneant** eandem formam verbi **permanere** vult substituere.⁸

Apud aevi classici scriptores - et in prosa et in poesi - alia quoque exempla sunt adverbiorum **ubi** et **unde** et **quo** ad pluralia substantiva relatorum; quorum singulorum quina profero exempla:

- **ubi = in quibus:** Varro, Rust. 1,2,4 **sunt regiones inter circulum septentrionalem et inter carcerem caeli, u b i sol etiam sex mensibus continuis non videtur;** Cic. Epist. Fam. 7,10,1 **Est, quod gaudeas te in ista loca venisse, u b i aliquid sapere viderere;** Caes. Gall. 3,9,6 **neque eorum locorum, u b i bellum gesturi essent, vada, portus, insulas novisse;** Verg. Aen. 1,365-366 **Devenere locos, u b i nunc ingentia cernis / moenia;** 3,10-11 **litora cum patriae lacrimans portusque relinquo / et campos, u b i Troia fuit.**⁹

- **unde = e quibus:** Caes. Gall. 1,28,3 **Helvetios, Tulingos, Latobigos in fines suos, u n d e erant profecti, reverti iussit;**¹⁰ 3,14,9 **colles ac loca superiora, u n d e erat propinquus despectus in mare, ab exercitu tenebantur;** Sallust. Iug. 14,8 **verum ego eis finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit, u n d e pater et avos meus una vobiscum expulere Sufacem et Carthaginienses;** Verg. Aen. 2,458-459 **Evado ad summi fastigia culminis, u n d e / tela manu miseri iactabant inrita Teucris;** Hor. Od. 3,13,14-16 **me dicente cavis impositam illicem / saxis, u n d e loquaces / lymphae desiliunt tuae.**

- **quo = in quos / quas / quae:** Cic. Tusc. 1,19,44 **orae ipsae locorum,**

q u o pervenerimus,...maio**r**em cognoscendi cupididitatem dabunt; Agr. 2,25,65 emantur agri a privatis, **q u o** plebes publice deducatur; Caes.Gall.2,7,3 omnibus vicis aedificiisque, **q u o** adire potuerant, incensis ad castra Caesaris omnibus copiis contenderunt; Varro,Rust.1, 29,2 sulcant fossas, **q u o** pluvia aqua delabatur; Liv.2,21,5 Insignis hic annus est nuntio Tarquini mortis. Mortuus Cumis, **q u o** se se post fractas opes Latinorum ad Aristodemum tyrannum contulerat. Ultimum exemplum a ceteris ea re differt, quod in eo correlatum est nomen urbis "plurale tantum". Tum praesertim adverbium locale expeditius et commodius est quam elocutio praeositionalis, quae tamen ab huius generis enuntiatis non omnino abest (e.g. Liv.25,31,11 Hoc maxime modo Syracusae captae; **i n q u i b u s** praedae tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset).

Ad singularia substantiva referunt adverbia ubi et quo e.g.Cicero in Or.Philipp.2,25,62 M.Pisonis domum, **u b i** habitaret, dederat, et Livius 41,15,2 ipsum aquam effundi ex olla, **u b i** exta coquerentur, iussisse (ubi = in qua), ac Sallustius in Jug.12,5 Hiempsal reperitur occultans se tugurio ancillae, **q u o** initio pavidus et ignarus loci perfugerat (quo = in quod); ibid.103,1 Marius...proficiscitur in loca sola obsessum turrim regiam, **q u o** Iugurtha perfugas omnis praesidium imposuerat (quo = in quam). Vergilius autem quo pro in quod (sc. antrum) et unde pro e quo (sc. antro) dicit in Aen. 6,42-44: Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum, / **q u o** lati ducunt aditus centum, ostia centum, / **u n d e** ruunt totidem voces, responsa Sibyllae. Cornelius Nepos variandi causa in eadem periodo adverbium unde et elocutionem praeositionalem ex qua pari functione adhibet: Themist.10,3 Namque hanc urbem rex ei donarat his quidem verbis, quae ei panem praeberet (ex qua regione quinquaginta talenta quotannis redibant), Lampsacum autem, **u n d e** vinum sumeret, Myunta, **e x q u a** obsonium haberet.

Demonstrativorum adverbiorum similiter adhibitorum exempla cum Handius complura enumeret,¹¹ ego pauca tantum profero: Cato,Agr.33,3 Si vinea a vite calva erit, sulcos interponito **i b i q u e** viveradicem serito (ibique = et in iis, sc. sulcis), 88,1 Amphoram defracto collo puram impleto aquae purae, in sole ponito. **I b i** fiscellam cum sale popu-

lari suspendito (ibi = in ea, sc. amphora); Liv.40,46,10 T.Tatius et Romulus, in cuius urbis medio foro acie hostes concurrerant, i b i concordēs regnarunt (ibi = in ea); ibid.8,6,12 comparant inter se, ut, ab utra parte cedere Romanus exercitus coepisset, i n d e se consul devoveret pro populo Romano (inde = ab ea, sc. parte); ibid.23,10,2 brevi caput omni Italiae Capuam fore, iuraque i n d e cum ceteris populis Romanum etiam petiturum; Caes.Civ.3,112, 6 Dimisit enim circum omnes propinquas provincias atque i n d e auxilia evocavit (inde = ex iis).

Apud Caesarem nonnumquam verbis imponere et inicere adverbium illativum eo regitur pro elocutione praepositionali: Gall.1,51,3 omnemque aciem suam raedis et carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur. E o mulieres imposuerunt (eo = in eas raedas et eos carros); 7,58,4 Deprehensis navibus circiter quinquaginta celeriterque coniunctis atque e o militibus impositis...oppido potitur (eo = in eas naves);¹² Civ.3,24,1 scaphas navium magnarum circiter LX cratibus pluteisque contexit e o q u e milites delectos imposuit (eoque = et in eas, sc. scaphas); 2,10,3 Has (sc. duas trabes) inter se capreolis molli fastigio coniungunt, ubi tigna, quae musculi tegendi causa ponant, conlocentur. E o super tigna bipedalia iniciunt (eo = in eos capreolos).¹³ E Bello Africano autem hoc excerpatur exemplum (72): quae pars eius (sc. elephantis) corporis nuda sine tegmine relinqueretur, ut e o tela conicerentur (cf. paulo prius: c u i p a r t i corporis eius telum facile adigi posset).

Huius generis exemplis adnumeraverim etiam versus, quibus Vergilius equum peste laborantem describit (Georg.3,500-501): demissae aures, incertus i b i d e m / sudor et ille quidem morituris frigidus (ibidem = circa easdem, sc. aures).¹⁴

5.2. DE ADVERBIIS AD LOCOS SCRIPTOS RELATIS

Praesertim inessiva adverbia localia interdum non ad loca, sed potius ad locos scriptos referuntur, id est libros vel epistulas vel tabellas aliaque eiusdem generis vel singulos in iis locos designant, sicut in

recentiorum temporum Latinitate, cum certum opus aut certus locus eiusdem operis iterum commemoratur, pro **in opere citato vel loco citato** breviter **ibidem** scribitur. Hoc ipsum adverbium iam in antiquis litteris pariter usurpatur; e.g. Cicero, dum in Oratore (45,152) de hiatu disserit, pro exemplis non imitandis affert poetas, qui, ut **versum facerent, saepe hiabant, ut Naevius: "vos, qui accolitis Histrum fluvium atque algidam"**, et **i b i d e m**: **"quam nunquam vobis Grai atque barbari..."** (ibidem = in eadem tragoedia).¹⁵ Gellius ea, quae Varro olim in opere 'Hebdomades' vel 'De imaginibus' inscripto "de numero septenario" disseruisset "admodum conquisite", perscrutatus ita referre perguit (3,10,16-17): **Sed alia quoque i b i d e m congerit frigidiuscula:...Tum i b i addit se quoque iam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse...** (ibidem = in eodem libro atque ibi = in eo libro).¹⁶ Similiter alibi a Quintiliano elocutionibus quodam loco et alio (sc. loco) iuxta ponitur: **Inst.or.2,21,5-6 Cicero q u o d a m l o c o materiam rhetorices vocat res, quae subiectae sint ei...; a l i o vero de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur..., atque adhuc a l i b i**: **"Vero enim oratori...omnia quaesita...esse debent"**.¹⁷ E serio- rum saeculorum litteris praeter iam commemoratam elocutionem Apuleii Apol.31 **alibi carminum pro in alio carminum**¹⁸ Servii grammatici verba ad argumentum huius investigationis pertinentia profero, quibus elocutionem Vergilianam (Aen.8,71) **Nymphae, Laurentes nymphe, genus amni- bus unde est explicat: Sane cum 'unde' hodie ad locum referamus, vete- res etiam personis adplicabant, ita ut ad omne genus et ad omnem nume- rum referrent, ut h o c l o c o genus femininum et pluralem numerum posuit, cum a l i b i masculinum et singularem posuerit: "genus unde Latinum"**, quod plenius in initio primi libri Aeneidos dictum est. Ma- nifestum eum **alibi pro alio loco** elocutioni a se modo adhibitae **hoc loco** opposuisse. Denique duo commemorentur exempla Augustiniana: Civ. Dei 11,31 (Dombart II, p.505-506) **Septies in die laudabo te; quod a l i b i alio modo dictum est: Semper laus eius in ore meo et 20,9** (Dombart II,p.430, lin.22-24): **Unde in hoc eodem libro et a l i b i legitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.**

Exempla Liviana, in quibus **alibi** idem fere significat atque **in aliis fontibus historicis**,¹⁹ in hoc capitulo nondum fusius examinanda susci- pio; in iis enim adverbium, cum aequaliter compensari possit elocutio-

ne apud alios auctores, non modo ad opera historicorum et ad locos eorum, sed etiam ad ipsos historicos refertur.

Adverbia hic et ibi et ubi iam ab archaico aevo ad locos scriptos referuntur, e.g. Plaut.Capt.53 **H i c** neque periurus leno est nec meretrix mala (hic = in hac fabula); 1033-1034 **Huiusmodi** paucas poetae reperiunt comoedias, / **u b i** boni meliores fiant (ubi = in quibus); Pseud.670-673 **haec** allatast mihi opportune epistula. / **Nam** haec allata cornu copiaest, **u b i** inest quicquid volo: / **h i c** doli, **h i c** fallaciae omnes, **h i c** sunt sycophantiae, / **h i c** argentum, **h i c** amica amanti erili filio (ubi = in qua et hic in hac, sc. epistula); Bacch.935-936 et 940-942 **Nam** ego has tabellas obsignatas, consignatas quas fero, / non sunt tabellae, sed equos quem misere Achivi ligneum. /...**Ego** sum Ulixes, cuius consilio haec gerunt. / **Tum** quae **h i c** sunt scriptae litterae, hoc in equo insunt milites / armati atque animati probe (hic = in his, sc. tabellis); Asin.767 **ne** illi sit cera, **u b i** facere possit litteras (ubi = in qua); Ter.Hec.867-868 **Placet** non fieri hoc itidem ut in comoediis, / omnia omnes **u b i** resciscunt (ubi = in quibus); Cic. Epist.Fam.8,1,1 **ipsum** volumen, quod tibi misi, facile, ut ego arbitror, me excusat... **Omnia** enim sunt **i b i** senatusconsulta, edicta, fabulae, rumores (ibi = in eo, sc. volumine); Vitr.2,1,8 **Itaque** quid oporteat esse in architecto, **i b i** pronuntiavi (ibi = in eo, id est in primo volumine, cuius mentio paulo ante facta est); Liv.1,31,8 **Ipsum** regem tradunt volventem commentarios Numae, cum **i b i** quaedam occulta sollempnia sacrificia Iovi Elicio facta invenisset, operatum iis sacris se abdidisse (ibi = in iis); 3,8,10 **Tredecim** milia quadringentos septuaginta cecidisse in acie ac fuga, mille septingentos quinquaginta vivos captos, signa viginti septem militaria relata in quibusdam annalibus invenio; **u b i** etsi aliquid adiectum numero sit, magna certe caedes fuit (ubi = in quibus); Vell.2,103,4 **Laetitiam** illius diei...spemque conceptam perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum **h i c** implere temptemus (hic = in hoc opusculo duorum librorum, quod auctor opponere videtur ampliori sive "iusto" operi historico, cui conscribendo postea sit operam daturus).²⁰ Ovidius in primo carmine libri tertii Tristium poetice librum ipsum loquentem inducit; ergo Trist.3,1,9 **Inspice**, quid portem: nihil **h i c** nisi tri-

ste videbis scribens adverbium **hic** quasi ad personam referens pari fe-
re vi adhibet atque **in his paginis** sive **in paginis meis**.²¹ Martialis
de suis epigrammatis simulata modestia dicit (1,16) **Sunt bona, sunt
quaedam mediocria, sunt mala plura, / quae legis h i c: aliter non
fit, Avite, liber** (**hic = in his libris vel in meis libris**). Ex Apuleio
duo excerpantur loci: **Metam.6,7 libellum ei porrigit, u b i Psyches
nomen continebatur et cetera** (**ubi = quo vel in quo**), et **Apol.38 Vel
dicant nobis, Aemiliane, patroni tui, u b i legerint Latine haec pro-
nuntiata vocabula** (hoc loco **ubi** interrogativum est adverbium pro **quo
in libro vel quibus in libris** adhibitum). Denique Augustinus de homi-
nis carnali simulque spirituali natura disserens (**Civ.Dei 14,4, Dom-
bart II, p.10-11**) multis locis Bibliorum nititur, ad quos non modo
pronomina, sed etiam adverbia localia **ubi** et **ibi** refert: **non aliud
quam homines significantur, u b i legitur: "Ex operibus legis non
iustificabitur omnis caro", sive quod scriptum est: "Septuaginta
quinque animae descenderunt cum Iacob in Aegyptum". Et i b i enim
per omnem carnem omnis homo, et i b i per septuaginta quinque animas
septuaginta quinque homines intelliguntur.**

Adverbii illic eadem ratione usurpati fortasse vetustissimum exemplum
apud Varronem invenitur: **Ling.Lat.9,2,7 dicam ita, ut generatim com-
prehendam et ea, quae in priore libro sunt dicta, et ea, quae possunt
dici quaeque i l l i c praeterii.** (**illic = in illo priore libro**). Ex
Ovidio tria profero exempla: **Am.2,18,35-38 Nec tibi, qua tutum vati,
Macer, arma canenti / aureus in medio Marte tacetur Amor: / et Paris
est i l l i c et adultera, nobile crimen / et comes extincto Laoda-
mia viro** (**illic = in illo carmine**); **Fast.1,3-9 Excipe pacato, Caesar
Germanice, vultu / hoc opus et timidae dirige navis iter! /...Invenies
i l l i c et festa domestica vobis** (**illic = in illa "timida nave" si-
ve in illo opere**); **Epist.Pont.3,4,43-44 Quo magis, o lector, debes
ignoscere, si quid / erratum est i l l i c praeteritumque mihi** (**il-
lic = in illo carmine**). Ex imperatorum aetate ternorum scriptorum
singulos locos commemoro: **Martial.12,43,1-6 Facundos mihi de libidino-
sis / legisti nimium, Sabelle, versus, / quales nec Didymae sciunt
puellae / nec molles Elephantidos libelli. / Sunt i l l i c Veneris
novae figurae, / quales perditus audeat amator** (**illic = in illis ver-
sibus**); **Quint.Inst.or.6,1,12 Et quae concilient quidem accusatorem,**

in praeceptis exordii iam diximus. Quaedam tamen, quae **i l l i c** ostendere sat est, in peroratione implenda sunt magis (illic = in illo, sc. exordio, cui peroratio opposita est); Plin.Nat.hist.28,1,3 Illud admonuisse perquam necessarium est, dictas iam a nobis naturas animalium et quae essent cuiusque inventa - neque enim minus profuere medicinas reperiendo quam prosunt praebendo; nunc, quae in ipsis auxilientur, indicari, neque **i l l i c** in totum omissa; itaque haec esse quidem alia, illis tamen conexa (illic = in illis libris, id est in libris octavo et nono et decimo et undecimo, qui animalibus describendis dedicati sunt).

Denique etiam **istic** ad epistulas vel ad alia scripta referri potest: Plaut.Bacch.728-729 "Cape stilum propere et tabellas tu has tibi!" "Quid postea?" / "Quod iubebo, scribito **i s t i c**!" et 787-788 Nunc hasce tabellas ferre me iussit tibi; / orabat, quod **i s t i c** esset scriptum, ut fieret (istic = in iis sive in istis tabellis, sc. quas tibi dedi); 1023 Estne istuc **i s t i c** scriptum? (istic = in ista epistula impudenti; cf. v.1006); Curc.425-426 Quod **i s t i c** scriptum est, id te orare iusserat / profecto ut faceres, suam si velles gratiam (istic = in istis tabellis, cf. v.422); Pseud.33-34 Immo ego tacebo: tu **i s t i n c** ex cera cita; / nam **i s t i c** meus animus nunc est, non in pectore (istinc ex cera fere pro ex ista cera et istic pro in ista cera); ibid.647-648 Tu epistulam hanc a me accipe atque illi dato; / nam **i s t i c** symbolust inter erum meum et tuom de muliere (istic = in ista epistula); Pers.248-249 "At ego hanc ad Lemniselenem, tuam eram, opsignatam abietem." / "Quid **i s t i c** scriptum?" (istic = in ista opsignata abiete). In posteriore Latinitate similia apud Frontonem reperiuntur. Profero duo exempla, primum e responso imperatoris M.Aurelii ad epistulam eius, alterum ex ipsius Frontonis ad imperatorem epistula: van den Hout, p.55, lin.27-30 Haec cursim ad te scripsi...Quaeso igitur, si quod verbum absurdus aut inconsultior sensus aut infirmior littera **i s t i c** erit, id tempori adponas (istic = in istis, quae ad te scripsi); van den Hout, p.210, lin.14-15 praeterea multa **i s t i c** reperies praesentibus consiliis tuis capita apte considerata (istic = in ista oratione, quam Fronto lin.9-13 se ad imperatorem misisse commemorat).

Cum ita usitata, ut supra ostendi, sint adverbia inessiva ad locos scriptos relata, vix dubium est, quin versus quoque poetici ac singuli horum loci vel sedes iis designari potuerint. In Arte poetica Horatius de versu senario sive trimetro iambico recte componendo disserens iam-bum quasi patremfamilias facit, qui (254) **primus ad extremum similis sibi fuerit**, deinde (255-262), **tardior ut paulo graviorque veniret ad auris, / spondeos stabilis in iura paterna recepit / commodus et patientis, non, ut de sede secunda / cederet aut quarta socialiter**. **Hic et in Acci / nobilibus trimetris apparet rarus et Enni / in scaenam missos cum magno pondere versus / aut operae celeris nimium curaque carentis / aut ignoratae premit artis crimine turpi**. Equidem miror, cur nostro praecipue saeculo plurimi editores et commentatores hic in versu 258^o non adverbium, sed nominativum pronominis esse docentes ad **iambum** referri arbitrentur;²² nempe id imprimis Horatius veteribus Romanis tragoediarum scriptoribus vitio tribuit, quod ne in his quidem **sedibus** - id est **secunda et quarta** -, de quibus iam-bus non "socialiter" cesserit, nisi raro eum posuerint, sed velut commoditate et patientia eius abusi rudissimos versus senarios panxerint, in quibus e celeri rhythmio iam-bi vix quicquam iam supersit (e.g. Ennius, Scaen. fragm.287, Warmington I, p.332 **Sol qui candentem in caelo sublimat facem**). Aliam illam interpretationem a viris doctis vulgo acceptam vix veram esse iam ex eo patet, quod **iambus** in his, de quibus agitur, versibus (251-262) ab initio usque ad finem subiecti vicem gerit neque ulla est causa eius in versu 258^o pronomine repetendi.

Etiam adverbium **utrubique** interdum pari fere ratione ad formas singularum vocabulorum aut versus poetarum referri potest: Varro, Ling. Lat. 8,38,67 **qui potest similis esse quam 'gens', 'mens', 'dens'?** Cum horum casus **patricus** et **accusativus** in multitudine sint **dispariles**; nam a **primo** fit **'gentium'** et **'gentis'**, **u t r u b i q u e** ut sit I, ab **secundo** **'mentium'** et **'mentes'**, ut in priore solo sit <I>, ab **tertio** **'dentum'** et **'dentes'**, ut in neutro sit (**utrubique** pro in utraque forma vel in utroque elocutionibus in priore et in neutro oppositum est); Gell.9,14,24 **Sunt tamen non pauci, qui u t r u b i q u e 'facii'** legant (**utrubique** = in utroque, sc. versuum Lucilii prius commemoratorum); 13,25,17 **Nam cum omnia ista u t r u b i q u e multa et cognominata nihil plus demonstrarent quam 'proelium', huius tamen rei**

varia facies delectabiliter ac decore multis variisque verbis depicta est (utrubique = in utroque, sc. versuum Homeri prius commemoratorum).

Adverbia elativa & ablativa itidemque illativa & allativa multo rarius quam inessiva & adessiva ad libros et ad locos librorum referuntur. Primum adverbiorum elative adhibitorum quattuor proferantur exempla: Cic. De orat. 1,46,203 **Equidem vobis...fontes, u n d e hauriretis, atque itinera ipsa ita putavi esse demonstranda,...ut commonstrarem tantum viam (unde = e quibus, sc. fontibus litterariis);**²³ Off.1,42, 151 de qua (sc. agri cultura) quoniam in Catone Maiore satis multa diximus, **i l l i m assumes, quae ad hunc locum pertinebunt (illim = ex illo libro);** Ovid.Ars amat.3,205-207 **Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae, / parvus, sed cura grande, libellus, opus. / H i n c quoque praesidium, laesae petitote puellae! (hinc = ex hoc, sc. libello sive opere);** Apul.Metam.11,22,8 de opertis adyti profert quosdam libros litteris ignorabilibus praenotatos, partim figuris cuiusque modi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiositate profanorum lectione munita. **I n d i d e m mihi praedicat, quae forent ad usum teletae necessario praeparanda (indidem = ex iisdem libris).**

Illative ad posteriorem locum eiusdem libri refertur eo apud Celsum, 7,17,2 **Praeter haec evenit, ut in quorundam ventribus varices sint; quarum quia nulla alia curatio est, quam quae in cruribus esse consuevit, tum eam partem <postea sim> explanaturus, hanc quoque e o differo (eo = in eum locum, sc. quo de cruribus curandis agitur).** Allativa adverbia ad locos scriptos relata quaedam inveni particulam usque praecedentia, e.g. Martial.3,68,1 **H u c est u s q u e tibi scriptus, matrona, libellus (huc usque = usque ad hoc epigramma).**²⁴ Allativo adverbio huc paulo post in eodem carmine opponitur hinc ablativum adhibendum (3,68,5-6): **H i n c iam deposito post vina rosasque pudore, / quid dicat, nescit saucia Terpsichore (hinc = inde ab hoc carmine).** Cum hac elocutione comparabilis est quidam in Institutione oratoria Quintiliani locus, quem nonnulli editores sine iusta causa corrigere sunt conati (10,3,4): **Sed cum sit duplex quaestio, quo modo et quae maxime scribi oporteat, iam h i n c ordinem sequar.** Adverbium

hinc (= **inde ab hoc loco**)²⁵ in hoc conexu optime quadrat; nihil est, cur Quintilianum **hunc** pro **hinc** scripsisse arbitremur.

5.3. UNDE - NON MODO 'EX QUO LOCO', SED ETIAM 'A QUO LOCO'

In omnibus exemplis supra tractatis adverbia pronominalia internam localitatem designant, id est aut inessivam aut elativam aut illativam vim habent. Manifestum tamen est iisdem adverbis externam quoque localitatem exprimi posse. Quin etiam Cicero ipse - ut videtur, anno a. Chr.n.undeseptuagesimo²⁶ - orationem pro Caecina habens sibi eius defendendi causa necessario inter alia ostendendum esse existimavit adverbium **unde** non semper 'ex quo loco', sed interdum etiam 'a quo loco' significare.

In hac oratione de lite admodum multiplici agebatur, utrum A.Caecina an Sex.Aebutius possessor esset fundi, quem Caesennia, uxor Caecinae, moriens hereditate reliquerat.²⁷ Quae lis cum privatim convenire non posset, Caecina, ut narrat Cicero (Caecin.7,19), arbitrium familiae herciscundae postulaverat. Aebutius autem se tale arbitrium accepturum esse negaverat, ut qui iam vivente Caesennia sibi illum fundum emisset; non igitur hereditarium, sed privatum et proprium esse fundum. Tum "placuit Caecinae de amicorum sententia constituere, quo die in rem praesentem veniretur et de fundo Caecina moribus deduceretur" (Caecin.7,20), si verus heres haberi non posset. "Colloquuntur, dies ex utriusque commodo sumitur. Caecina cum amicis ad diem venit in castellum Axiam", a quo fundus ille non longe aberat. "Ecce ipse Aebutius in castellum venit; denuntiat Caecinae se armatos habere; abiturum eum non esse, si accessisset". Nihilo minus Caecina cum amicis de castello descendit, ut, si posset, in illum fundum ingrederetur, de quo legitima deductio fieri debebat; "tam temere istum re commissurum, quam verbis minitabatur, nemo putavit" (Caecin.7,21). At Aebutius omnes introitus, quibus in fundum adiri poterat, armatis hominibus clausit et servo suo, cui nomen erat Antiochus, imperavit, ut eum, qui fundum intrare conatus esset, occideret; oleas, quae fundum directo ordine definirent, terminos esse, ultra quos progredi non liceret. Caecina "tamen accessit propius et iam ingrediens intra finem eius lo-

ci, quem oleae terminabant, impetum armati Antiochi ceterorumque tela atque incursum refugit" (Caecin.8,22) una cum amicis advocatisque metu perterritis.²⁸ His rebus gestis Caecina interdictum de vi hominibus armatis a Dolabella praetore postulavit; qui in Aebutium huius formulae edictum edidit: **Unde tu, Sexte Aebuti, aut familia aut procurator tuus A.Caecinam aut familiam aut procuratorem eius vi hominibus coactis armatisve deiecisti, eo restituas.**²⁹ Cum Aebutius id, quod fieri praetor iusserat, facere recusavisset, Caecina eum sponsione provocavit. Res, ut fieri solebat, ad recuperatores deducta est, qui secundum formulam a praetore datam de lite iudicarent. C.Calpurnius Piso, qui Aebutii causam contra Caecinam agebat, ut ostenderet tale edictum in hac lite non valere, complura argumentatus est: non modo contendit Caecinae, ut Volaterris oriundo, nullum ius esse hereditatem Romae accipiendi negavitque ullam ei vim illatam esse, sed etiam monuit eum ab Aebutio de fundo non esse deiectum; hunc nihil fecisse nisi homines armatos opposuisse, ut Caecina intellexeret, si in fundo pedem posuisset, statim sibi esse pereundum (cf.Caecin.11,31): nullo igitur modo Caecinam deici inde potuisse, ubi non fuisset (cf.Caecin. 12,35). Quid Cicero ad haec ultima responderit, par est in extenso exscribere (Caecin.30,86-31,89):

Attendite quaeso diligenter, recuperatores; est enim vestri ingenii non meam, sed maiorum prudentiam cognoscere; non enim id sum dicturus, quod ego invenerim, sed quod illos non fugerit. Cum de vi interdicatur, duo genera causarum esse intellegebant, ad quae interdictum pertineret: unum, si qui **ex eo loco, ubi fuisset**, se deiectum diceret, alterum, si qui **ab eo loco, quo veniret**; et horum utrumque neque praeterea quidquam potest accidere, recuperatores; id adeo sic considerate.

Si qui meam familiam de meo fundo deiecerit, **ex eo me loco** deiecerit; si qui mihi praesto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum et me introire prohibuerit, non **ex eo**, sed **ab eo loco** me deiecerit. Ad haec duo genera rerum unum verbum, quod satis declararet utrasque res, invenerunt, ut, sive **ex fundo** sive **a fundo** deiectus essem, uno atque eodem interdicto restituerer: **unde tu**. Hoc verbum **unde** utrumque declarat: et **ex quo** et **a quo loco**. Unde deiectus est Cinna? **Ex urbe**. Unde <Telesinus>?³⁰ **Ab urbe**. Unde deiecti Galli? **A Capitolio**. Unde qui cum Graccho fuerunt? **Ex Capitolio**. Videtis igitur hoc uno verbo **unde**

significari res duas, et **ex quo** et **a quo loco**. Cum autem **eo** restitui iubet, ita iubet, ut, si Galli a maioribus nostris postularent, ut **eo** restituerentur, **unde** deiectioni essent, et aliqua vi hoc assequi possent, non, opinor, eos **in cuniculum**, **qua** aggressi erant, sed **in Capitolium** restitui oporteret. Hoc enim intellegitur: **unde** deiectioni, sive **ex quo loco** sive **a quo loco**, **eo** restituas. Hoc iam simplex est: **in eum locum** restituas. Sive **ex hoc loco** deiectioni, restitue **in hunc locum**, sive **ab hoc loco**, restitue **in eum locum**, non **ex quo**, sed **a quo** deiectioni est. Ut si qui, ex alto cum **ad patriam** accessisset, tempestate subito reiectioni optaret, ut, cum esset **a patria** deiectioni, **eo** restitueretur, hoc, opinor, optaret, ut, **a quo loco** depulsus esset, **in eum** se fortuna restitueret, non **in salum**, sed **in ipsam urbem**, quam petebat. Sic - quoniam verborum vim necessario similitudine rerum aucupamur - qui postulat, ut, **a quo loco** deiectioni est, hoc est, **unde** deiectioni est, **eo** restituatur, hoc postulat, ut **in eum ipsum locum** restituatur.

Cum verba nos eo ducunt, tum res ipsa hoc sentire atque intellegere cogit. Etenim, Piso, - redeo nunc ad illa principia defensionis meae - si quis te **ex aedibus tuis** vi hominibus armatis deiectioni, quid ages? Opinor, hoc interdicto, quo nos usi sumus, perseguere. Quid? Si qui iam de foro redeuntem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ages? Utere eodem interdicto. Cum igitur praetor interdixerit, **unde** deiectioni es, ut **eo** restituaris, tu hoc idem, quod ego dico et quod perspicuum est, interpretabere: cum illud verbum **unde** in utramque rem valeat, **eoque** tu restitui sis iussus, tam te **in aedes tuas** restitui oportere, si **e vestibulo**, quam si **ex interiore aedium parte** deiectioni sis.

Quae in hac copiosa argumentatione sunt potissima, in pauciora verba ita contulerim: maiores olim intellegentes legem brevem esse oportere, quo facilius ab imperitis teneretur (cf. Seneca, Epist. 94, 38), una eademque edicti formula ad duas res indicandas usos esse: **unde deiectioni** non modo pro **ex quo loco deiectioni** dixisse, verum etiam ampliore sensu pro **a quo loco deiectioni** (id est pro **quem in locum aditu prohibuisti**); Pisonem iniuste fecisse, quod primam tantummodo harum interpretationum valere contenderet, alteram omnino negare conaretur; **eo restituas** autem simile interpretandi spatium non praebere neque umquam aliud significare posse nisi **in eum locum restituas**.

Utique ex hac disceptatione concludi potest omnem de adverbiorum **unde** et **eo** exacta significatione quaestionem imprimis iuridicae naturae

fuisse; in sermone cotidiano manifestum est perraro cuiquam opus fuisse simili ratione "res involutas definiendo explicare" et "verba ambigua distinguere" (cf. Cic.Orator 29,102) aut deliberare, utrum adverbia usitatissima **hinc, illinc, inde, unde** etc., cum ad loca referrentur, elativam an potius ablativam vim haberent.

5.4. DE ADVERBIIS INESSIVIS ET ELATIVIS PROLATIVE POSITIS

In fragmento orationis a Cicerone pro Caecina habitae, quod supra exscripsi, unus est e locis a me in tertio capitulo enumeratis, quibus adverbium **qua** (sc. **via**) pro ablativo pronominis relativi **quo** vel pro elocutione praepositionali **per quem** adhibitum est, scilicet 30,88 **non, opinor, eos in cuniculum, q u a aggressi erant, sed in Capitolium restitui oporteret**. In huius generis elocutionibus, quarum iam satis amplum conspectum in observationibus generalibus exhibui,³¹ adverbia **hac, ea, qua** etc., ut ablativos viae, instrumentali potius quam locali origine esse conclusi, sed inde a Catone (Agr.44 **q u a locus ferax erit** etc.) aut strictius aut laxius correlatis suis annexa paullatim etiam in localem aream penetravisse atque, quo longius aetate proceditur, eo frequentius **qua** pro **ubi** adhibitum esse demonstravi. Limites semanticos inter adverbia prolative et inessiva obscuratos esse id quoque ostendit, quod non modo illa pro his, sed interdum haec pariter pro illis ponebantur; e.g. Versio Vetus Latina Is.35,8 (Tertull.Adv. Marc.4,24) **via sancta vocabitur et non transibit i l l i c immundum**, ubi **illic** idem significat atque **illa(c)** vel **per illam**. In Vulgata eodem loco haec leguntur: **...non transibit p e r e a m pollutus**. In Vita Caesaris Arelatensis **ubi** similem habet prolative functionem (2, 22): **Balnearia ibidem grandibus fastigiis constructa sunt. U b i si quis...transiret,...saxa...post se cadentia cum metu aspiciebat (ubi = per quae vel praeter quae, sc. balnearia)**.

Priusquam ea, quae ad loca referuntur, adverbia relinquamus, notandum est elativa quoque adverbia interdum in significationem prolative transire. Veterrimum, quod noverim, huius usus exemplum est Plaut. Capt.108-109 **Sed aperitur ostium, / u n d e saturitate saepe ego exii ebrius**, in quo **unde** pro **quo** aut **per quod** adhibitum manifesto cotidiani

sermonis habet colorem. In classici aevi litteris nullum simile exemplum inveni, sed imperatorum aetate Martialis epigramma obscenum, in quo feminae cuidam, nomine Gallae, cum taciturnitatem tum "fatui poppismata cunni" (7,18,11) vitio tribuit, tali remedio concludit (7,18, 13-14): **Dic aliquid saltem clamosoque obstrepe cunno / et, si adeo muta es, disce vel i n d e loqui!** In eo inde ad verbum loqui accedens prolativam habet functionem (= ea, sc. via); fingit enim poeta feminam non ore, ut fieri solet, loquentem, sed per eundem locum, qui sua "garrulitate sonat" et "poppismata" emittit.³²

Reliqua exempla sunt e posteriore Latinitate ecclesiastica desumpta: Vulg.4.Reg.4,8 **Erat autem ibi mulier magna, quae tenuit eum, ut comederet panem, cumque frequenter i n d e transiret, devertebat ad eam** (inde = per eam regionem; cf.4,9 **iste qui transit p e r n o s**); Luc.19,4 **et praecurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret illum, quia i n d e erat transiturus** (inde = per eum locum). Fragmentum Vitae Caesarii Arelatensis supra commemoratum (2,22) sic continuatur: **Caventes universi, ne i n d e umquam praeterirent, unde etiam monebantur omnes nescientes, ne in illud periculum inciderent, i n d e praetergredi non debere** (inde = per ea). Iordanes scribit Get.27 **pons dicitur, u n d e annem traiecerat, corruisse** (unde = quo vel per quem), Gregorius Turonensis Glor.conf.13 **resede in loco, u n d e nobis est transitus, et, praetereunte me cum rege, exclama!** (unde = quo vel per quem). In Itin.Ant.Plac.8 A haec leguntur: **per plateas, u n d e transivimus sive nos sive Iudaei**, quo loco fortasse potius adverbium qua (sc. via) expectaveris adhiberi quam plurale pronomen quibus ad plateas relatam (vel elocutionem per quas, quae insuper tautophoniam efficeret). Plura eiusdem generis exempla profert Svennung de sermone Palladii disserens recteque monet in iis plerumque de confusione quadam verborum transgrediendi et praetergrediendi cum verbis egrediendi et ingrediendi agi, quae effecit, ut adverbium quoque prolativa et elativa inter se confunderentur sive ut locus, **per quem transitur, in locum, e quo exitur**, mutaretur.³³ Quo modo id fieri potuerit, quaerentibus versus quosdam Vergili (Aen.6,42-44) iam semel obiter commemoratos³⁴ denuo velim proferre: **Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum, / quo lati ducunt aditus centum, ostia centum, / u n d e ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.** Vergilius ipse qui-

dem adverbium **unde**, sicut **quo** in priore versu, sine dubio ad **antrum** rettulit (**unde** = **e quo**, sc. **antro**); at posterioribus saeculis, quibus limites semantici adverbiorum localium iam obscurati erant, quis scit quot Vergilium legentes idem adverbium ad proximum substantivum antecedens, id est ad **ostia**, sicut in exemplo Plautino supra prolato ad **ostium**, referendum esse putaverint, ea scilicet de causa, quod voces ex antro **per ostia** exeuntes necessario **ex ostiis** ad aures hominum prope antrum stantium perferuntur. Equidem addiderim non solum in Italica lingua itidem **entrare dalla finestra** dici, quod commemorat Svennung, sed alibi quoque similia inveniri: e.g. in linguam Finnicam illa elocutio Italica optime **tulla ikkunasta sisään** convertitur, etsi **ikkunasta** est casus elativus potius 'e fenestra' significans quam 'per fenestram', cui proprie respondent elocutiones Finnicae **ikkunan kautta** et **ikkunan läpi**.

Hoc loco breviter commemoro vim prolativam in seriore Latinitate etiam praepositione **per**, cum qua adverbium **inde** coniunctum est, exprimi posse: Vitae patrum (Ioannes) 6,4,36 **Ego interim, si necesse est transire per inde et videro eum fratrem peccantem, praetereo**. Salonius hanc elocutionem recte notat localiter accipiendam esse ac praepositionem **per** hic idem fere significare ac **praeter**. Cur autem adhibita sit praepositio, Salonius et Leumann-Hofmann-Szantyr diversa ratione explicant: ille auctorem fortasse verecundia ("Schüchternheit") quadam adductum brevitatem quandam elocutoriam ("Kürze des Ausdrucks") affectasse credit, ne loci, ubi frater peccaret, nisi obiter mentionem faceret;³⁵ hi autem talem explicationem aspernati in elocutione **transire per inde** nihil aliud nisi Graecismum quendam vident, pedisequam translationem verborum $\pi\alpha\rho\rho\epsilon\lambda\theta\epsilon\acute{\iota}\nu \delta\iota\alpha \tau\omega\nu \acute{\epsilon}\kappa\epsilon\acute{\iota}$, mancam quidem, quod in Latinitate nullus sit articulus Graeco $\tau\omega\nu$ respondens.³⁶

Equidem huic explicationi haud parum momenti tribuendum esse censeo. Constat enim in usu adverbiorum, sicut in multis aliis rebus, quantum Latinitas Christiana horum saeculorum e Graeca lingua pendeat, manifesto apparere. Complures textus ecclesiastici tum e Graeco in Latinum ita convertebantur, ut ab interpretibus fidis rerumque minus peritis prope verbis verba redderentur (cf. Hor. Ars poet. 133-134) ac frequenter praepositiones in Graeco textu occurrentes mechanice etiam in versione

Latina collocarentur, sive ad eam aptae essent sive minus convenirent. Pro exemplo huius rei cedit adverbium compositum **exinde**, quod nonnumquam elocutionem Graecam **ἐξ αὐτοῦ** videtur imitari.³⁷ Neque tamen semper necesse est originem huius generis elocutionum in Graeca lingua reperire conari; saepe in iis tantummodo de sermonis popularis peculiaritate agitur summae perspicuitati faventis. In eo, quod hic tractavi, exemplo praepositio **per** elocutionem quodam modo magis perspicuam reddere videtur, quia **inde** propria significatione non prolativum, sed elativum et ablativum est adverbium.

6. DE ADVERBIIS AD RES RELATIS

6.1. RES - NEQUE LOCA NEQUE PERSONAE

Observatis adverbiiis pronominalibus non modo forma, sed etiam significatione vere localibus - quae scilicet ad vocabula localia aut cum iis comparabilia referuntur - tempus est in eius generis exempla transire, in quibus adverbia aliquatenus extra localem functionem digressa sunt, ut quae pro correlatis non habeant locorum appellationes, sed vocabula alias res - concretas aut abstractas - designantia. Personalia autem correlata, quibus septimum capitulum dedicabo, nondum nisi strictim, si opus est, attingo.

Statim tria profero exempla, quibus diversa genera translatae localitatis adverbiorum illustrem: Plaut.Pseud.771-772 **Velut haec mi evenit servitus, ubi ego omnibus / parvis magnisque miseriis praefulcior** (ubi = in qua, sc. servitute); Cato, Agr.33,5 **vimina, unde corbulae fiant, conservato** (unde = e quibus, sc. viminibus); Hor.Sat.1,1,14-15 **audi, / quo rem deducam** (quo = in / ad qualem conclusionem). In primo exemplo correlatum est res abstracta vocabulo **servitus** expressa, in secundo adverbium ad **vimina** referatur, quae res concretae sunt; in tertio autem nullum est vocabulum, ad quod adverbium nominatim referatur; conclusio eo designata e subsequentibus versibus (ibid.15-22) apparet. Translata illa localitas, si morphologice tantum examinatur, in duobus primis exemplis interna est, in tertio autem aeque iure externa haberi potest. Revera cum non localia sint correlata adverbiorum, illa contrarietas semantice multo obscurior est quam in exemplis prioris capituli. Ea vero trinitas, quam exemplis supra positis ante omnia illustrare volui (**ubi / unde / quo**), in hoc quoque capitulo lucida est et digna, quae in perscrutando retineatur. Primum igitur adverbia **inessi-**

va & adessiva, deinde elativa & ablativa, postremo illativa & allativa tractantur.

6.2. ADVERBIA INESSIVA & ADESSIVA

6.2.1. IBI, UBI, IBIDEM, ALIBI, NUSQUAM

In maxima parte exemplorum, quibus in sequentibus paginis adverbia ad res relata illustro, res illae plus minus abstractae sunt. Concretae enim sive corporeae res plerumque eius generis videntur esse, ut ab elocutionibus localibus, quas in priore capitulo iam examinavi, aut nihil aut subtiliter tantum differant.¹ In limite quodam propriae et translatae localitatis versatur **ibi** in Plautino inter Agorastoclem adolescentem et Milphionem servum diverbio (Poen. 295) **"I in malam rem!" - "I b i sum equidem."** In eo **ibi** nimirum ad rem refertur, quam potius concretam quam abstractam esse ostendit elocutio idem fere significans (**in**) **malam crucem**, apud Plautum non minus usitata quam **in malam rem** (cf. e.g. Poen. 494-496 **"Colaphis quidem hercle tuom iam dilidam caput, / nisi aut auscultas aut is in malam crucem!" / "Malam crucem ibo potius."**). Utique ambobus locis agitur de inveterata abominandi formula, cui tamen Milphio Agorastocli respondens quodam modo lepide propriam localem vim reddit (= **Equidem non possum in malam rem ire; nempe iam sum in mala re!**).²

Alia exempla, in quibus res praecedenti enuntiato dictae adverbio **ibi** designantur, ex archaici aevi litteris haec proferantur: Plaut. Epid. 593 **Numquid ego i b i, pater, peccavi** (**ibi** = in ea re, sc. quod te patrem vocabam; cf. v. 587 et 593-594); Ter. Heaut. 471-472 **Subsensi id quoque, / illos i b i esse, id agere inter se clanculum** (**ibi** = in iis insidiis vel earum insidiarum participes); 983-984 **"Inrides in re tanta neque me consilio quicquam adiuvas?" / "Immo et i b i nunc sum et usque id egi dudum, dum loquitur pater."** (**ibi sum** = consilio te adiuvo); 1060-1063 **"Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames, / filiam Phanocratae nostri."** **"Rufamne illam virginem, / caesiam, sparso ore, adunco naso?"**

Non possum, pater!" / "Heia, ut elegans est! Credas animum i b i esse!" Ad haec ultima verba Chremetis Eugraphius scholiastes fine quarti aut initio quinti p.Chr.n. saeculi ita adnotavit: "'ut elegans est': id est prudens **in discretione puellarum**, quia **ibi**, id est: **in hac electione est totus.**"³ Elocutio **ibi est animus** pro **in ea re cogitationes sunt** alibi quoque occurrit; e.g. Plautus Alcesimarchum adolescentem "in amoris rota" versantem adverbia localia simul propria et translata vi adhibentem facit (Cist.211-212): **U b i sum, i b i non sum; / u b i non sum, i b i est animus.**

Diversi generis elocutio est e.g. Marcell.Medicam.29,52 **de novem coloribus, ita ut i b i album vel nigrum non sit, facies...fila;** in ea enim pro **ibi** non modo **in iis**, sed etiam **inter eos** (sc. colores) aut **in numero eorum** dici potest.

E sermone negotiali desumpta videtur esse elocutio **ibidem una traho**, quam Plautus in Trinummo bis adhibet: 202 **Atque egomet me adeo cum illis una i b i d e m traho** (id est fere: **me in eodem cum illis numero esse sentio**) et 412 **'Quid, quod dedisti scortis?'** **'I b i d e m una traho.'**, ubi pro his Lesbionici verbis e.g. **Ibidem** (= **in eadem ratione vel in eadem computatione**) id **includo** possis dicere. Vix igitur adverbium inessivum **ibidem** his locis abusive pro illativo **eodem** positum est, quamquam alias ad verbum trahere saepius illativae quam inessivae elocutiones accedunt; veri similis est trahere in hac speciali formula computandi⁴ eandem fere vim habere atque **includere**, quod et inessivas et illativas elocutiones ad se admittit.⁵

Etiam apud classici aevi scriptores exempla mentione digna reperiuntur. Cicero in oratione pro Sex.Roscio Amerino (29,82) adverbium **ibi** pro **in eo** elocutioni praeositionali **in ipsa causa** opponit: **Si quid est, quod ad testes reservet, i b i quoque nos, ut i n i p s a c a u s a, paratiores reperiet quam putabat.** In oratione pro Caecina res ab Aebutio gestas primum elocutione praeositionali **in eo**, deinde adverbio **ibidem** designat (9,23): **Laesit i n e o Caecinam; sublevat i b i d e m.** Postea in eadem oratione ea, quae Aebutius de formula interdicti locutus sit, repetit (23,66): **Sed ego invenio in interdicto verbum unum, u b i delitescam: non**

deieci te ex eo loco, quem in locum prohibui ne venires (ubi = in quo, sc. verbo). Pro tertio exemplo Ciceroniano cedat 2.Or.Verr.1, 10,27 **Quis nos magnopere attendit umquam in hoc quidem genere causarum, u b i aliquid ereptum aut ablatum a quopiam dicitur?** (ubi = in quo, sc. genere, vel in quibus, sc. causis). E Varronis opere De lingua Latina duos profero locos: 8,3,10 **quarum rerum usus erat simplex, <simplex> i b i etiam vocabuli declinatus (ibi = in iis);** 9,64,112 **peccat in his verbis, u b i duobus modis dicuntur** (adverbium ubi fortasse etiam tautophoniae vitandae causa Varro hic elocutioni praepositionali in quibus antetulit). Livius, postquam Romanos propter "plurium imperium" in proelio adversus Veientes facto "plus...ignominiae quam cladis" accepisse rettulit (4,31,2-3, ita pergit scribere (4,31,4): **Maesta civitas fuit, vinci insueta; odisse tribunos, poscere dictatorem: i n e o verti spes civitatis. Et cum i b i quoque religio obstaret, ne non posset nisi ab consule dici dictator, augures consulti eam religionem exemere.** Dictatorem nominandum primo elocutione praepositionali in eo indicat, deinde locali utitur adverbio ibi, pro quo itidem elocutio praepositionalis in dictatore nominando adhiberi possit. Adverbium tamen non prorsus ad ipsum dictatorem refertur, sed potius ad rem, id est ad consuetudinem, quam in dictatore nominando neglegi religio vetat.⁶ Ex aetate imperatorum unum profero exemplum: Quint. Inst.or.7,1,5-6 **Cogitabam, quid primum petitor diceret. Id aut confessum erat aut controversum. Si confessum, non poterat i b i esse quaestio (ibi = in ea re, sc. quam petitor dixerat).**

Interdum elocutionibus **spem (re)ponere, animum habere** aliisque similibus adverbium locale annectitur ad designandam rem, **ubi (= in qua)** spes reponitur aut aliquis animum habet: Cato, Or.fragm.214 (apud Gellium 13,17,1) **Nunc ita aiunt, in segetibus et in herbis bona frumenta esse. Nolite i b i nimiam spem habere.** Apud Livium praecipue adverbium **alibi** ita usurpatum frequenter occurrit: 2,39,8 **senatus consulesque n u s q u a m a l i b i spem quam in armis ponebant (nusquam alibi = in nulla alia re);** 7,41,2 **sibi se privatim nihil cavere; nolle a l i b i quam in innocentia spem habere;** 9,23,8 **nullam a l i b i quam in semet ipso cuiquam relictam spem;** 10,20,16 **coactique vendere praedam, ne a l i b i quam in**

armis animum haberent; 30,35,10-11 Hannibal...fessus in curia est non proelio modo se, sed bello victum, nec spem salutis a l i b i quam in pace impetranda esse (alibi = in alia re).⁸ Interdum alibi tantum velut subauditur: 34,14,3 n u s q u a m nisi in virtute spes est (nusquam = in nulla re).

In sermone cotidiano etiam huius generis elocutiones genetivo partitivo loci, qualem supra in capitulo quarto examinavi,⁹ compleri possunt, e.g. Plaut.Rud.1161 Di immortales, u b i l o c i sunt spes meae?

6.2.2. HIC, ILLIC

Simili ratione hic pro elocutione praepositionali rem vel rerum adiuncta designante passim ponitur. Affero aliquot exempla e litteris diversarum aetatum excerpta: Plaut.Merc.307 ludificas nunc tu me h i c, opinor, Demipho! (hic = in hac re); Ter.Heaut.709-710 Huic equidem consilio palmam do: h i c me magnifice efero, / qui vim tantam in me et potestatem habeam (hic = in hoc consilio); Cic.Or. Pis.7,15 Caedem illi civium, vos servitutem expetistis; h i c vos crudeliores; Ovid.Metam.1,446-449 instituit sacros celebri certamine ludos / Pythia perdomitae serpentis nomine dictos. / H i c iuvenum quicumque manu pedibusve rotave / vicerat, aesculeae capiebat frondis honorem (hic = in his, sc. ludis sacris); Epist.Pont.4, 8,13-15 Ei mihi, si lectis vultum tu versibus istis / ducis et ad finem te pudet esse meum! / At nihil h i c dignum poteris reperire pudore (hic = in hac adfinitate); Iuv.7,98-99 Vester porro labor fecundior, historiarum / scriptores? Perit h i c plus temporis atque olei plus (hic = in hoc labore); Tac.Hist.4,45,1 nec finem iniuriae h i c stetisse (hic = in hoc, sc. quod Manlius coetu multitudinis et iussu magistratum pulsatus esset); Plin.Epist.1, 20,4 H i c ille mecum auctoritatibus agit (hic = in hac disputatione); Augustin.Civ.Dei 16,11 (Dombart II, p.145, lin.14-16) Nam quod ex filio Cham, qui vocabatur Mesraim, Aegyptii perhibentur orti, nulla h i c resonat origo vocabuli (hic = in hoc nomine).

In responso furibundo, quo apud Vergilium Iuno in concilio deorum

orationem a Venere pro Aenea et Ascanio habitam excipit, praecipue notandi sunt hi versus (Aen.10,72-73): **Quis deus in fraudem, quae dura potentia nostri / egit? Ubi hic Iuno demissave nubibus Iris?** Ambo adverbia, et ubi et hic, in ore Iunonis a locali notione aliquatenus sunt remota. Alteram quaestionem deae paraphrasi prosaica ita fere reddiderim: "Qua ratione in his rebus Iuno demissave nubibus Iris accusari possunt?";¹⁰ Venus enim paulo ante (10,38-39) questa est "actam nubibus Irim" inter alios Aeneae ceterisque Troianis in angustias adductis Iunone hortante nocere studuisse, Iunoque aspere omnem culpam malorum Aeneae ipsi tribuit negans sese aut alios deos eum, ut regi Latino hostem se inferret et castris incaute relictis "gentes quietas" agitaret, hortatos esse.

Iuxta hic etiam adverbium illic (sive illi) pariter adhibitum occurrit, e.g. Plaut.Truc.25-28 **Quot amans exemplis ludificetur, quot modis / pereat quotque exoretur exorabilis: / quot illi c blanditiae, quot illi c iracundiae / sunt!** (illic = in illa re sive in amore);¹¹ Ter.Phorm.772 **Ut stultissime quidem illi rem gesserimus** (illi = in illo negotio). In sequentibus versibus ex Andria Terenti excerptis hic et illic inter se opponuntur: 637-638 **nil pudent hic, ubi opust; illi c, ubi / nil opus est, ibi verentur**, et 717-720 **Summum bonum esse erae putavi hunc Pamphilum, / amicum, amatorem, virum in quovis loco / paratum, verum ex eo nunc misera quem capit / laborem; facile hic plus malist quam illi c boni.** Adverbia hic et illic in ultimo versuum aliorum Donatus copiose perscrutatur: primum quidem ad hic explicandum scribit: **in dolore et metu scilicet amittendi**, deinde illic dicit **in voluptate retinendi** significare ac postremo addit id simul ad hominem referri: "id est in amico, amatore et viro." Haud multum ab hoc differt explicatio Eugraphii "Sensus est: in hoc, quod nunc deseritur, plus sit forte calamitatis, quam illic, si amor perseveraret, ut eam uxorem duceret, boni esse potuisset"¹² Pro compendio huius explicationis cedunt verba anonymi cuiusdam scholiastae "**hic: in dolore; illic: in illius amicitia**"¹³ pariterque ea, quae Thesaurus Linguae Latinae docet: **hic (in hoc labore, aerumna)...illic (in voluptate).**¹⁴

Similia exempla etiam in classicis atque posterioribus litteris reperiuntur. Livius Caesonem Fabium consulem de bello contra Veientes gerendo inter alia hoc dicentem inducit (2,48,9): **Nostrum id nobis velut familiare bellum privato sumptu gerere in animo est; res publica et milite i l l i c et pecunia vacet** (illic = in illo bello). Ovidius, quidnam novi iis, qui librum primum Artis amatoriae iam perlegerunt, eiusdem carminis secundus liber afferat, inter alia his versibus demonstrat (2,13-14): **Nec minor est virtus, quam quaerere, parta tueri. / Casus inest i l l i c, hoc erit artis opus** (illic pro in illo opere scribit elocutioni hoc...opus opponens). Seneca, dum Marciam morte filiorum, praecipue Metilii,¹⁵ lugentem consolatur, ei refert, quo modo Areus philosophus Iuliam Augustam sive Liviam morte Drusi filii lugentem consolatus sit (Marc.Consol.4,2 - 5,6), atque ita pergit (6,1): **Tuum i l l i c, Marcia, negotium actum, tibi Areus adsedit; muta personam - te consolatus est** (illic = in illa consolatione).¹⁶ Quintilianus, postquam oratori futuro suasit, ut optimis scriptoribus multa lectione cognitum rectam imitandi rationem disceret, stilum sive exercitationem scribendi tractare adortus inter alia his verbis laudat (Inst.or.10,3,3): **I l l i c radices, i l l i c fundamenta sunt, i l l i c opes velut sanctiore quodam aerario conditae**. Quantum momentum "illic" sive in illa re ponat, ex eo quoque apparet, quod adverbium anaphorice ter repetit. Alio loco Institutionis oratoriae (4,1,36) hic et illic inter se opponuntur: **Id tamen totum respondentem facilius est quam proponenti, quia h i c admonendus iudex, i l l i c docendus est** (hic = in proponendo et illic = in respondendo). In hoc exemplo adverbium localia similem atque plerumque ipsa pronomina demonstrativa hic et ille inter se relationem habent: **illic** enim rem "illam" prius dictam, **hic** autem "hanc" proximam designat. Inverso ordine posita occurrunt eadem adverbium e.g. apud Velleium, qui iis alia vi usus itidem antithesim efficit (2,49,1-2): **Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior; h i c omnia speciosa, i l l i c valentia: Pompeium senatus auctoritas, Caesarem militum armavit fiducia**. Adverbiis scriptor oblique ostendit, utrius causa sibi magis placeat (hic = in causa Pompeii, quae iustior esset, illic = in causa Caesaris, quae minus iusta esset).¹⁷

Nonnumquam adverbio **hic** ad rem remotiorem designandam non **illic**, sed **ibi** opponitur: Cels.3,1,4 **Magis tamen ignoscendum medico est parum proficienti in acutis morbis quam in longis; hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non profuit, aeger extinguitur; ibi et deliberationi et mutationi remediorum tempus patet** (**hic** = in acutis morbis, qui qua ratione sanentur, **hic** et nunc discernendum est; **ibi** = in longis morbis, de quibus curandis postea quoque decerni potest); Plin.Epist.5,8,11 **non adducor, ut duo dissimilia...confundam misceamque, ne tanta quasi colluvione turbatus ibi faciam, quod hic debeo** (**ibi** = in oratione scribenda, qua praesenti tempore non sum occupatus; **hic** = in historia scribenda, ad quam rem multi me nunc ipsum impellunt); Tac.Ann. 15,50,4-5 **Et cepisse impetum Subrius Flavius ferebatur in scaena canentem Neronem adgrediendi aut cum ardente domo per noctem huc illuc incursaret incustoditus. Hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrima animum extimularant, nisi impunitatis cupido retinisset** (**hic** = in hoc casu sive in hoc consilio, sc. Neronem incustoditum nocte aggrediendi, **ibi** = in eo casu sive in eo consilio, sc. Neronem in scaena canentem aggrediendi).

Denique unum exemplum proferatur ex serae antiquitatis iuridica Latinitate, scilicet Ulpian.Dig.47,8,4,6 **eritque haec differentia inter hoc edictum et superius, quod ibi de eo damno praetor loquitur, quod dolo malo hominibus coactis datum est; at hic de eo damno, quod dolo malo in turba datum est** (**ibi** = in superiore edicto et **hic** = in hoc edicto).

6.2.3. ISTIC

Adverbium **istic**, ut pronomen **iste**, plerumque cum persona compellata (**tu**) vel cum pluribus personis compellatis (**vos**) artissime conec-titur. Hoc iam ex archaici aevi comoediis patet. Neque semper puram localem vim (= **isto loco**) habet, qua id adhibet e.g. Plautus in Most.939 **heus, pueri, quid istic agitis?**, sed etiam translate

ad rem referri potest: Epid.141 **Q u i d i s t i c v e r b a f a c i m u s ?** (id est fere "Quidnam nobis prodest in ista re tua verba facere?");¹⁸ 263-265 **I m m o s i p l a c e b i t , u t i t o r / c o n s i l i u m , s i n o n p l a c e b i t , r e p e r i t o t e r e c t i u s ! / M i h i i s t i c n e c s e r i t u r n e c m e t i t u r , n i s i e a , q u a e t u v i s , v o l o** (istic = in ista re). A Terentio istic et alibi usquam inter se opponuntur: Andr.420 **N e q u e i s t i c n e q u e a l i b i t i b i e r i t u s q u a m i n m e m o r a** (istic = in ista re et alibi usquam = in ullis aliis rebus). Alio autem loco (Heaut.353-356) istic et hic non inter se contraria sunt, sed eandem rem designant: **R i d i c u l u m e s t i s t u c m e a d m o n e r e , C l i t i p h o , / q u a s i i s t i c m i n o r m e a r e s a g a t u r q u a m t u a . / H i c s i q u i d n o b i s f o r t e a d v e r s i e v e n e r i t , / t i b i e r u n t p a r a t a v e r b a , h u i c h o m i n i v e r b e r a .** Ad hoc exemplum mox redeo de temporali usu adverbiorum inessivorum & adessivorum disserens.¹⁹

Apud Ciceronem in Epist.Fam.12,13,4 **T e v o l o b e n e s p e r a r e e t r e m p u b l i c a m , u t v o s i s t i c e x p e d i s t i s , i t a p r o n o s t r a p a r t e c e l e r i t e r v o b i s e x p e d i r i p o s s e , c o n f i d e r e** adverbium istic aut meram localem vim habet aut elocutioni pro nostra parte oppositum idem fere significat ac pro vestra parte.²⁰

Seneca copiose perscrutans, quantum is, qui alteri beneficium dat, hunc eo obstringat, bis istic plane pro in ista re dicit: Benef.6, 13,3-4 **"P u t a" , i n q u i t , " a l i t e r f i e r i n o n p o s s e m e m a g i s t r a t u m , q u a m s i d e c e m c a p t o s c i v e s e x m a g n o c a p t i v o r u m n u m e r o r e d e m e r o ; n i h i l d e b e b i s m i h i , c u m t e s e r v i t u t e a c v i n c u l i s l i b e r a v e r o ? A t q u i m e a i d c a u s a f a c i a m . "** Adversus hoc respondeo: **" A l i q u i d i s t i c t u a c a u s a f a c i s , a l i q u i d m e a : t u a , q u o d r e d i m i s , m e a , q u o d m e r e d i m i s ; t i b i e n i m a d u t i l i t a t e m t u a m s a t i s e s t q u o s l i b e t r e d e m i s s e . "** ac paulo post (6,14,2) **A l i q u i d i s t i c m e a c a u s a f a c i s , q u o d m e a d f o r t u n a m r e d e m p t i o n i s a d m i t t i s .** In eodem libro, postquam quaesivit, si quis quid viliore, quam fieri solet, pretio ab aliquo emit, utrum emptor "ob hoc aliquid...extra" venditori pro re iam empta debeat (6,15,3), venditori illi fictivo id contendenti respondet pretium omnium rerum "pro tempore" aestimandum esse (6,15,4) atque addit (6,15,5): **D e i n d e e t i a m s i p l u r i s i s t a s u n t , n o n t a m e n u l l u m i s t i c t u u m m u n u s e s t , u t n o n e x u s u e f f e c t u v e , s e d e x c o n s u e -**

tudine et annona aestimetur (istic = in ista re vel in isto negotio).

Idem in Remediis fortuitorum (fragm.13,1) dicit: **Fles mortem... Quid istic novum est? Quam rara est sine isto casu domus? (istic = in ista re sive in isto casu).** Dum vero ad Lucilium scribens magnos quoque viros credidisse monet "nihil perire in hoc mundo" et "animalia quoque per vices ire et animos per orbem agi" (Epist.108,20), eum ita interrogat (ibid.21): **Quod istic credulitatis tuae damnum est?**, ubi **istic** solito laxius ad secundam personam applicatur; non enim opiniones Lucilii sunt "istae res", quas designat, sed cogitationes "virorum magnorum" a Seneca commemoratorum, quas ipse Lucilio persuadere studet.

In commercio epistularum M.Cornelii Frontonis cum M.Aurelio imperatore **istic** interdum ad res refertur: Fronto ad Aur., van den Hout, p.19, lin.9-11 **quem ad modum tibi videtur fabula Polemonis a me descripta? Plane multum mihi facetiarum contulit istic Horatius Flaccus (istic = in ista re vel quod ad istam rem attinet);** Aur.ad Front., van den Hout, p.24, lin.14-16 **Sane istis hexametris prope nullum periculum erat (sc. ne a me in furnum dimitterentur). Ut enim verum magistro meo confitear, amo illos. Ego istic noctibus studeo, nam interdum in theatro consumitur (adverbium istic fere pro dativo pangendis et recensendis istis hexametris, sc. quos petivisti, adhibitum est atque elocutioni locali in theatro oppositum);** Aur.ad Front., van den Hout, p.55, lin.19-20 **Et Herodes te amat et ego istic hoc ago (= istic = in ista re, id est in amore tui).**

Locum supra citatum Plaut.Epid.141 nonnulli editores aliter interpungunt: **Quid istic? Verba facimus,** quod mihi minus credibile quidem videtur, sed omnino excludi non potest.²¹ Frequenter enim in diverbiis personarum Plauti et Terenti occurrit elocutio **quid istic?**, cui, ut ait Donatus, "deest loquor aut resisto; nam proprie significatio est de sententia sua decedentis" (adn.Ter.Adelph.133). Alibi quoque Donatus passim eandem formulam notat docens **istic** esse adverbium "aegre concedentis" (adn.Eun.388) vel "consentire incipientis" (adn.Eun.171).²² Saepissime profecto elocutio **quid istic?**

idem fere significat atque 'Quidnam in ista re obsistam' sive 'Licet per me': Plaut. Merc.1004 "Nil opus resciscat." "Quid i s t i c ? Non resciscet; ne time!"; Poen.1224-1225 "Perge etiam temptare! In pauca confer: sitiunt qui sedent." / "Quid i s t i c ? Quod faciundumst, cur non agimus?"; Rud.1330-1332 "Non potest triobolum hinc abesse. / Proin tu vel aias vel neges." / "Quid i s t i c ? Necessum est, video: / dabitur talentum."; Trin. 571-573 "Nunc tuam sororem filio posco meo: / quae res bene vortat. Quid nunc? Etiam consulis?" / "Quid i s t i c ? Quando ita vis, di bene vortant; spondeo.";²³ Ter.Adolph.133-134 "Mihi sic videtur." "Quid i s t i c ? Si tibi istuc placet, / profundat, perdat, per eat; nihil ad me attinet."; Andr.570-573 "Principio amico filium restitueris; / tibi generum firmum et filiae invenies virum." / "Quid i s t i c ? Si ita istuc animum inducti esse utile, / nolo tibi ullum commodum in me claudier."; Eun.386-389 An potius haec patri aequomst fieri, ut a me ludatur dolis? / Quod qui rescierint, culpent; illud merito factum omnes putent." / "Quid i s t i c ? Si certumst facere, facias; sed ne post conferas / culpam in me!"; Heaut.1052-1053 "Age quaeso, ne tam obfirma te, Chreme!" / "Quid i s t i c ? Video non licere, ut coeperam, hoc pertendere."; 1063-1065 "Aliam dabo." / "Quid i s t i c ? Quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum / quam volo."²⁴ Etiam in Senecae epistulis quid istic? semel occurrit, vi quidem paululum diversa positum; nam consentire se tantum, non de sententia sua decedere Seneca ea elocutione ostendit: 17,11 Reges Parthos non potest quisquam salutare sine munere; tibi valedicere non licet gratis. Quid i s t i c ? Ab Epicuro mutuam sumam: "multis parasse divitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio".

Interdum eadem elocutio solitum usum aliquanto magis excedit: Eun. 171-174 "Ob haec facta abs te spernor?" "Quid i s t i c , Phaedria? / Quamquam illam cupio abducere atque in hac re arbitror / id fieri posse maxime, verum tamen / potius quam te inimicum habeam, faciam, ut iusseris.", ubi Thais Phaedriae Quid istic? fere pro Nugas agis! dicit (proprie pro Quid rationis est in istis verbis? vel Quidnam dicere vis?).²⁵ Apud Apuleium quid istic est? bis pariter adhibetur: Metam.2,10,3 "Cave, ne nimia mellis dulcedine diutinam

bilis amaritudinem contrahas." "Quid i s t i c", inquam, "est, mea festiuitas, cum sim paratus vel uno saviolo interim recreatus super istum ignem porrectus assari!" et 9,6,1, ubi maritus ab uxore obiurgatus, quod "otiosus insinuatibus manibus" ambulet "nec obito consueto labore" quidquam "cibatum" paret, "Et quid i s t i c est?" ait. "Nam licet forensi negotio officinator noster attentus ferias nobis fecerit, tamen hodiernae cenulae nostrae prospexi." In his exemplis quid istic? non vocaverim elocutionem "consentire incipientis", ne "aegre concedentis" quidem; immo in unoquoque eorum persona loquens in sententia sua perseverat.

De inveterata colloquendi formula supra tractata nimirum non agitur apud Senecam scribentem (Nat. quaest. 1,3,4): **Quid ergo i s t i c duo colores faciunt lucis atque umbrae, cum innumerabilium ratio reddenda sit? (istic = in isto, sc. arcu pluvio).**²⁶

Itidem mentione digna est elocutio **istic sum** idem fere significans atque **animo in ista re adsum** vel **praesto sum**, ut **auscultem** vel **arrectis auribus adsto** (cf. Verg. Aen. 1,152); cuius exempla - pauca quidem - et archaico et classico aevo necnon in posterioribus litteris occurrunt: Ter. Hec. 114 **"Ausculta!" "I s t i c sum."**; Cic. Fin. 5,26,78 **"Quare attende, quaeso; nam adhuc, meo fortasse vitio, quid ego quaeram, non perspicias."** **"I s t i c sum, inquit, exspectoque, quid ad id, quod quaeram, respondeas."**; Augustin. Contr. acad. 1,3,9 **Explica; i s t i c sum enim et aveo audire**, et Soliloquia 1,15,28 **"Iam et hoc concedo et magnopere, quid moliaris, exspecto."** **"Ergo attende!" "I s t i c sum."**; 2,2,2 **"Hic ergo esto nunc, ut interroganti caute firmeque respondeas."** **"I s t i c sum."**²⁷

In posteriore Latinitate vulgari adverbium **istic** etiam ad res relatam similiter ac pronomen **iste** in novam aream ingrediens functione adverbii hic potitur. Hoc ostendit e.g. Versio Vetus Lat., 2. Macch. 15,38, ubi **i s t i c finem faciam sermonis** verisimillime genuina est scriptura, sed ubi pro **istic** nonnullis codicibus **hic** aut **hoc loco** traditum est.²⁸ In Vulgata idem locus in formam **in his finem faciam sermonis** est mutatus.

6.2.4. UBIQUE, UBICUMQUE, UBIVIS, UTRUBIQUE

Indefinita quoque adverbia localia, e quibus unum est alibi supra tractatum, etsi rarius quam demonstrativa, tamen nonnumquam ad res referri ostendunt quidam loci, e.g. Ter.Andr.203 **U b i v i s f a c i l i u s p a s s u s s i m q u a m i n h a c r e m e d e l u d i e r** (ubivis = in quavis re, elocutioni in hac re oppositum); Hor.Sat.1,2,59-62 **A n t i b i a b u n d e / p e r s o n a m s a t i s e s t , n o n i l l u d , q u i c q u i d u b i q u e / o f f i c i t , e v i t a r e ? B o n a m d e p e r d e r e f a m a m , / r e m p a t r i s o b l i m a r e m a l u m e s t u b i c u m q u e .** Hoc in exemplo dubitari potest, utrum adverbiiis res amatoria in universum an ipsae amatrices designentur: **u b i q u e** aut pro **i n u n a q u a q u e r e a m a t o r i a** aut pro **i n u n a q u a q u e a m a t r i c e** positum est atque **u b i c u m q u e** - cui hic non relativa, sed eadem atque adverbio **u b i v i s** indefinita vis est - aut pro **i n q u a v i s r e a m a t o r i a** aut pro **i n q u a v i s a m a t r i c e** positum.²⁹ Prope similiter dubiae interpretationis est etiam alius locus Horatianus, scilicet Epist.1,6,10-11 **p a v o r e s t u t r u b i q u e m o l e s t u s , / i n p r o v i s a s i m u l s p e c i e s e x t e r r e t u t r u m q u e ,** ubi **u t r u b i q u e** aut ad res aut ad homines referas, id est aut pro **i n u t r i s q u e r e b u s** (= et in rebus iucundis v. 5-8 enumeratis et in iis, quae sunt his contrariae) aut pro **i n u t r o q u e h o m i n e** (= et in eo, qui illas res iucundas miratur et in eo, qui res illis adversas timet) iudices dictum esse.³⁰

Equidem in hoc exemplo, sicut etiam in praecedentibus, adverbia potius ad res quam ad personas rettulerim. Utique poeta argumentatione sua ostendere studet 1) in rebus amatoriis sana mente opus esse, 2) et appetitione et timore animum e tranquillitate excuti rectumque de rebus iudicium perturbari; immo "nil admirari" prope unicam esse rationem, quae hominem "possit facere et servare beatum" (cf. Epist.1,6,1-2).

Etiam apud Ciceronem **u t r u b i q u e** translate adhibitum invenitur: De re publ.3,35,48 **o m n e s e r a n t i d e m t u m d e p l e b e t u m s e n a t o r e s , v i c i s s i t u d i n e s q u e h a b e b a n t , q u i b u s m e n s i b u s p o p u l a r i m u n e r e f u n g e r e n t u r , q u i b u s s e n a t o r i o ; u t r u b i q u e a u t e m c o n v e n t i c i u m a c c i p i e b a n t** (**u t r u b i q u e** = **i n u t r o q u e m u n e r e**). E posterioribus litteris commemoretur exemplum Apuleianum, in quo, tametsi parum constat, quae

sit genuina scriptura, tamen nullum est dubium, quin adverbium **utrubique** ad Apollinis artes referatur, scilicet Florid.3 (Helm II 2, p.4-5): **corpus totum gratissimum, membra nitida, lingua fatidica, seu soluta**³¹ **oratione seu versibus malis, u t r u b i q u e facundia aequipari.**

6.2.5. ADVERBIA TEMPORALITER POSITA

Temporalem significationem a locali subtiliter tantum differre iam in tertio capitulo ablativi usum perscrutantes vidimus.³² Idem ostendunt exempla, in quibus **alias** utrum pro **alio tempore** an pro **alio loco** vel **alibi** positum sit, pro certo diiudicari nequit.³³ Etiam **ibi, ubi, hic, illic** aliaque adverbia inessiva translate adhibita saepe haud procul abest quin in area temporali versentur. Equidem in secundo capitulo de enuntiato Terentiano Adelph.867 **duxi uxorem; quam i b i miseriam vidi** disserens monui adverbium non necessario personaliter accipi debere, ut id accepit Donatus dicens **ibi**, "quasi uxor locus sit", positum esse, sed aliter quoque explanari posse: aut pro elocutione praepositionali **in ea re** sive **in eo matrimonio** aut pro adverbio temporali **tum** adhibitum.³⁴

Sunt etiam alia exempla, in quibus sub **ibi**, quamvis specie locale sit, tamen simul temporalis vis latere videatur: Plaut.Men.186-187 **In eo uterque proelio potabimus. / Uter i b i melior bellator erit, inventus cantharo** (quod **ibi** ad elocutionem **in eo proelio** refertur, non impedit, quin in locum eius **tum** substituatur);³⁵ Mil. glor.654-655 **Neque per vinum umquam ex me exoritur discidium in convivio. / Si quis i b i est odiosus, abeo domum, sermonem segreco** (**ibi** = **in eo convivio** vel **tum**, id est inter id convivium sive horis eius convivii); Trin.271-272 **Certa res est ad frugem adplicare animum, / quamquam i b i labos grandis capitur** (**ibi** = **in ea re** vel **tum**); Caes.Gall.5,37,4 **ululatum tollunt impetuque in nostros facto ordines perturbant. I b i L. Cotta pugnans interficitur cum maxima parte militum** (**ibi** = **in ea turba** vel **tum**); Hirt.Gall.8, 52,3 **Ipse tantum itinerum faciebat, quantum satis esse...existimabat. I b i quamquam crebro audiebat Labienum ab inimicis suis sol-**

licitari..., tamen neque de Labieno credidit quicquam neque contra senatus auctoritatem, ut aliquid faceret, adduci potuit (ibi = in iis itineribus vel tum). Livius de rebus crudelissimis a L.Quinctio gestis narrans (39,42-43) inter alios auctore utitur Valerio Antiate, qui, ut ait Livius (39,43,2), a Quinctio Placentiae famosam mulierem, cuius amore deperiret, in convivium arcessitam scribit; i b i iactantem sese scorto inter cetera rettulisse, quam acriter quaestiones exercuisset et quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset. Hic, ut in exemplo Plautino supra prolato (Mil.glor.655), ibi manifesto pro in eo convivio vel pro tum adhibitum est, non pro locativo Placentiae.³⁶ Iuvenalis "Priapi Maenadas" in secretis Bonae Deae ululantes primum his verbis describit (6,317-318): O quantus t u n c illis mentibus ardor / concubitus!; paulo post (6,324-325) addit: Nil i b i perludum simulabitur, omnia fient / ad verum; primum igitur adverbio temporali, deinde locali illos ritus designat. Hac ratione ibi partim temporaliter, partim localiter modo ad consilium (e.g.Liv.42, 50,1), modo ad contionem (e.g.Liv.2,2,5), modo ad senatum (e.g. Liv.8,5,1), modo ad colloquium (e.g.Sallust.Iug.112,3), modo ad alias res plus minus abstractas refertur. Eiusdem generis exempla facile plura invenies.³⁷ Aequaliter autem iam apud Plautum ibi saepe locali vi omnino amissa idem fere significat ac tum neque ad ullum certum substantivum refertur, e.g. Curc.338-341 Aggredior hominem, saluto adveniens; 'Salve!' inquit mihi, / Prendit dextram, seducit, rogat, quid veniam Cariam. / Dico me illo advenisse animi causa. I b i me interrogat, / ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim; Most.703-705 si quis dotatam uxorem atque anum habet, / neminem sollicitat sopor: i b i omnibus / ire dormitum odio est. In hoc quidem exemplo pro ibi etiam in ea condicione rerum vel rebus sic stantibus dici potest.³⁸

Quod de adverbio ibi supra dictum est, mutatis mutandis etiam in aliis adverbiis inessivis valet. Apud Plautum monologo longo Chrysalis servi includuntur versus, in quibus non solum ibi ter, sed etiam ubi semel paene temporalem vim habet (Bacch.957-962): Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium / et de hospite et de auro et de lembo, i b i signum ex arce iam abstuli. / Iam duo re-

stabant fata tunc, nec magis id ceperam oppidum. / Post ubi tabellas ad senem detuli, ibi occidi Troilum. / Cum censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis, / ibi vix me exsolvi. Cum apud eundem (Men.780) matrona sui purgandi causa patri seni exclamat: Nusquam equidem quicquam deliqui!, adverbium nusquam non localiter adhibet, sed eadem fere vi ac nulla in re aut numquam. In periodo Livii 1,38,4 Inde priscis Latinis bellum fecit; ubi nusquam ad universae rei dimicationem ventum est non solum nusquam, sed etiam ubi simili ratione est positum: semanticè enim aut elocutioni praepositionali in quo aut ablativo temporis quo bello respondet.³⁹

In litteris aetatis imperatorum etiam ibidem nonnumquam temporali vi ponitur: Apul.Apol.80 absurde facit, qui tacere se dicit, quod ibidem dicendo tacere sese non tacet (ibidem = simul).⁴⁰

Praesertim cum correlatum est occasio aut tempus, pro ubi potius pronomen relativum in ablativo temporis positum expectaveris: Plaut.Pseud.1046-1047 Occasionem repperisti, verbero, / ubi perconteris me insidiis hostilibus; Ter.Phorm.596-598 dis gratias agebat tempus sibi dari, / ubi Phaedriae ipse ostenderet nilo minus / amicum se esse quam Antiphoni.⁴¹ In omnibus his exemplis enuntiatà secundaria consecutivam vim habent. Interdum brevitatis causa occasio vel facultas vel tempus vel aliud simile vocabulum pro correlato tantum subaudiendum relinquitur, tumque adverbium locale propter ipsam laxitatem semanticam ablativo pronominis relativi aptius est: Plaut.Pseud.1325 Erit, ubi te ulciscar, si vivo (pro Erit tempus, quo te ulciscar... vel Erit mihi tempus te ulciscendi); Truc.139-140 Rem perdidisti apud vos: vos meum negotium abstulistis. / Si rem servassem, fuit, ubi negotiosus essem (fuit, ubi negotiosus essem fere pro mihi relicta esset facultas negotiandi); Ter.Eun.719 Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam (fere pro Occasionem inveniam...parem gratiam referendi); Cic.Or. Catil.1,10,26 Habes, ubi ostentes illam tuam praeclaram patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium (fere pro Occasionem habes...patientiam ostentandi).⁴² Ad haec exempla infra quoque redeo, quia in iis adverbio ubi non meram localem vim tribuerim, sed po-

tius quaerendum esse censeo, utrum temporalis an modalis vis prae-
valeat.⁴³

Propius ad temporalem usum accedit ubi in versu Plautino Capt.327
Est etiam, u b i profecto damnum praestet facere quam lucrum, et
in versu Horati Epist.2,1,63 Interdum vulgus rectum videt; est,
u b i peccat; quorum versuum hic ab exemplis supra prolatis eo
quoque differt, quod in enuntiato secundario, quamvis consecutivam
vim habere videatur, indicativus (peccat) pro coniunctivo (peccet)
adhibetur; ergo pro est, ubi peccat non modo sunt res, in quibus
peccet, substitui potest, sed etiam interdum peccat.⁴⁴ Temporaliter
ubi adhibet etiam Statius (Theb.10,493): Est, u b i dat viris ni-
mius timor. Hic versus fragmentum est carminis epici, quo certae
res gestae ordine chronologico narrantur; in prosa oratione idem
hac fere paraphrasi dixeris: Adest id ipsum temporis momentum,
q u o nimius timor vires dat, neque enuntiato secundario tantum
inest consecutivae significationis quantum in versu Horati.⁴⁵ Deni-
que nonnulla affero exempla, in quibus ubi manifesto temporalem vim
habet, quippe cui tum et tunc sint correlata: Sallust.Catil.52,4
Cetera maleficia t u m persequare, u b i facta sunt; Seneca,
Epist.39,6 T u n c autem est consummata infelicitas, u b i tur-
pia non solum delectant, sed etiam placent; 89,19 T u n c incipit
medicina proferre, u b i in corpore alienato dolorem tactus ex-
pressit (tum / tunc ubi pro tum / tunc - cum). Iisdem particulis
inverso ordine positis (ubi - tum) iam ubi adverbium relativum esse
desinens coniunctio temporalis fit: Cic.2.Or.Verr.4,63,140 U b i
eorum dolorem...prope maiorem esse quam Siculorum ceterorum esse
cognovi, t u m meum animum in illos, t u m mei consilii nego-
tisque totius suscepti causam rationemque proposui, t u m eos
hortatus sum, ut causae communi salutique ne deessent; Cels.7,4,4E
U b i iam caro increscit, t u m demum et balineis raris utendum
erit et cibis corpus implentibus.

Interdum deest vocabulum, ad quod ubi temporaliter positum refera-
tur, e.g. Ter.Eun.812-813 novi ingenium mulierum: / nolunt, u b i
velis; u b i nolis, cupiunt ultro (ubi aut pro quotienscumque po-
situm est aut pro coniunctione si). Praecipua observatione dignae

sunt duae sententiae philosophicae, quarum una in litteris quae dicuntur pseudo-Sallustianis ad Caesarem scriptis, altera apud Senecam in dialogo De providentia invenitur. Primum inspiciamus exemplum pseudo-Sallustianum (2,13,7): **Nam vivos interdum fortuna, saepe invidia fatigat; ubi anima naturae cessit, demptis obtrektoribus, ipsa se virtus magis magisque extollit.** Ut Ernout, sic ego quoque particulam **ubi** potissimum pro temporali coniunctione (= **simul atque**) acceperim;⁴⁶ sed eadem connexionem quandam syntacticam habere potest etiam cum viris ipsis, qui vivi merita virtutis laude caruerunt (= **quibus in viris anima naturae cessit, in iis...ipsa se virtus...extollit**). Annaeana sententia (Prov.2,6) codicibus ita tradita est: **Non fert ullum ictum inlaesa felicitas; at ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit nec ulli malo cedit, sed, etiam si cecidit, de genu pugnat.** Plurimi editores codicum scripturam **ubi** corruptam esse arbitrati in cui mutaverunt, sed dubitandum est an haec emendatio non sit necessaria. Ut enim in exemplo pseudo-Sallustiano, ita hic quoque **ubi**, quod intellegam, duabus rationibus explicari potest: 1) de temporali usu eius agi, id est enuntiatum secundarium idem valere ac **postquam assidua (alicui) fuit cum incommodis suis rixa**; tum dativus (**cui** vel **alicui**), quem pronomen possessivum reflexivum **suis** desiderari cogit, aut subaudiendus aut librariorum codices exscribentium incuria est omissus; 2) in **ubi** semantice latere elocutionem praepositionalem, quae ad hominem referatur, totamque sententiam hac fere paraphrasi compensari posse: **in quo (vel cuius in animo) assidua fuit cum incommodis suis rixa, (is) callum per iniurias duxit, et quae sequuntur.**⁴⁷

Nec desunt exempla, in quibus **hic** ita positum est, ut "notio ambigua et loci et temporis rationem"⁴⁸ complectatur. Saepissime id ad ipsum praesens temporis momentum refertur. Nonnumquam iuxta **hic** est etiam **nunc** velut temporalem eius vim fulciens, e.g. Plaut.Merc.307 **Ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho!** et Trin.503-504 **Eheu, ubi usus nil erat dicto, 'spondeo' / dicebat; nunc hic, quom opus est, non quit dicere.** Sine tali fulcimine **hic** limitem localis et temporalis areae tangit in Epid.302 **Face modo: est lucrum hic tibi amplum (hic = in hac re vel in hac condicione**

rerum). Loco iam supra examinato Ter.Heaut.353-356 **Ridiculum est istuc me admonere, Clitipho, / quasi istic minor mea res agatur quam tua. / H i c siquid nobis forte adversi evenerit, / tibi erunt parata verba, huic homini verbera, ubi hic aut pro in hac re adhibitum ad eandem rem atque istic in priore versu refertur aut temporaliter pro nunc positum est. Item in aliis quoque exemplis accipi potest: Ter.Hec.650 **Nulla tibi, Pamphile, h i c iam consultatiost** (hic = in hac re vel in hac condicione rerum, id est nunc, cum puer natus est); Cic.Or.Catil.1,10,25-26 **Nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis conflata improborum manum. H i c tu qua laetitia perfruere?** (hic = nunc vel quae cum ita sint);⁴⁹ Or.Arch.4,8 **H i c tu tabulas desideras Heracliensium publicas?**; Sallust.Catil.52,11 **H i c mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat?** Praecipue in duobus ultimis exemplis adverbium hic indignationem quandam exprimit loquentis, qui auditores suos oblique reprehendit, quod **rebus sic stantibus** vel **tali temporis momento** parum decenter se gerant.⁵⁰ Aliquotiens vero hic non pro nunc, sed potius pro tum sive tunc ponitur. In versibus Terentianis Heaut.279-281 **H i c sciri potuit aut n u s q u a m a l i b i, Clinia, / quo studio vitam suam te absente exegerit, / u b i de inproviso est interventum mulieri.** non modo hic pro tum vel hoc (in) tempore, sed etiam nusquam alibi pro numquam alias vel pro nullo alio tempore positum est atque ubi pro cum. Ex aliis exemplis, quae facile plura invenies, nonnulla exscribo: Caes.Gall.6, 35,1-2 **Haec in omnibus Eburonum partibus gerebantur, diesque adpetebat septimus, quem ad diem Caesar ad impedimenta legionemque reverti constituerat. H i c, quantum in bello fortuna possit et quantos afferat casus, cognosci potuit;** Curt.4,3, 7 **H i c, quod in adversis rebus solet fieri, alius in alium culpam referebant** (hic = in hac condicione rerum vel tunc).⁵¹ Apud Phaedrum invenitur versus, in quo rursus examinare cogimur, utrum nominativo pronominis hic an adverbio hic incipiat (1,14,5-7): **H i c cum iaceret morbo confectus gravi, / rex urbis eius experiendi gratia / scyphum poposcit.** Quemnam poeta inducat morbo laborantem, editores et interpretes non consentiunt; alii malum sutorem primo versu dictum credunt atque hic pronomen esse; alii vero aut regem urbis, quod absurdum est (neque enim rex "morbo confectus gravi"**

aqua fusa simulare potest "illius se miscere antidotum toxico" aut "advocata contione" ulla verba facere, cf. v.7-16), aut aliquem tertium, cuius mentio fortasse inter versus 5^{um} et 6^{um} a Phaedro facta sit et postea e codicibus exciderit.⁵² Si hanc interpretationem acceperimus, necesse erit **hic** adverbium locale temporali vi positum (= **in hoc statu rerum vel tum**) iudicemus.

Quod ad **illic** attinet, eo perraro haud ambigue tempus designatur. In maxima parte exemplorum, quae Thesaurus Linguae Latinae de tali usu huius adverbii praebet,⁵³ ei temporalem vim tantum subesse dixerim. Apud Terentium invenitur exemplum, in quo **illi** una cum **hic** et **ibi** pro correlato adverbii **ubi** positum haud procul a temporali vi abest, scilicet Andr.638-639 **nil pudet hic, ubi opus; illi, ubi / nil opust, ibi verentur**; in eo **hic**, **ubi** fere pro **nunc**, **cum** atque **illi**, **ubi** fere pro **tum**, **cum** positum est; quod in eadem sententia praeterea **ibi** occurrit, pleonasmus cotidiani sermonis proprius haberi potest, sicut elocutio **ibi tum** (fere pro **in eo ipso statu rerum**) paulo ante (ibid.634) adhibitum. Eadem fere ratione atque **ibi** in exemplis supra tractatis, etiam **illic** referri potest ad **convivia** (Ovid.Ars amat.1,231 et 1,243), ad **cenam** (Quint. Inst.or.7,3,33), ad **bellum** (Tac.Hist.1,83,4), ad **proelium** (Liv.9, 13,3 et Tac.Hist.5,17,1), ad **contionem** (Tac.Ann.2,12,3), ad **exsequias** (Stat.Silv.5,1,210). Varro de villa aedificanda disserens (Rust.1,13,6-7), postquam monuit aedificationem "potius ad **anticorum diligentiam** quam ad **horum luxuriam**" derigendam esse, ita scribere pergit: **Itaque illorum villae rusticae erant maioris preti quam urbanae, quae nunc sunt pleraque contra. Illi c laudabatur villa, si habebat culinam rusticam bonam, praesepis laxas, cellam vinariam et oleariam ad modum agri aptam... Nunc contra villam urbanam quam maximam ac politissimam habeant operam dant.** Manifesto in hac laudatione temporis acti **illic** adverbio **nunc** oppositum temporaliter accipi potest (= **illis temporibus** vel **olim**), sed aequaliter ad ipsos homines antiquos referri (= **apud illos**), quorum paulo ante mentio facta est. Partim localem, partim temporalem vim adverbio **illic** dat Ovidius scribens (Metam.8,553-555): **Vidi contermina ripae / cum gregibus stabula alta trahi, nec fortibus illi c / profuit armentis nec equis velocibus esse, cum illic**

fere pro **mediis rapacibus undis** (cf.8,551) vel **saevientibus undis** ponit, itemque Tacitus, postquam Vitellium in editiora loca enisum eodem agmen suum violentiae naturae cuncta involventi subduxisse narravit, sortem militum hoc modo describit (Ann.1,70,4): **Pernoctare sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles quam quos hostis circumsidet; quippe illic etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium.** Nullum est dubium, quin hic locus recte traditus sit; namque peculiare Taciti sunt et huius generis sententiae et inconcinnitas in iis exprimendis adhibita: adverbium **illic** idem fere significat atque **in illo rerum statu** sive **in tali rerum statu**, sed dativo plurali pronominis demonstrativi **his** oppositum etiam elocutione prepositionali **apud illos** (sc. **quos hostis circumsidet**) compensari potest. Utique quicumque editores hoc loco pro **illic** malunt **illis** legere, se dictionis Taciteae imperitos esse ostendunt, quippe qui inconcinnitatem supra commemoratam dedita opera delere studeant.⁵⁴ Alterum exemplum Taciteum, Hist.2,47,2 **initium illic** fuit in septimo demum capitulo tractabo, quia in eo contra atque Handius credit,⁵⁵ **illic** potius ad personam referri censeo quam temporaliter positum esse.

Seneca autem de corporis et animi doloribus disserens primum interrogativum adverbium **ubi** et deinde demonstrativum **illic** ita adhibet, ut iis pro loco aut tempus aut condicio videatur designari (Epist. 71,29): **Ubi ergo calamitas, ubi illud malum verum est? Illic scilicet, si ista animum detrahunt, si ad confessionem servitutis adducunt, si illi paenitentiam sui faciunt;** pro **ubi** enim hic optime **quando** ac pro **illic**, **si dixeris tum, cum.** E Statii Achilleide proferatur locus, ubi Lycomedes rex impellitur, ut mandatis Thetidis neglectis Achillem in bellum Troianum proficisci sinat, adiciunturque haec (Achill.1,916): **ipsam illic matrem sprevisset Achilles** (**illic = in illa condicione rerum vel tum**). Denique tria exempla commemoro adverbii **illic** ita adhibiti, ut vis temporalis eius e particulis **cum** et **quando** ad id relatis appareat: Min.Felix 18,10 **Nec nomen Deo quaeras: Deus nomen est. Illic** **vocabulis opus est, cum** per singulos propriis appellationum signis multitudo dirimenda est; Terentianus Maurus, De

syllabis 732-733 (Keil VI, p.347) non erit iam Q necesse syllabae praeponere, / sicut i l l i c, c u m 'querela' et 'aequa' aut 'aquam' notas; ibidem 894 G tamen sonabit i l l i c, q u a n d o Gnaeum enuntio.

6.2.6. ADVERBIA INSTRUMENTALITER AUT MODALITER POSITA

Adverbia **ibi** et **ubi** nonnumquam etiam instrumentalem sive modalem functionem habere possunt. Hanc non plus quam temporalem functionem a locali differre ostendunt quidam loci comoediarum Plauti et Terentii. Primum quidem proferatur exemplum e fragmentis operum scaenorum Ennii desumptum: fragm.243-244 (apud Gellium 19,10,12; War-mington I, p.308) **Nam cui, quod agat, institutumst, non ullo negotio / id agit, id studet, i b i mentem atque animum delectat suum.** In eo **ibi** aequo iure dici potest pro **ea re** vel pro **ita** quam pro **in ea re** positum esse.⁵⁶ In aliis quoque exemplis item quaerendum est, nonne modalis potius quam localis vis praevaleat: Plaut.Cas.298-299 **Nam si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar: / i b i ego te et suffragatores tuos ulciscar** (**ibi** aut pro **in sortiando** positum est, ut docet Thesaurus Linguae Latinae,⁵⁷ aut pro **sortiando** sive pro **ita**); Trin.271-272 **Certa res est ad frugem adplicare animum, / quamquam i b i animo labos grandis capitur** (**ibi** = **in ea re** vel **ea re** sive **ita**, id est **animum ad frugem applicando**); Sallust.Catil. 5,2 **Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, i b i q u e iuventutem suam exercuit** (**ibi** = **in iis rebus** vel **iis rebus**).⁵⁸ Si exactam significationem adverbii **ibi** quaeras in Cic.Or.Catil.3,5,12 **Volturcius vero subito litteras proferri atque aperiri iubet, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat; atque i b i vehementissime perturbatus Lentulus tamen et signum et manum suam cognovit, tria praebentur responsa, quorum nullum protinus falsum iudicari potest: ibi** 1) localiter pro **in iis** (sc. **litteris**), 2) temporaliter pro **tum**, 3) instrumentaliter (sive causaliter sive modaliter) pro **ea re** sive pro **ita** positum est. Prima explicandi ratione adverbium ad elocutionem et **signum et manum suam cognovit**, tertia ad participium **perturbatus**, secunda autem ad utrumvis adiungitur.⁵⁹

Etiam adverbium **alibi** nonnumquam similiter in limitibus modalis functionis versatur: Plaut.Bacch.1002-1003 **Perii, hoc servum meum non nauci facere esse ausum! Atque ego, si a l i b i plus perdidderim, minus aegre habeam minusque id damno ducam (alibi = in alio negotio vel alia ratione)**. Adverbii **ubi** similiter inter diversas functiones haerentis haec profero exempla: Plaut.Mil.glor.118 **Capiunt praedones navem illam, u b i vectus fui (ubi = in qua aut qua);**⁶⁰ Ter.Eun.312 **adeo digna res est, u b i tu nervos intendas tuos (ubi pro in qua vel qua positum inducit enuntiatum relativum consecutivum, ut coniunctivus intendas ostendit);** Heaut.812-813 **Huius modi mi res semper comminiscere, / u b i me excarnufices;** 916-917 **Quot res dedere, u b i possem persentiscere, / ni essem lapis!** His ambobus locis **ubi = (in) quibus**, sc. **rebus** (coniunctivus **excarnufices** finali significationi enuntiativi relativi tribuendus est; **possem** et **essem** sunt coniunctivi irreales). Neque quidquam obstat, quin **ubi** interdum pro ablativo modi accipiamus etiam tum, cum in enuntiato primario nullum est vocabulum, ad quod adverbium nominativum possit referri. Eius generis exempla supra adverbium temporali vi adhibita tractans protuli; in nonnullis eorum modalis quoque interpretatio valet; e.g. in Plaut.Pseud.1325 **Erit, u b i te ulciscar, si vivo** in locum adverbii **ubi** non solum **tempus quo** substitui potest, sed etiam **ratio qua**; itemque in Ter.Eun.719 **Inveniam pol hodie, parem u b i referam gratiam** adverbium aut pro **occasionem qua** aut pro **rationem qua** positum est,⁶¹ neque in ceteris exemplis ibidem⁶² commemoratis, quorum in multis enuntiatum relativum pariter aut finalem aut consecutivam vim habet, eiusdem generis interpretationem omnino excludendam esse dixerim.

Denique ex infima quoque Latinitate ecclesiastica proferatur exemplum, in quo **ubi** instrumentali vel modali vi adhibitum est: Acta S.Floriani mart.2 **Numquid non audisti praecepta imperatorum, quae venerunt ad praesidem, u b i iubent omnibus hominibus libamina diis offerre et exhibere...?** (**ubi = quibus vel in quibus**, sc. **praeeptis**), itemque in titulo Admonitionum a Caesario Arelatensi conscriptarum **Homilia, u b i populus admonitur (ubi = qua vel in qua).**⁶³

Huius aetatis Latinitatem Christianam memoria teneamus oportet a sermone Bibliorum aliquatenus pendere posse, in quo inter alia occurrit Hebraicae originis usus instrumentalis praepositionis **in** cum ablativo, e.g. Vulg.Epist.2 Cor.7,6 **qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi:**⁶⁴ sicut **in adventu** hic pro nudo ablativo instrumenti **adventu** positum est, ita adverbium **ubi** eandem atque ablativus pronominis relativi functionem obtinere potest.

Reliqua adverbia huius generis - **hic, illic, istic, etc.** - usu instrumentali et modali videntur omnino carere. In versu Plautino supra tractato Men.780 **N u s q u a m equidem quicquam deliqui!** adverbium **nusquam** salvo conexu non solum elocutionibus **nulla in re** aut **numquam** compensari potest, sed aequaliter modalem vim habere (= **nullo modo** aut **nulla ratione**). Item in Mil.glor.455 **te n u s - q u a m mittam, nisi das firmatam fidem** modalis significatio adverbii **nusquam** (fere pro **nulla condicione** aut **nequaquam**) vix omnino cludi debet; at potius in hoc exemplo localem interpretationem acceperim (id est **te nusquam mittam = non sinam te quoquam abire**), quia **nusquam**, ut in quarto capitulo vidimus,⁶⁵ non semper inessivum est adverbium, sed etiam illative usurpari potest.

6.3. ADVERBIA ELATIVA & ABLATIVA

Adverbia elativa & ablativa ad res relata secundum functionem syntacticam in septem genera divido: 1) adverbia specie localiter ad res plus minus abstractas relata, 2) adverbia temporaliter posita; 3) adverbia partitive posita; 4) adverbia ad materiam concretam relata, 5) adverbia ad originem vel causam relata, 6) adverbia ad argumentum (sermonis, disputationis vel aliarum rerum similium) relata, 7) adverbia instrumentaliter posita. Talium vero elocutionum, in quibus adverbium elativum & ablativum e.g. pro ablativo comparationis positum esset, nullum inveni exemplum.

6.3.1. ADVERBIA SPECIE LOCALITER AD RES RELATA

Ut inessiva & adessiva, sic etiam elativa & ablativa adverbium saepe ita adhibentur, ut, cum non loca designent, tamen localitas quaedam sub translata significatione lateat. Primum quidem profero locum Ciceronianum, quo correlatum adverbii elativi vel ablativi tantummodo subauditur: Tusc.5,23,66 **Sed redeat u n d e aberravit oratio, scilicet eo unde.** Saepius tamen in similibus exemplis correlatum determinativum non hac ratione latet: Rhet.Herenn.1,9,14 **i n d e incipiemus narrare, u n d e necesse erit;** Cic.Or.Imp.Pomp.2,4 **i n d e oratio mea proficiscatur, u n d e haec omnis causa ducitur;** Epist.Att.2,16,3 **quare incumbamus, o noster Tite, ad illa praeclara studia et e o, u n d e discedere non oportuit, aliquando revertamur.** Correlata inde et eo in his exemplis specie quidem localia sunt, revera autem translata vi posita: illud pro **ab ea re** vel **ab iis rebus**, hoc pro **ad eam rem** vel **ad eas res**. Eiusdem generis locus invenitur etiam in Caelii ad Ciceronem epistula (Cic. Epist.Fam.8,16,5): **Cogita, ne te tuosque omnes funditus evertas, ne te sciens prudensque e o demittas, u n d e exitum vides nullum esse (eo, unde = in eam condicionem, e qua).** In omnibus his exemplis adverbium inter se correlativa inde et unde atque eo et unde multo melius quadrant quam verbosiores elocutiones praepositionales. Ab exemplo Liviano 31,29,6 **u n d e coepit oratio mea, i b i desinet (unde..., ibi = a qua re..., in ea)** loci Ciceroniani Or. Marcell.11,33 **u n d e est orsa, i n e o d e m terminetur oratio** et Epist.Fam.12,25,5 **Sed redeamus a d i l l u d, u n d e divertimus** syntactice eo tantummodo differunt, quod in his correlata non sunt adverbium localia, sed elocutiones praepositionales locales, sicut apud Apuleium Metam.10,33,4 **rursus, u n d e decessi, revertar a d f a b u l a m.**

Correlatum adverbii pro elocutione locali etiam substantivum aut singulare aut plurale in quovis casu positum esse potest, e.g. Caecil.Com.fragm.43 (Warmington I, p. 484) **facile aerumnam ferre possum, si i n d e abest iniuria (inde = ab ea);** Ter.Phorm.180-181 **Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala, / quae neque uti**

devitem scio neque quo modo me i n d e extraham (inde = ex iis); Adelph.302 Tot res repente circumvallant se, u n d e emergi non potest (unde = e quibus). Commoditas adverbii localis inde simul ad neutrum et ad femininum vocabulum relati clare patet in Cic.Or. Caecin.27,78 Cuius viri tantum est ingenium, ita prompta fides, ut, quicquid i n d e haurias, purum te liquidumque haurire sentias (inde = ab eo, sc. ingenio, sive ab ea, sc. fide). Specie localiter Ciceronem adverbium unde posuisse iudicaverim in rhetoricis operibus ad locos referentem, e.g.Orat.14,46 idemque (sc. Aristoteles) locos sic enim appellat - quasi argumentorum notas tradidit, u n d e omnis in utramque partem traheretur oratio; non enim de certis locis concretis librorum hic disserit, sed terminum technicum Graecum artis rhetoricae *τοπος* Latine reddens, ut verbis Quintiliani (Inst.or.5,10,20) utar, "locos" appellat "sedes argumentorum, in quibus latent et e quibus sunt petenda". Simile exemplum est De orat.2,61,248 Sed hoc mementote, quoscumque locos attingam, u n d e ridicula ducantur, ex eisdem locis fere etiam gravis sententias posse duci; quid Cicero his verbis dicere voluerit, ex iis patet, quae paulo post (2,61,250) praepositionali elocutione usus addit: nullum genus est ioci, q u o non e x e o d e m severa et gravia sumantur.⁶⁶ Unum addo exemplum e Quintiliano desumptum, in quo, sicut in exemplis supra tractatis, unde manifesto commoditatis causa pro elocutione praepositionali adhibitum est (Inst.or.1,1,12): A sermone Graeco puerum incipere malo... quia disciplinis quoque Graecis instituendus est, u n d e et nostrae fluxerunt (unde = e quibus, sc. disciplinis).

Ovidius inimicum suum Ibin iam puerulum ab Eumenidibus peculiari cura affectum esse narrans inter alia hoc dicit (Ibis 229-231): Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino: / hic primus pueri venit in ora cibus. / Perbibit i n d e suae rabiem nutricis alumnus (inde = ex eo, sc. lacte canino). Seneca de animi et ingenii communiione disserens, postquam monuit animo furente aut irascente corporis quoque motum turbari, ita pergit (Epist.114,3): Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animo permixtum est, ab illo fingitur, illi paret, i n d e legem petit (inde = ab eo, sc. animo).

Etiam **hinc** ad res referri potest. Plautus Amphitruonem, quidnam ipso absente domi suae gestum sit, cognoscentem Bromiae nimis fuse narranti ita exclamantem facit (Amph.1097): **Quaeso, apsolvito h i n c me extemplo, quando sati' deluseris!** (hinc fere pro ablativo separativo **hac anxia expectandi necessitate**).⁶⁷ Varro in Rerum rusticarum librum tertium transgressus, in quo de villaticis fructibus sive pastionibus disserit, primum capitulum eius his verbis concludit (Rust.3,1,10): **De quibus exponendis initium capiam h i n c** (hinc = ab his rebus, sc. quae in secundo capitulo tractabuntur). Porro tres profero locos, quorum in unoquoque de exemplo **alicunde** (sive ab aliqua re) petendo agitur. In actu tertio Mostellariae Plauti Tranio servus Simoni seni Theopropidem senem aedes illius inspicere velle dicit (753) et paulo post addit (762-763): **Nunc h i n c exemplum capere volt, nisi tu nevis. / Nam ille eo maiore h i n c opere ex te exemplum petit, / quia isti umbram aestate tibi esse audivit perbonam** (hinc = ab his aedibus tuis; in ultimo versuum citatorum adverbium adessivum **isti** ad easdem aedes refertur. Horatius in Arte poetica fabulam scribere meditati cum alia tum haec praecipit: (317-318): **Respicere exemplar vitae morumque iubebo / doctum imitatorem et vivas h i n c ducere voces**, ubi **hinc** pro ab hoc, sc. **exemplari vitae** ponit. Denique Plinius Maior, postquam de labyrintho, qui "in Aegypto...primus factus est ante annos, ut tradunt, MMMDC a Petesuchi rege sive Tithoe" (Nat.hist. 36,19,84), commemoravit et varia ab historicis de usu eius relata rettulit, ita disserere pergit (ibid. 36,19,85): **H i n c utique sumpsisse Daedalum exemplar eius labyrinthi, quem fecit in Creta, non est dubium, sed centesimam tantum portionem eius imitatum, quae itinerum ambages ac recursus inexplicabiles continet** (hinc = ab hoc, sc. labyrintho).

Adverbiorum **illinc** et **istinc** similiter adhibitorum rariora sunt exempla. Ovidius in primis versibus libri secundi Fastorum (2,3-8) se relictis argumentis, in quibus elegos habuisset "faciles in amore ministros", ad res divinas describendas transisse dicit (7-8): **Idem sacra cano signataque tempora festis; / ecquis ad haec i l l i n c crederet esse viam?** (**illinc** = ab illo carminum genere). Catullus de sorte sua questus, quod omnia a se dicta et facta ingratae menti

credita perierint, ita a se quaerit (76,11-12): **Quin te animo offirmas atque i s t i n c teque reducis, / et dis invitis desinis esse miser? (istinc = ab ista miseria vel ab isto amore).**⁶⁸ Denique Cicero de Sophocle haec memoriae prodidit (Cato Maior 14,47): **Bene Sophocles, cum ex eo quidam iam affecto aetate quaereret, utereturne rebus venereis, "Di meliora!" inquit. "Ego vero libenter i s t i n c sicut a domino agresti ac furioso profugi."** (istinc = ab istis, sc. rebus venereis). Idem dictum memorabile videlicet e Platone desumptum⁶⁹ etiam Valerius Maximus similiter adverbio istinc usus tradidit (4,3,Ext.2): **Sophocles autem aetate iam senior, cum ab eo quidam quaereret, an etiam nunc rebus venereis uteretur, "Di meliora!" inquit, "libenter enim i s t i n c tanquam ex aliqua furiosa profugi dominatione."**

6.3.2. ADVERBIA TEMPORALITER POSITA

Ut inessivorum & adessivorum,⁷⁰ ita elativorum & ablativorum quoque adverbiorum temporalis usus a locali haud procul abest: ut a certo loco, sic etiam a certo temporis momento proficisci possumus. In quinto capitulo⁷¹ iam protuli exemplum, in quo vix quidquam interest, utrum localiter an temporaliter adverbium adhibitum esse existimemus: Quint.Inst.or.10,3,4 **Sed cum sit duplex quaestio, quo modo et quae maxime scribi oporteat, iam h i n c ordinem sequar.** In eo hinc aequaliter ad locum libri atque ad tempus scribendi referri potest (= "inde ab hoc loco vel inde ab hoc temporis momento illas duas quaestiones ordine separatim tractabo").

Adverbium **inde** iam in archaica et classica Latinitate simili ratione atque in paraphrasi mea supra posita velut pro supplemento praecedit elocutionem, in qua praepositione a/ab cum ablativo initium simulque perpetuitas alicuius rei denotatur: Plaut.Trin.305 **inde ab ineunte aetate**, Ter.Adelph.41 **iam inde ab adolescentia**, Heaut.183 **iam inde usque a pueritia**, Cic.Nat.deor.2,48,124 **iam inde ab ortu**, Liv.24,5,9 et 42,11,7 et 42,19,4 **iam inde a puero**, 4,36,5 **iam inde ab incunabulis** (cf. Colum.1,7,3 **inde a cunabulis**), 9,17,10 **iam inde ab initiis**. Elocutio **iam inde ab initio** apud Livium septies occur-

rit (1,2,3 et 1,5,5 et 1,32,1 et 6,40,3 et 26,19,5 et 38,31,1 et 44,25,3), **iam inde a principio** idem valens apud multos scriptores invenitur (e.g. Plaut.Cas.4, Pseud.970, Cic.Or.Prov.Cons.13,33, Balb.13,31, Sallust.Iug.77,2,1, Hist.1,11, Liv.24,48,6 et 34,51,5).

Extra inveteratas dicendi formulas supra enumeratas Livius **iam inde a/ab** alibi quoque scribit; e.g. postquam de Antio dedito et de clade Volscorum rettulit, secundum operis sui librum concludit dicens Volscis **iam inde ab infelici pugna castrisque amissis** (2,65,7) cecidisse animos.

Praecipue autem notandum est elocutionem **ex eo tempore**, quamquam idem valet atque **ab eo tempore**, tamen pariter adverbio **inde** compleri non solere.⁷²

Quodam loco Terentiano **inde** non cum elocutione praepositionali coniungitur, sed pro correlato habet enuntiatum explicativum coniunctione **quod** incipiens, quo excipitur: Heaut.53-54 **haec inter nos nuper notitia admodumst, / i n d e adeo, q u o d agrum in proximo hic mercatus es**, ubi elocutio **inde**, quod manifesto pro **ex eo tempore**, quo adhibita est.⁷³ Temporalis similiter haud dubie vi Suetonius elocutionem **inde...cum** ponit in Tiber.11,2 **Rhodum enavigavit amoenitate et salubritate insulae iam i n d e captus, c u m ad eam ab Armenia rediens appulisset.**

Alibi **inde** sine complementis pro ab ea hora vel ab eo tempore ponitur: Plaut.Men.175 **I n d e usque ad diurnam stellam crastinam potabimus;** Liv.3,36,1 **Ille finis Appio alienae personae ferendae fuit; suo iam i n d e vivere coepit;** 27,51,10 **Statum quoque civitatis ea victoria movit, ut iam i n d e haud secus quam in paces inter se contrahere vendendo, emendo, mutuum dando argentum creditumque solvendo auderent.** In tertio exemplo Liviano pro **iam inde** aut **iam ab eo tempore** aut simpliciter **iam eo tempore** possis scribere (21,31,5): **Incolunt prope Allobroges, gens iam i n d e nulla Gallica gente opibus aut fama inferior.** Loco Ciceroniano Or. Arch.1,1 **quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari ultimam, i n d e usque repetens hunc (sc. A.Licinium Archiam) video mihi principem**

et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum existisse adverbio inde respondet in praecedente enuntiato secundo quoad inter adverbii et coniunctionis functiones haerens.⁷⁴ Aetate imperatorum etiam alia adverbia elativa & ablativa similiter fere adhibentur, ante omnia hinc pro ab hoc tempore vel pro deinde aut tum. Huius usus tria exempla profero. Tacitus, postquam Claudium imperatorem Meherdati, iuveni Partho, praecepta dedisse narravit, "ut non dominationem et servos, sed rectorem et cives cogitaret, clementiamque et iustitiam, quanto ignota barbaris, tanto laetiora capesseret" (Ann.12,11,2), his verbis pergit (12,11,3): **H i n c versus ad legatos extollit laudibus alumnum urbis, spectatae ad id modestiae;** quo loco hinc potius temporali vi quam pro ab hoc (sc. Meherdate) positum esse iudicaverim.⁷⁵ Eutropius descriptis in initio operis sui strictim "annis ducentis quadraginta tribus", quibus "Romae regnatum est per septem reges" (1,8), ita pergit: **H i n c consules coepere pro uno rege duo hac causa creari, ut, si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coerceret.** Idem facta mentione tribunorum militarium consulari potestate, qui primum "anno trecentesimo sexagesimo tertio ab urbe condita" creati essent, ait (2,1): **H i n c iam coepit Romana res crescere.**

Adverbium illinc, etsi minus frequenter temporalem vim habet, tamen hoc usu non plane caret; cuius exemplum ex Epistulis Senecae excerpō: 88,34 **an obliviscatur (sc. animus) priorum et illinc nosse se incipiat, unde corpori abductus in sublime secessit (illinc unde = ab illo tempore quo).**⁷⁶ In posteriore Latinitate pari vi saepius usurpatur adverbium compositum exinde, e.g. Iustin.1, 2,3 **ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu et populum vestiri iubet; quem morem vestis exinde gens universa tenet;** Cod.Iustin.7,33,1 **cum post motam et omissam quaestionem res ad nova dominia bona fide transierint et exinde novi viginti anni intercesserint sine interpellatione, non est inquietanda, quae nunc possidet, persona.**⁷⁷

Ut hinc, ita inde non solum 'ab eo tempore' significare potest, sed etiam in locum adverbiorum temporalium tum et deinde substitui. Hic

usus iam apud Caesarem invenitur: Civ.3,9,7 eodem impetu altera (sc. castra) sunt adorti; i n d e tertia et quarta et deinceps reliqua. Digni, qui proferantur, hic sunt etiam versus initiales secundi libri Aeneidis Vergilii (2,1-2) Conticuere omnes intentique ora tenebant. / I n d e toro pater Aeneas sic orsus ab alto, ad quos Servius inter alia nominatim adnotat: "inde apahaeresis est, pro deinde, vel, ut quidam volunt, tunc." Frequentius tamen Livius inde temporaliter ponit, praesertim longiorem seriem rerum referens, quas uno tenore gestas esse plerumque adverbio deinceps indicat, e.g. 2,39,3-4 Cerceios profectus p r i m u m colonos inde Romanos expulit liberamque eam urbem Volscis tradidit; i n d e in Latinam viam transversis tramitibus transgressus Satricum Longulam Poluscam Coriolos Mugillam - haec Romanis oppida ademit; i n d e Lavinium recepit; t u m d e i n c e p s Corbionem Vitelliam Trebium Labicos Pedum cepit.⁷⁸ Simili ratione Tacitus nonnumquam hinc in serie quadam elocutionum temporalium ponit, e.g. Agric.14,1-3 Consularium primus Aulus Plautius praepositus ac s u b i n d e Ostorius Scapula...M o x Didius Gallus parta a prioribus continuit...Didium Veranius excepit, isque intra annum extinctus est. Suetonius h i n c Paulinus biennio prosperas res habuit; Ann.3, 61,2 M o x Liberum patrem, bello victorem, supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignovisse. Auctam h i n c concessu Herculis, cum Lydia poteretur, caerimoniam templo, neque Persarum dicio- ne deminutum ius; p o s t Macedonas, d e i n nos servavisse.

Solam temporalem functionem habent adverbia e praepositione et adverbio inde composita deinde et exinde (necnon formae eorum truncatae dein et exin) atque dehinc, quibus omnibus perraro quidquam localitatis superest.⁷⁹ Eorum longe usitatissimum est deinde; ceterorum temporaliter quoque positorum plura aevo classico in poesi quam in prosa oratione reperiuntur exempla: Verg.Aen.6,743-744 quisque suos patimur Manes, e x i n d e per amplum / mittimur Elysium;⁸⁰ ibidem 888-890 Quae postquam Anchises natum per singula duxit / incenditque animum famae venientis amore, / e x i n bella viro memorat, quae d e i n d e gerenda; Hor.Ars poet.143-144 ex fumo dare lucem / cogitat, ut speciosa d e h i n c miracula promat.⁸¹ Illis multo rarius est exhinc, cuius e perpaucis exemplis unum - id quo-

que incertum profero, scilicet Apul.Metam.11,24,4 **E x h i n c**
festissimum celebravi natalem sacrorum.⁸²

Quamquam duae illae adverbiorum localium temporaliter adhibitorum
significationes, de quibus supra disserui, pariter fere inter se
differunt atque e.g. elocutiones adverbiales Anglicae **since then** et
then, tamen saepe haud magni interesse, utrum adverbium pro **ab eo**
die an **post eum diem** positum esse iudicemus, ex hac longa Varronis
patet periodo, in qua tempora anni describit diebus inter duos fa-
vonios decurrentibus ita enumeratis, ut modo elocutionibus praepo-
sitionalibus, modo adverbiiis - et simplicibus et compositis - utat-
tur (Rust.1,28,2): **primum a favonio ad aequinoctium vernum dies**
XLV; h i n c ad Vergiliarum exortum dies XLIV, a b h o c ad
solstitium dies XLIIIX, i n d e ad Caniculae signum dies XXVII,
d e i n ad aequinoctium autumnale dies LXVII, e x i n ad Vergi-
liarum occasum dies XXXII, a b h o c ad brumam dies LVII, i n -
d e ad favonium dies XLV.

Praecipua observatione digna est particula composita **abhinc**, quae
apud Plautum et Terentium necnon apud Ciceronem et quosdam alios
scriptores - imprimis apud Velleium Paterculum - in annis et mensi-
bus et diebus retro numerandis praepositionis impropriae vice fun-
gitur plerumque accusativum, perraro ablativum regentis:⁸³ Plaut.
Cas.39-41 **Is servus, sed a b h i n c a n n o s factum est s e -**
d e c i m, / quom conspicatust primulo crepusculo / puellam exponi;
Most.493-494 **Mirum quin vigilantia diceret, / qui a b h i n c**
s e x a g i n t a a n n i s occisus foret; Ter.Hec.822-823 **Nam**
memini a b h i n c m e n s i s d e c e m fere ad me nocte prima
/ confugere anhelantem domum sine comite, vini plenum; Phorm.1017-
1018 **vinolentus fere a b h i n c a n n o s q u i n d e c i m**
mulierculam / eam compressit; Andr.69-70 **Interea mulier quaedam**
a b h i n c t r i e n n i u m / ex Andro commigravit huc; Cic.Or.
Roscom.13,37 **Quo tempore? A b h i n c a n n i s X V. Defensio**
mea quae est? Roscium pro sua parte cum Flavio transegisse. Repro-
mittis tu a b h i n c t r i e n n i u m Roscio;⁸⁴ 2.Or.Verr.2,
52,130 **Herodotus cum Roma revertitur, diebus, ut ipse putabat,**
quindecim ante comitia, offendit eum mensem, qui consequitur mensem

comitialem, comitiis iam abhinc triginta diebus factis (abhinc triginta diebus = triginta diebus ante hoc, neque abest suspicio, quin genuina scriptura Ciceroniana sit ante triginta diebus);⁸⁵ Vell.Paterc.1,6,2 imperium Asiaticum...translatum est ad Medos abhinc annos ferme octingentos septuaginta. In omnibus his exemplis ad particulam abhinc accedit elocutio temporalis cardinale numerale continens (Terentianum et Ciceronianum abhinc triennium = abhinc tres annos). Eandem autem particulam adverbialiter quoque (pro ante hoc temporis momentum vel ab hoc temporis momento) adhiberi potuisse multi loci praesertim e litteris aetatis imperatorum excerpti ostendunt, e.g. Apul.Apol.1 (Helm II 1, p.1, lin.11-16) dies abhinc quintus an sextus est, cum me causam pro uxore mea Pudentilla adversus Gracchos agere aggressum de composito necopinantem patroni eius incessere...coepere, ubi eandem rem e.g. ita exprimere possis: die quinto aut sexto ante hoc temporis momentum me...patroni...incessere...coepere. Pari ratione functionem syntacticam particulae abhinc alio quoque loco Apuleiano optime explicari existimo, scilicet Apolog.55 (Helm II,1, p.63, lin.1-4) Nec hoc ad tempus compono, sed abhinc ferme triennium est, cum primis diebus, quibus Oeam veneram, publice disserens de Aesculapii maiestate, eadem ista prae me tuli, ubi elocutionem abhinc triennium est, cum...prae me tuli potius pro abhinc tres anni sunt, cum...prae me tuli quam pro abhinc tres annos est, cum...prae me tuli positam, id est abhinc pro adverbio quam pro praepositione impropria accipiendum esse censeo, quamquam talis prolepsis elocutionis adverbialis, qualis in hodiernis linguis frequentissime occurrit (e.g. Suetice optime dici potest: *Det var för tre år sedan som jag förde till torgs...*), ne a Latinitate quidem prorsus aliena est.⁸⁶ Priorem ex illis duabus paraphrasibus meis posteriori antepone non ita elocutione Apuleiana Apolog.1 supra prolata nitor, in qua tertius dies ordinale numerale continens ab elocutione triennium paululum differt, sed ante omnia locis Ciceronianis a me in quarto capitulo⁸⁷ tractatis, quos, etsi particula abhinc in iis non occurrit, tamen hic denuo commemorandos esse existimo: Off.2,21,75 Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L.Pisone lata lex est et Orator 51,171 iam anni prope quadringenti sunt, cum hoc probatur; cf. etiam Plaut.

Trin.402-403 **Minus quindecim dies sunt, quom pro hisce aedibus / minas quadraginta accepisti a Callicle.**

Pro praepositione impropria usurpatum **abhinc** semper ad praeteritum tempus refertur; pro adverbio autem adhibitum, ut cetera adverbia composita, quae hic tractavi, etiam ad futurum tempus referri potest.⁸⁸ Iam in archaica Latinitate huius usus unum invenitur exemplum, scilicet Pacuv.fragm.30 (Warmington II, p.172) **...seque ad ludos iam inde a b h i n c exercent (inde abhinc = inde ab hoc temporis momento)**. Aevum classicum usu adverbiali particulae **abhinc** tempus designantis videtur omnino carere;⁸⁹ alia exempla nisi in posteriore Latinitate non repperi. Apud Apuleium praeter locos supra tractatos haec occurrit verbosa periodus variis ornamentis rhetoricis abundans (Flor.16, Helm II 2, p.30, lin.16-22): **Quin etiam tibi, nobilitas senatorum, claritudo civium, dignitas amicorum, mox ad dedicationem statuae meae libro etiam conscripto plenius gratias canam eique libro mandabo, uti per omnis provincias eat totoque a b h i n c orbe totoque a b h i n c tempore laudes benefacti tui ubique gentium semper annorum repraesentet (abhinc = posthac)**. Palladius docens, qua ratione pullo equi primis aetatis annis dentes crescant, inter alia ita scribit (4,13,8): **Septimo anno omnes dentes eius explentur. Latent a b h i n c aetatis notae; sed provectoribus tempora cavari incipiunt, supercilia canescere, dentes plerumque prominere (abhinc = ab hoc septimo anno sive post hunc septimum annum)**. Orosius historicus **abhinc** fere pro ab hoc tempore ponit scribens 5,19,2 **de Mithridatici belli spatio varie traditum est, utrum a b h i n c primum coeperit an tunc praecipue exarserit.**⁹⁰ Hilarius in simili fere conexu **abhinc** simul ad tempus et ad personam refert: Epist.3,7 (Thiel, p.134) **Eusebius chronicorum a b h i n c exorsus est historiam (abhinc = a Nino, id est ab aetate Nini)**. Symmachus proxima **abhinc** pro proxima huic (sc. aetati) dicens adverbio fere dativi functionem mandat (Epist.4,59): **Nec pretium proxima a b h i n c aetate mittemus**. Denique tres proferantur loci, quibus ad **abhinc** accedit particula **retro**: Sidon. 4,4,1 **cumque a b h i n c r e t r o iuvenes eramus**; Novell.Maioriani 7,1,1 **intra triginta a b h i n c r e t r o annos**; Novell.Theodosii 23,1,1 **intra triginta annos a b h i n c r e t r o nu-**

merandos. His locis, ut Thesaurus Linguae Latinae recte docet,⁹¹ "additum **retro** probat usum de futuro tempore iam tunc (= quinto p.Chr.n.saeculo) praevaluisse".

6.3.3. ADVERBIA PARTITIVE POSITA

Adverbia partitive posita, quorum iam in secundo capitulo exemplum Terentianum Adelph.46-47 **nati filii / duo; i n d e ego hunc maiorem adoptavi mihi** Donatique ad id commentum perscrutatus sum,⁹² semper elativam aut delativam vim habent, ablative autem accipi non possunt, sicut relatio partitiva etiam ceteroquin praepositionibus **e,ex** et **de**, numquam autem praepositione **a,ab** exprimitur.

Exempla rerum adverbiiis elativis partitive designatarum iam inde ab aevo archaico passim reperiuntur: Plaut.Epid.338-339 **Per hanc curam quieto tibi licet esse - hoc quidem iam periit: / ni quid tibi h i n c in spem referas, oppido hoc pollinctum est**, ubi pro **ne quid tibi hinc in spem referas** prosaica paraphrasi e.g. **noli sperare te quidquam argenti, quod in hoc sacco est, recuperaturum** dici possit; **hinc** enim partitive ad **quid** accedens ad argentum in sacco positum refertur, quem Epidicus umeris portat;⁹³ Rud.972-973 **quos** (sc. pisces) **quom capio, siquidem coepi, mei sunt, habeo pro meis, / nec manu adseruntur neque i l l i n c partem quisquam postulat** (**illinc = ex illis**); 957-960 **'Ego istuc furtum scio quoi factum est; / nunc mihi si vis dare dimidium, indicium domino non faciam.'** / **Is mihi nihil etiam respondit. / Quid i n d e aequom est dari mihi? Dimidium volo ut dicas** (**inde = ex eo, sc. furto**). In Pseud. 1164 **Heus, memento ergo dimidium i s t i n c mihi de praeda dare** haud magni interest, utrum **istinc de praeda** idem ac **de ista praeda** valere iudicemus an adverbium **istinc** epexegetice elocutione praepositionali **de praeda** explanari, quod verisimilius est; cf.Rud.1077 **Equidem ego neque partem posco mihi i s t i n c de istoc vidulo**. Partitiva vis etiam in Aul.291 **Ei adeo obsoni h i n c iussit dimidium dari** subesse potest (**obsoni hinc dimidium = huius obsonii dimidium**) itemque paulo post in 327-328 **agnum h i n c uter est pinguior, / cape** (**hinc = ex his duobus agnis**), ubi quidam commenta-

tores in adverbio solam localem vident significationem (**hinc = ex hoc loco, sc. ubi nunc stamus**).⁹⁴ In sermone personarum Plauti correlatum nominale adverbii nonnumquam tantum subauditur, e.g. Mil. glor.711 **Sacrificant; dant i n d e partem mihi maiorem quam sibi (inde = ex iis, sc. sacrificiis)**.⁹⁵ Cato de colliciaribus tegulis ceteroquin subobscurè disserens adverbium **unde** haud ambigue partitiva vi adhibet: Agr.14,4 **Tectum sic numerabitur: tegula, integra quae erit, quae non erit, u n d e quarta pars aberit, duae pro una, conliciares quae erunt, pro binis putabuntur (unde...pars = cuius...pars vel e qua...pars)**. Idem de pabulo bubus parando dandoque ita disserit (54,1): **Ubi sementim patraueris, glandem parari legique oportet et in aquam conici. I n d e semodios singulis bubus in dies dari oportet (inde = ex ea vel eius, sc. glandis in aquam coniectae)**, atque in ultima parte operis sui complura praecipit de paranda brassica, quam omnibus holeribus antistare contendit, inter alia hoc (Agr.156,7): **Sumito brassicam, coicito in aquam ferventem, coquito paulisper, ut subcruda siet. Postea aquam defundito non omnem. Eo addito oleum bene et salem et cumini paululum, infervefacito paulisper. Postea i n d e iusculum frigidum sorbere et ipsam brassicam esse, uti quam primum excoquatur. Hic quidem inde (= e brassica atque ex aqua et oleo et sale et cumino cum ea mixtis), verbo sorbere annexum inter localem et partitivam functionem haeret. Paulo post (158) doceris, quo modo "alvum deicere" oporteat, "si vis bene tibi deicere". Enumeratis variis rebus, quae in olla ponendae sunt, ita docere pergit (158,2): **Haec omnia decoquito usque ad sextarios III iuris. Oleum ne addideris. I n d i d e m sume tibi sextarium unum tepidum, adde vini Coi cyatum unum, bibe, interquiesce, deinde iterum eodem modo, deinde tertium: purgabis te bene**. Adverbium **indidem** pariter atque **inde** in priore exemplo, partitivam vim habet atque pro genetivo (**eiusdem, sc. iuris**) ad elocutionem **sextarium unum tepidum** accedit, simul autem localiter quoque cum imperativo **sume** coniungitur. Aliud exemplum adverbii **indidem** a Catone partitive positi, in quo tamen aliquid localitatis restat, est Agr.25, ubi de vino coquendo agitur: **Eos (sc. vinaceos recentes) conculcato in dolia picata vel in lacum vinarium picatum. Id bene iubeto oblini, quod des bubus per hiemem. I n d i d e m, si voles, lavito paullatim; namque indidem cum verbo lavito con-****

iunctum partitive ad copiam vini refertur simulque localiter ad do-
lia et ad lacum vinarium, unde vinum per hiemem desumatur.⁹⁶

Apud Vitruvium quoque inveniuntur exempla, ut ita dicam, technici
generis. De columna ionica inter alia ita disserit (3,5,3): **Alti-
tudo ita uti atticurges, ita ut eius plinthos, reliquumque praeter
plinthum, quod erit tertia pars crassitudinis columnae, dividatur
in partes septem; i n d e trium partium torus, qui est in summo;
reliquae quattuor partes dividendae sunt aequaliter (inde = e qui-
bus);** ad balnea autem transgressus de latitudine alvei hunc in mo-
dum scribit (5,10,4): **Alvei autem latitudo inter parietem et plu-
teum ne minus sit pedes senos, ut gradus inferior i n d e auferat
et pulvinus duos pedes (inde = ex iis, sc. pedibus senis).**

Etiam Cicero unde partitive pro e qua (sc. hereditate) ponit (Fin.
2,17,55): **Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, u n d e, si secu-
tus esset eorum sententiam, qui honesta et recta emolumentis omni-
bus et commodis anteponerent, nummum nullum attigisset.**

E poetis aevi classici Lucretius, ut ostendat "nequaquam nobis di-
vinitus esse paratam naturam rerum" (5,198-199), tria profert te-
stimonia, quorum in primo **inde** bis partitive ponit (5,200-205):
**Principio, quantum caeli tegit impetus ingens, / i n d e avidi
partem montes silvaeque ferarum / possedere, tenent rupes vastaeque
paludes / et mare quod late terrarum distinet oras. / I n d e duas
porro prope partis fervidus ardor / adsiduusque geli casus mortali-
bus aufert (inde = ex eo spatio vel eius spatii, sc. quod caelum
tegit).** Plura exempla eiusdem adverbii partitive adhibiti apud Ovi-
dium reperiuntur: **Metam.1,625-626 Centum luminibus cinctum caput
Argus habebat; / i n d e suis vicibus capiebant bina quietem (inde
= ex iis, sc. centum luminibus);** **6,644-646 vivaque adhuc animaeque
aliquid retinentia membra / dilaniant; pars i n d e cavis exsul-
tat aenis, / pars veribus stridunt (inde = ex iis vel eorum, sc.
membrorum);**⁹⁷ **13,829-830 Lac mihi semper adest niveum; pars i n -
d e bibenda / servatur, partem liquefacta coagula durant (inde =
eius vel ex eo vel de eo);** **Heroid.2,53-54 Dis quoque credidimus;
quo iam tot pignora nobis? / Parte satis potui qualibet i n d e
capi (inde = eorum, sc. pignorum);**⁹⁸ **Fast.3,733-734 Nomine ab auc-**

toris ducunt libamina nomen / libaque, quod sacris pars datur
i n d e focis (inde = eorum vel de iis, sc. libis); 5,509 stant
calices; minor i n d e fabas, olus alter habebat (inde = eorum
vel ex iis). In Amoribus Ovidius monens puellam viro non nimia di-
ligentia custodiendam esse velut timenti, ne pars eius evanescat,
adverbium unde partitiva vi adhibet (Am.2,2,11-12): **Vir quoque non
sapiens; quid enim servare laboret / u n d e nihil, quamvis non
tueare, perit?** (= e quo nihil...perit, id est e qua puella nulla
pars evanescit).

Ab exemplis Ovidianis haud multum differt locus, ubi Martialis,
postquam cenam a Mancino ministratam satirice descripsit dicens eum
sexaginta hospitibus suis epulas ne monstravisse quidem praeter
aprum, de hoc ita narrare pergit (1,43,9-12): **nudus aper, sed et
hic minimus, qualisque necari / a non armato pumilione potest. / Et
nihil i n d e datum est; tantum spectavimus omnes; / ponere
aprum nobis sic et harena solet** (inde = ex eo, sc. apro). Idem in
alio epigrammate hinc partitive ponit (2,10,1-2): **Basia dimidio
quod das mihi, Postume, labro, / laudo; licet demas h i n c quo-
que dimidium** (hinc = ex his basiis). Errat Handius credens hinc pro
de me positum esse;⁹⁹ nam vocabulum **dimidium** poeta manifesto ad lu-
dum quendam verbalem efficiendum adhibet: et labri et basiorum a
Postumo datorum dimidium sibi satis superque esse; si "maius adhuc
et inenarrabile munus" is dare velit, etiam reliquum dimidium totum
sibi habeat (ibid. v.3-4). Quod ad alios poetas aetatis imperatorum
attinet, Iuvenalis quaerens, "quid causidicis civilia praestent of-
ficia" (7,106-107), eos vix operae pretium facere censet (7,122-
123): **Si quater egisti, si contigit aureus unus, / i n d e cadunt
partes ex foedere pragmaticorum** (inde = ex eo, sc. aureo uno). In
didactica quoque poesi inde similem partitivam functionem habere
potest, e.g. Manil.Astron.2,726-730 **Quacumque in parti nascentum
tempore Luna / constiterit, numeris hanc ter dispone quaternis,
/ sublimi totidem quia fulgent sidera mundo. / I n d e suas illi
signo, quo Luna refulsit, quaeque hinc defuerant partes, numerare
memento** (inde = ex iis, sc. stellis fulgentibus).

Haud minus frequenter quam Ovidius in poesi, Livius in prosa eius-

dem aetatis adverbio **inde** partitive utitur, e.g. 2,41,1 **Cum Hernicis foedus ictum; agri partes duae ademptae. I n d e dimidium Latinis, dimidium plebi divisurus consul Cassius erat** (id est ex his duabus partibus unam Latinis, alteram plebi divisurus...erat); 23,41,8-9 **T.Octacilius praetor...classi Africam repetenti occurrit levique certamine in alto commisso septem i n d e naves cum sociis navalibus cepit** (inde = eius vel ex ea, sc. classe); 27,10,12 **Prompta ad quattuor milia pondo auri. I n d e quingena pondo data consulibus et M.Marcello et P.Sulpicio proconsulibus et L.Veturio praetori** (inde = ex iis, sc. quattuor milibus pondo auri); 37,58,2-3 **L.Aemilio Regulo...auditis rebus gestis eius, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot i n d e naves demersisset aut cepisset, magno consensu patrum triumphus navalis est decretus** (inde = earum vel ex iis, sc. classibus); 44,27,9 **Nam cum trecenta talenta Pellae missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus est; i n d e decem talenta ad Pantauchum missa, eaque praesentia dari regi iussit.** In hoc ultimo exemplo non quidem protinus negaverim adverbium **inde** etiam temporaliter (= **deinde**) accipi posse,¹⁰⁰ sed verisimiliorem existimo partitivam functionem (= **ex ea**, sc. **pecunia vel ex iis**, sc. **trecentis talentis**), praesertim cum Livius statim post haec verba "**reliquam pecuniam signatam Illyriorum signo**" commemoret.¹⁰¹

E litteris prosaicis aetatis imperatorum commemoretur exemplum, in quo **inde** et **unde** partitivam habent functionem, non tamen a locali functione prorsus alienam: Quint.Inst.or.2,4,7 **Materiam esse primum volo vel abundantiorem atque ultra, quam oporteat, fusam. Multum i n d e decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur, sit modo u n d e excidi possit.** Adverbium **inde** potissimum ad **multum** accedit, sed apte etiam cum verbo **decoquent** coniungitur; ad **unde**, etsi nullum habet nominale correlatum, tamen e.g. **aliquid** subaudiri potest. Similem fere functionem partitivam **unde** habet apud Apuleium: Metam.7,11,1 **Nec multo post adveniunt illi vinarios utres ferentes et gregatim pecua comminantes. U n d e praelectum grandem hircum annosum et horricomem Marti Sectorsi Comitique victimant** (unde = e quibus, sc. pecubus);¹⁰² cf. quae dicit Petrus Diaconus, Itinera Hierosolymitana (Geyer, p.110,

lin.25)¹⁰³: **Intus vero in Ebron domus consistit David, u n d e adhuc aliqua pars stat (unde = cuius vel e qua).**

Exempla partitivae functionis adverbiorum localium non omnia inter se similia sunt. In aliis enim adverbium strictius ad verbum accedit, sicut in paenultimo exemplo Apuleiano **unde...praelectum**, in aliis autem ad nomen, sicut in ultimo exemplo ex Itineribus Hierosolymitanis Petri Diaconi excerpto **unde...aliqua pars**. In illis pro adverbio plerumque non nisi elocutio praepositionalis adhiberi potest, in his aut genetivus partitivus aut elocutio praepositionalis.¹⁰⁴ Maxime autem peculiaria sunt exempla, in quibus nomen, ad quod adverbium partitivam vim habens annecti possit, non in proxima vicinitate eius invenitur, sed paulo longius distat. Horatius (Sat. 1,4,130-132) scribens **mediocribus et, quis / ignoscas, vitiis te neor; fortassis et i s t i n c / largiter abstulerit longa aetas, liber amicus** adverbio **istinc** (= de istis vitiis) paene pro obiecto partiali utitur, ut quod ad nullum nomen protinus accedat (nisi forte adverbium **largiter** semanticè ab elocutione **magnam partem** haud multum differens pro correlato nominali accipere volueris).¹⁰⁵ Quaedam exempla commemorantur adverbii **inde** similiter usurpati. Varro de relatione etymologica substantivi **armenta** cum verbo **arare** disserens scribit (Ling.Lat.5,96): **boves ideo maxime parabant, ut i n d e eligerent ad arandum (inde = aliquos ex eo grege vel aliquos ex iis, sc. bubus)**. In periodo longa Sallustii (Catil.22,1-2) **fuere ea tempestate, qui dicerent Catilinam...humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; i n d e cum...omnes degustavissent,...aperuisse consilium suum** adverbium **inde** non quidem localiter accipi nequit (= ex iis, sc. pateris), sed verisimilius partitivam vim habet (= **nonnihil humani sanguinis vino permixti**). Postea Apuleius mulierem, quae et maritum suum veneno interficere et medicum sceleris conscium amoliri constituerat, huic ita loquentem facit (Metam.10,26,1): **"...non prius carissimo mihi marito trades istam potionem quam d e e a bonam partem hauseris ipse..."**, pauloque post (10,26,3) addit: **...repente perturbatus medicus...spatio cogitandi privatus...i n d i d e m de potione gustavit ampliter**. His locis partitiva relatio et praepositione **de** cum ablativo (**de ea, de potione**) et adverbio **indidem** exprimitur

(**indidem de potione = de eadem potione**); correlata sunt elocutio **magnam partem** et adverbium **ampliter** simili fere ratione ac supra **largiter** apud Horatium. Marcellus scribens (Medicam.12,46) ad **aquam nitidam accedes et i n d e in os tuum mittes** adverbio locali eandem fere dat functionem, quae est obiecto partiali e.g. in Peregr. Aeth.3,6 **dederunt nobis presbyteri loci ipsius eulogias, id est d e p o m i s, quae in ipso monte nascuntur**. Eiusdem generis relatio inter obiectum partiale et elocutiones ex **inde** Latino evolutas linguarum Italicae et Francogallicae est: in illa (**tu**) **n e bevi** dici potest pro (**tu**) **bevi d e l l'a c q u a**, in hac **tu e n bois** pro **tu bois d e l'e a u**.

Notandum tamen est usum partitivum elocutionis localis Francogallicae **en** itemque Italicae **ne** longius quam adverbii Latini **inde** processisse. In proverbio Francogallico **Quand on parle du loup, on e n voit la queue**, quod fere elocutionibus Latinis **eccum tibi lupum in sermone** (Plaut.Stich.577) et **lupus in fabula** (Ter.Adolph. 537, Cic.Epist.Att.13,33,1, Servius ad Verg.Ecl.9,53) respondet, **en** syntactice verbo **voit** annexum idem exprimit atque elocutio prae-
positionalis aut adiectivum possessivum substantivo **queue** attributive annexum (= ...**on voit la queue d u l o u p** vel ...**on voit s a queue**). Hoc si Italice reddere velis, structuram syntacticam proverbii non necesse est mutare; optime enim dici potest: **Quando si parla del lupo, se n e vede la coda**. Vulgari quidem Latinitate num quis umquam dixerit e.g. ***Cum de lupo loqueris, i n d e vides caudam**, parum constat;¹⁰⁶ at theorice saltem fingere possumus tale fundamentum dictarum elocutionum Romanicarum, cum in posteriore Latinitate **inde** nonnumquam similiter aut etiam liberius adhibeatur. Pro exemplo cedat locus Peregrinationis Aetheriae, quo "ipse sanctus presbyter" peregrinantibus de ecclesia in summo colle sita degressis ruinas prope iacentes monstrans dicit (14,2): **Ecce ista fundamenta in giro colliculo isto, quae videtis, hae sunt de palatio regis Melchisedech. Nam inde adhuc sic si quis subito iuxta sibi vult facere domum et fundamenta i n d e continget, aliquotiens et de argento et heramento modica frustella ibi invenit. Pro fundamenta inde continget dicere possit aut fundamenta eius (palatii) continget aut fortasse fundamenta de eo (palatio) continget,**

quod propius est elocutionibus linguarum Romanicarum, sicut **de argento et heramento modica frustella** idem valens atque **argenti et heramenti modica frustella**.¹⁰⁷

In proverbio Francogallico supra dicto **en** a partitivo usu haud procul abest (etenim cauda est membrum sive pars lupi); sed idem in aliis quoque functionibus syntacticis genetivi occurrit.¹⁰⁸

Etiam **dont** Francogallicum in hoc conexu attingi oportet. Elocutionem Latinam ***de unde**, e qua id ortum esse iam in secundo capitulo¹⁰⁹ monui, cum in nullo fonte litterario inventa sit, in seriore tamen Latinitate exstitisse necesse est. Contra ac **donde** Italicum et Hispanicum ex eadem radice evolutum, **dont** in hodierno sermone Francogallico frequentissime usurpatur in omnibus functionibus, quas pronomem relativum ad praepositionem **de** accedens (**duquel, de laquelle, desquels, desquelles**) habet, velut in partitiva functione, cuius nobis inter alios exemplum dat Albert Camus scribens: **Ceci n'ira pas sans de terribles conséquences, dont nous ne connaissons encore que quelques-unes**.¹¹⁰ Campum syntacticum latissimum, in quo versatur, **dont** ut sortiretur, propria demum evolutio ipsius linguae Francogallicae fecit, quae ei pronominis relativi functiones dedit; e.g. genetivi possessivi vicem **unde**, quamquam interdum ab ea haud procul abest,¹¹¹ tamen numquam plane gerit nisi aliquando in Latinitate docta medi aevi.¹¹²

6.3.4. ADVERBIA AD MATERIAM CONCRETAM RELATA

Haud mediocris momenti sunt elocutiones, in quibus adverbia elativa exprimunt, **unde**, id est **e qua re** aut **e qua materia** aliquid fiat vel oriatur. Substantiva id indicantia aut concreta aut abstracta esse possunt. In praeceptis Catonis, quae opere eius De Agri cultura continentur, frequentissima sunt exempla, in quibus **unde** aut **inde** ad concretum substantivum refertur: 6,3 **Ibi corrudam serito, unde asparagi fiant** (**unde = e qua**); 14,3 **Hae rei materiem et quae opus sunt dominus praebebit et ad opus dabit: serram I, lineam I, ...lapidem, calcem, harenam, aquam, paleas, terram, unde lutum**

fiat (unde = e quibus, sc. materiis modo enumeratis); 31,1 Vimina matura, salix per tempus legatur, uti sit u n d e corbulae fiant et veteres sarciantur (unde = e quo vel e qua, sc. materia);¹¹³ Fibulae u n d e fiant, aridae iligineae, ulmeae, nuceae, ficulneae, fac in stercus aut in aquam coniciantur (unde = e quibus); i n d e, ubi opus erit, fibulas facito (inde = ex iis, sc. lignis vel materiis); 35,2 Rapinam et coles rapicii u n d e fiant et raphanum in loco stercoreato bene aut in loco crasso serito (unde = e quo, id est coles rapicii unde fiant = semen rapicium; cf.134,1); 37,2 Stercus u n d e facias: stramenta, lupinum, paleas, fabalia, acus, frondem iligineam, querneam (unde = e quibus, sc. materiis); 38,4 neque lapidem habebis, u n d e calcem coquas (unde = e quo); 58 Postea oleas tempestivas, u n d e minimum olei fieri poterit, eas condito (unde = e quibus); 59 Quotiens cuique tunicam aut sagum dabis, prius veterem accipito, u n d e centones fiant (unde = e qua, sc. vetere tunica); 64,2 Olea, quae diu fuerit in terra aut in tabulato, i n d e olei minus fiet et deterius (inde = ex ea, sc. olea); 75 selibram similaginis eodem indito permiscetoque cum caseo bene. Ovum unum addito et una permisceto bene. I n d e panem facito (inde = ex iis, id est e similagine et caseo et ovo una bene permixtis); 76,1 Farinae siligineae L. II, u n d e solum facias, in tracta farinae L. IIII et alicae primae L. II (unde = e qua); 76,2 Postea farinae L. II conspargito condepsitoque. I n d e facito solum tenue (inde = ex ea, id est e farina cum ceteris materiis condepsta); 79 Globos sic facito: Caseum cum alica ad eundem modum misceto; i n d e quantos voles facere, facito (inde = ex eo, id est e caseo cum alica mixto); 112,2 U n d e vinum Coum facere voles, uvas relinquito in vinea, sinito bene coquantur (unde = e quibus, sc. uvis).

In posterioribus quoque litteris interdum similes inveniuntur elocutiones, apud neminem autem tam crebro quam apud Catonem. Ad res concretas adverbialia referuntur e.g. his locis: Verg.Georg.2,442-445 dant alios aliae (sc. silvae) fetus, dant utile lignum / navigiis pinus, domibus cedrumque cupressosque; / h i n c radios trivere rotis, h i n c tympana plaustris / agricolae et pandas ratibus posuere carinas (hinc = ex his, sc. lignis); Cels.6,7,8B Veratrum

quoque ad id ex aceto conteritur, deinde melle cocto excipitur, et **i n d e** collyrium factum in aurem demittitur (inde = ex eo, sc. veratro, quod ex aceto contritum et melle cocto exceptum est); Curt.8,9,31,15 Terra lini ferax: **i n d e** plerisque sunt vestes (inde = ex eo, sc. lino); Plin.Nat.hist.19,2,14 Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon, et ideo lina **i n d e** facta xylina (inde = ex eo, sc. frutice)...Nec ulla sunt cum candore molliora pexioraque. Vestes **i n d e** sacerdotibus Aegypti gratissimae (inde = ex iis, sc. linis); ibidem 19,4,19 Inventum iam est etiam quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentisque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas sordibus exustis splendescentes igni magis quam possent aquis. Regum **i n d e** funebres tunicae corporis favillam ab reliquo separant cinere (inde = ex eo, sc. "vivo lino").

Livius scribens 8,13,15 Licet delere omne Latium, vastas **i n d e** solitudines facere, **u n d e** sociali egregio exercitu per multa bella magnaue saepe usi estis morphologice concinnam elocutionem efficit, cui tamen inconcinnitas quaedam semantica inest. Adverbia enim **inde** et **unde**, ut morphologice aequalia sunt, ita significatio-
ne paululum inter se differunt: **inde** materiam designat, e qua vastae solitudines fiant, **unde** autem paene localiter accipi potest,¹¹⁴ quia terram designat, e qua Romanis saepe "socialis egregius exercitus" auxilio missus esset.

Apud plerosque scriptores adverbia saepe similiter referuntur ad varias res, e quibus aliquid fit aut oritur aut nascitur aut gignitur aut generatur etc. Res concretas adverbio designat e.g. Livius 2,5, 3-4 ita in vadis haesitantis frumenti acervos sedisse inlitos limo; insulam **i n d e** paulatim et aliis, quae fert temere flumen, eodem invectis factam (inde = ex iis, sc. frumenti acervis), nec multo minus concretam rem Cicero scribens (Nat.deor.2,33,84): Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere aether, deinde retrorsum vicissim ex aethere aer, **i n d e** aqua, ex aqua terra infima (inde = ex eo, sc. aere), et Ovidius Metam.9,220-221 ferunt imbres gelidis concre-
scere ventis, / **i n d e** nives fieri (inde = ex iis, sc. imbribus). Ab his syntactice vix quidquam differunt exempla, ad quae nunc

transgredior, scilicet in quibus adverbiiis abstractiora sunt correlata.

6.3.5. ADVERBIA AD ORIGINEM VEL CAUSAM RELATA

Ex abstractiorum correlatorum exemplis primo ea profero, in quibus, unde sive e qua re aliqua discordia aut alia mala res orta sit, exprimitur: Ter. Hec. 350-351 **omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli, / quae inter vos intervenerit, unde ortumst initium irae (unde = e qua); Cic.Or.Rosc.Amer.27,75 ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera et maleficia gignuntur (inde pro ex ea positum eandem habet functionem syntacticam atque elocutiones praecedentes ex luxuria et ex avaritia).**

Haud rariora sunt exempla adverbiorum ad res meliores relatorum: Cic. Tusc.5,24,69 **I n d e est indagatio nata initiorum et tamquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta (inde pro ex iis positum ad studia motum mundi et sidera perspiciendi refertur; unde = e quibus, sc. seminibus); Valer.Max.2,1,10 Quas Athenas, quam scholam, quae alienigena studia huic domesticae disciplinae praetulerim! I n d e oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii, ac ne singula imperii nostri lumina simul percurrendo sim longior; inde, inquam, caeli clarissima pars, divi fulserunt Caesares (inde = ab ea, sc. domestica disciplina). Apud Livium inde ad verba oriendi et nascendi accedens pro correlato non semper substantivum habet, sed aut ad totam sententiam praecedentem referri potest aut ad enuntiatum secundarium explicativum, quo excipitur: 9,40,16 **Tantum magnificentiae visum in iis (sc. armis), ut aurata scuta dominis argentariarum ad forum ornandum dividerentur. I n d e natum initium dicitur fori ornandi ab aedilibus;**¹¹⁵ 1,51,5 **I n d e illam absentis (sc. Tarquinii) insectationem esse natam, quod morando spem destituerit.****

In eius generis elocutionibus, quas supra protuli, adverbium haudquaquam procul a causali vi abesse ostendunt nonnulli loci, e.g. Ter.Hec.831 **narro omnia haec; inde est cognitio facta, Liv.3, 10,7 ne qui in loca summa urbis impetus caedesque inde fieret,**

atque ante omnia dictum pervulgatum **h i n c illae lacrimae** a Terentio primum adhibitum (Andr.126), postea a Cicerone (Or.Cael.25, 61) et ab Horatio (Epist.1,19,41) repetitum, et variationes quaedam eius, e.g. Stat.Theb.1,302 **h i n c causae irarum: certo reliqua ordine ducam**, et Iuven.1,168 **I n d e irae et lacrimae**. Haud raras sunt similes elocutiones anaphora ampliatae et exornatae: Cic. Or. Cluent.67,191 **h i n c illae sollicitudines servorum, h i n c illae quaestiones**, Flacc.23,54 **h i n c totum odium, h i n c omnis offensio**, Cato Maior 12,39 **h i n c patriae prodiones, h i n c rerum publicarum eversionses, h i n c cum hostibus clandestina colloquia nasci**, Off.3,8,36 **h i n c sicae, h i n c venena, h i n c falsa testamenta nascuntur; h i n c furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum et civium, h i n c opum nimiarum, potentiae non ferendae, postremo etiam in liberis civitatibus regnandi existunt cupiditates; porro 2.Or.Verr.4,10,24 H i n c illa Verria nata sunt, quod in convivium Sex.Cominium protrahi iussit...**, **h i n c illa crux, in quam iste civem Romanum multis inspectantibus sustulit; Nat.deor.2,24,62 Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentis viros in caelum fama ac voluntate tollerent. H i n c Hercules, h i n c Castor et Pollux, h i n c Aesculapius, h i n c Liber etiam... H i n c etiam Romulus, quem quidem eundem esse Quirinum putant; Off.1,18,61 Contraque in laudibus, quae magno animo fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quo modo quasi pleniore ore laudamus. H i n c rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris, h i n c noster Cocles, h i n c Decii, h i n c Cn. et P.Scipiones, h i n c M.Marcellus, innumerabiles alii. Neque solum ad verba nascendi, quae in plurimis exemplorum supra prolatorum subaudiuntur, sed ad alias quoque elocutiones adverbium locale causali vi positum frequenter accedit. Interdum, utrum de causali an de temporali vi agatur, pro certo diiudicari nequit. Cicero in Vatinius verba faciens inter alia dicit (5,13): **Ac tibi iam i n d e praescribo, ne tuas sordis cum clarissimorum virorum splendore permisceas; plurimi commentatores adverbium temporaliter accipere videntur (= inde a tribunatu plebis, quem a Vatinio gestum esse Cicero paulo prius commemoravit);**¹¹⁶ ego autem praecedentibus verbis, quibus orator a Vatinio quaerit, num "quod genus improbitatis et sceleris in eo magistratu" praeter-**

miserit, adducor, ut potius causalem ei vim tribuam (iam inde = iam ideo vel iam ea de causa). Loco Quintiliani iam bis tractato¹¹⁷ Inst.or.10,3,4 cum sit duplex quaestio,..., iam hinc ordinem sequar adverbium hinc non modo localiter aut temporaliter, sed etiam causaliter (= ob hanc rem) accipi posse monui, quae interpretatio praecedente causali enuntiato secundario fulcitur. Inter causalem et temporalem vim inde etiam in elocutione impersonali inde sequitur haeret; namque id, quod ex aliqua re consequitur, naturae quadam necessitate huic tempore succedit. Lucretius, dum docere studet "primordia rerum finita variare figurarum ratione" (2,479-480) atque summum e trinis partibus minimis constare posse, ita pergit (2, 487-494): nempe ubi eas partis unius corporis omnis, / summa atque ima locans, transmutans dextera laevis, / omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo / formai speciem totius corporis eius, / quod superest, si forte voles variare figuras, / addendum partis alias erit; inde sequetur, / adsimili ratione alias ut postulet ordo, / si tu forte voles etiam variare figuras.¹¹⁸ Seneca autem monens multos homines nimis facile credere se ab aliis contemni, nobis suadet, ut talem credulitatem vitare discamus: Inde et illud sequitur, ut minimis sordidissimisque rebus non exacerbemur (De ira 2,25,1).¹¹⁹

Apud Livium passim occurrit inde causali vi adhibitum: 4,53,11 Auctae inde plebis ac militum in consulem irae, id est propterea, quod consul praedicaverat tum demum "participem praedae fore exercitum, cum militiam non abnuisset" (4,53,10); 8,40,5 Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa, id est ob "vitiatam memoriam funebribus laudibus...falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt" (8,40,4); 9,21,3 Duplex inde terror inlatus Romanis, id est quia dictator L.Aemilius "Saticulam oppugnare adortus rebellandi causam Samnitibus dedit" (9,21,2); 28,20,9 Sed adventum Scipionis praevenerat fama cladis Iliturgitanorum, terrorque inde ac desperatio invaserat (inde = ob eam, sc. famam).¹²

Ex imperatorum quoque aetatis litteris nonnulla profero exempla, quae inter se dissimilia tamen id habent commune, quod in omnibus

inde idem fere significat atque ob eam rem: Colum.6,14,1 Est etiam illa gravis pernicies, cum pulmones exulcerantur. I n d e tussis et macies et ad ultimum phthisis invadit; Seneca, Nat.quaest.6,28,3 Tunc etiam ille spiritus purior transit in noxium; i n d e subitae continuaequae mortes et monstruosa genera morborum ut ex novis exorta causis; Quint.Inst.or.10,1,94 eruditio in eo (sc. Lucilio) mira et libertas atque i n d e acerbitas;¹²¹ Lucan.6,90-94 Tali spiramine Nesis / emittit Stygium nebulosis aera saxis, / antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant. / I n d e labant populi, caeloque paratior unda / omne pati virus duravit viscera caeno. Ex operibus historicis Taciti duos locos excerpo, quorum in uno inde, in altero unde causalem vim habet: Ann.12,40,3 ...callidisque Cartimandua artibus fratrem ac propinquos Venutii interceptit. I n d e accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur; Hist. 5,5,1 Nam pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc congerebant, u n d e auctae Iudaeorum res (unde pro qua re sive quam ob rem pariter causam exprimit atque inde in praecedentibus exemplis).

Peculiare genus elocutionum causalium id est, in quo, unde aliquod nomen aut vocabulum originem traxerit, quaeritur aut explicatur; Romanorum enim scriptorum multi voluisse videntur "imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta" (Cic.Off.1,7,23). Primum quidem nonnulla exempla e Varrone excerpta profero, cuius De lingua Latina libri haud exigua e parte origini et derivationi vocabulorum Latinorum dedicati sunt; qui frequenter adverbia localia inde et hinc et illinc et unde, nonnumquam etiam indidem in pari functione adhibet atque praepositionem a/ab cum ablativo: 5,4,21 Terra dicta a b e o, ut Aelius scribit, quod teritur... A b e o colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, territorium, quod maxime teritur. H i n c linteum, quod teritur corpore, exterminarium. H i n c in messi tritura, quod tum frumentum teritur... H i n c fines agrorum termini, quod eae partes propter limitare iter maxime teruntur; itaque hoc cum I in Latio aliquot locis dicitur, ut apud Accium, non terminus, sed terimen; hoc Graeci quod tērmona. Pote vel i l l i n c; Euander enim, qui venit in Palatium, e Graecia Arcas.¹²² In ultima periodorum citatarum illinc fortasse

non necessario causaliter accipienda est (= ab illa re vel ob illam rem),¹²³ ut hinc in superioribus periodis, sed paulo propior locali significationi esse potest (= a Graecis vel e Graeco sermone). Alia exempla: Ling.Lat.5,14,80 Consul nominatus, qui consuleret populum et senatum, nisi i l l i n c potius, u n d e Accius ait in Bruto: Qui recte consulat, consul cluat. Praetor dictus, qui praeiret iure et exercitu; a q u o id Lucilius: Ergo praetorum est ante et praeire; 6,6,43 A cogitatione concilium, i n d e consilium, 6, 6,44 Sic reminisci, cum ea, quae tenuit mens ac memoria, cogitando repetuntur. H i n c etiam comminisci dictum, a con et mente, cum finguntur in mente, quae non sunt; et a b h o c illud quod dicitur eminisci, cum commentum pronuntiatur. A b e a d e m m e n t e meminisse dictum...; 6,7,66 Ab legendo ligna quoque, quod ea caduca legebantur in agro, quibus in focum uterentur. I n d i d e m ab legendo legio et diligens et dilectus. Periodus iam prius inter partitivas elocutiones examinata 5,19,96, in qua Varro vocabulum armenta tractans ait homines "boves ideo maxime" parasse, "ut inde (= ex iis) eligerent ad arandum",¹²⁴ hoc excipitur enuntiato: I n d e arimenta dicta, postea I littera extrita.

Locis horum similibus textus Varronis scatet, sed ne aliorum quidem scriptorum opera carent,¹²⁵ praesertim cum de origine nominum priorum aetiologice¹²⁶ explicanda agitur: Liv.1,1,3 Et in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur, pagoque i n d e Troiano nomen est; 1,9,12 Unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Talassii cuiusdam raptam ferunt, multisque sciscitanti- bus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talassio ferri clamitatum; i n d e nuptialem hanc vocem factam; Ovid.Fast.1,125-127 Praesideo foribus caeli cum mitibus Horis: / it, redit officio Iuppiter ipse meo. / I n d e vocor Ianus... (inde = ab ianua sive foribus); Trist.3,9,33-34 I n d e Tomis dictus locus hic, quia fertur in illo / membra soror fratris consecuisse sui (inde = a consecando; Ovidius enim Medae et Absyrty fratris ab ea occisi memor nomen oppidi, ubi exsilium agit, ad verbum Graecum *ΤΕΜΒΕΙΝ* idem atque (con)secare Latinum significans refert); Fast.4,631 Forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo; / h i n c etiam fetus nomen habere putant; 6,577- 578 nocte domum parva solita est intrare fene-

stra, / u n d e Fenestellae nomina porta tenet; Valer.Max.1,1,10
 I n d e enim institutum est sacra caerimonias vocari, quia Caereta-
 ni ea infracto rei publicae statu perinde ac florente sancte colue-
 runt; Quint.Inst.or.1,4,13 fit a lavando lautus et i n d e rursus
 illotus et mille talia. Martianus Capella, dum causarum qualitates
 exponens iuridicialem qualitatem aut absolutam aut assumptivam esse
 docet, pro huius exemplo commemorat Milonem, qui occiso Clodio cum
 non posset dicere caedem hominis per se licuisse fieri, insidias
 Clodianas sibi assumpsisset, quibus demonstraret se ius habuisse
 eius occidendi; quo exemplo nisus ita pergit (5,454): I l l i n c
 assumptivae nomen accepit (sc. haec qualitas), quia, cum absolute
 factum tueri non possit, confugit ad causas.

Denique e Peregrinatione Aetheriae duo proferantur exempla, a Vää-
 nänen quoque commemorata:¹²⁷ 7,1 desiderii ergo fuit, ut de Clesma
 ad terram Gesse exiremus, id est ad civitatem, quae appellatur Ara-
 bia, quae terra in Gesse est; nam i n d e ipsum territorium sic
 appellatur, id est terra Arabia, terra Gesse... et 16,1 vidimus ci-
 vitatem sancti prophetae Heliae, id est Thesbe, u n d e ille ha-
 buit nomen Helias Thesbites, in quibus Aetheria fortasse pro adver-
 biis inde et unde potissimum elocutiones praepositionales de ea
 (sc. civitate) et de quo adhibuisset.¹²⁸

Ab huius generis exemplis haud longe distat locus ille Aeneidis Ver-
 gili a grammaticis multimodis examinatus, quam in initio attigimus,
 scilicet 1,6 genus u n d e Latinum, quo, quid sit correlatum ad-
 verbii unde, non pro certo constat. Ne Servius quidem id necessario
 prorsus ad Aeneam referri contendit; immo adnotationis eius verbosae
 ultimam partem, quam in initio citavi,¹²⁹ haec praecedunt:

Si iam fuerunt Latini et iam Latium dicebatur, contrarium est, quod dicit ab
 Aenea Latinos originem ducere. Prima est iucunda absolutio, ut 'unde' non re-
 feras ad personam, sed ad locum, namque 'unde' adverbium est de loco, non de-
 ductio a persona. Tamen Cato in Originibus hoc dicit, cuius auctoritatem Sal-
 lustius sequitur in Bello Catilinae, primo Italiam tenuisse quosdam, qui ap-
 pellabantur Aborigines. Hos postea adventu Aeneae Phrygibus iunctos Latinos
 uno nomine nuncupatos. Ergo descendunt Latini non tantum a Troianis, sed etiam

ab Aboriginibus. Est autem vera expositio haec. Novimus, quod victi victorum nomen accipiunt; potuit ergo victore Aenea perire nomen 'Latinum'. Sed volens sibi favorem Latii conciliare nomen Latinum non solum illis non sustulit, sed etiam Troianis imposuit. Merito ergo illi tribuit, quod in ipso fuerat, ut posset perire. Unde et ipse inducit in duodecimo libro (823 sqq) rogantem Iunonem, ne pereat nomen Latinum; item in execratione Didonis legimus (4,618) "nec, cum se sub leges pacis iniquae..."; iniqua enim pax est, in qua nomen amittit ille, qui vicit.

Servius igitur de origine nominis Latini disserens Aeneae merito tributum esse tradit, quod "iniquam pacem" non veritus nomine Troiano repudiato suis et Aboriginibus nomen Latinum commune reddidisset. Ita elocutioni **genus Latinum** quodam modo aetiologicam praebet explicationem: quia Latium esset sedes novae gentis e Troianis et Aboriginibus constantis, par fuisse eam Latinam appellari. Haec optime cum iis congruunt, quae Iuno in ultimo Aeneidis libro monet (12,820-828), se libenter permissuram, ut nova gens vivat et crescat et floreat, dummodo ne indigenae Latini nomen mutare iubeantur et Teucrivocari (cf.12,823-824).

In plurimis exemplorum hactenus tractatorum adverbia, quae examina- vi, eius generis sunt, ut causali quidem vi usurpata tamen aliquid separativae functionis, e qua profecta sunt, conservasse videantur. Longius a fundamentali significatione separativa discesserunt adverbia in enuntiatis, quorum iam praedicatum localem functionem velut repellens postulat, ut adverbio potius conclusiva tribuatur significatio, id est adverbio, **unde sive e qua re** aliquid concludatur vel colligatur vel intellegatur, aut alia similia exprimantur, e.g. Cic.Or.Rosc.Amer.31,87 **Quam sis audax, ... h i n c omnes intellegere poterunt, quod ex tota societate...solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes;** Liv.7,37,8 **missique ab omni parte exploratum, quam in exiguum orbem contracta castra essent, paucitatem i n d e hostium colligentes, rettulerunt (inde pro ex ea exiguitate orbis castrorum);** Verg.Georg.1,252-253 **H i n c tempestates dubio praediscere caelo / possumus, h i n c messorumque diem tempus (hinc = ex hoc, id est Solis per Zodiacum occursum).**¹³⁰ A causali usu adverbii **unde** (= quare) haud procul abest Horatius scribens (Ars poet.

251-253): **Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus. / Pes citus; u n d e etiam trimetris ad crescere iussit / nomen iambeis, cum senos redderet ictus**, licet similitudinem quandam hi versus praebeant etiam periodorum supra examinatorum, in quibus enuntiatio secundo exprimitur, unde nomen aliquod originem traxerit; solito enim laxius, non localiter, unde cum elocutione **ad crescere iussit** coniungitur. Nihil plus localis functionis idem adverbium habet in exemplo Vergiliano Aen.7,778-780 **u n d e etiam templo Triviae lucisque sacratis / cornipedes arcentur equi, quod litore currum / et iuvenem monstris pavidi effudere marinis**, in quo causaliter ad fabulam de Hippolyto prioribus versibus summatim narratam refertur atque etiam enuntiatio secundo **quod...effudere** syntactice completur (unde... quod idem fere valet atque **propterea...quod**). Propertius ex **unde** interrogativam particulam causalem facit scribens 3, 13,1 **Quaeritis, u n d e avidis nox sit pretiosa puellis (unde = quare)**. E posterioribus litteris, in quibus huius generis functio causalis invalescere et paulatim in prosaicum quoque sermonem irrepere videtur, quaedam proferantur exempla: Phaedr.3,7,4 **U n d e sic, quaeso, nites?** (fere pro **Unde talis nitor tibi in vultum venit**, in quo adverbium magis localem habet naturam); Martial.4,35,5 **U n d e leves animi tanto caluere furore?**, Florus 1,47 (3,12,8) **U n d e enim populus Romanus a tribunis agros et cibaria flagigaret nisi per famem, quam luxus fecerat?**, Iustin.2,14,6 **Castra referta regalis opulentiae capta. U n d e primum Graecos, diviso inter se auro Persico divitiarum luxuria cepit;** Tertull. Praescr. haer.37 **u n d e extranei et inimici apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae?**, Hieron. In Matth.2,13,3 **Turba non unius sententiae est, sed diversarum in singulis voluntatum. U n d e loquitur ad eam in multis parabolis, ut iuxta varias voluntates, diversas reciperent disciplinas,**¹³¹ **Commodian.1,26,3 Perdunt te luxuriae et brevia gaudia mundi, u n d e sub inferno cruciaberis tempore toto,** Gregor. Turon. Hist. Franc.2,23 **elevato puer velo ostii reperit dominum...defunctum; u n d e indubitatum est non minoris criminis hunc reum esse quam Arium; ibidem 2,30 Invocavi enim deos meos, sed, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo; u n d e credo eos nullius esse potestatis praeditos; 5,21 Sed ille recordatus praecepti Dominici non debere reddi inimicis mala pro**

malis, nihil his mali faciens liberos abire permisit. U n d e in posterum a communione suspensus est, pro eo quod publice accusans clam inimicis pepercisset. Plura exempla adverbii unde in seriore Latinitate enuntiata primaria et secundaria coniungentis, quorum prioribus res ipsae, posterioribus effectus earum narrantur, praeter Salonium¹³² proferunt Bonnet¹³³ et Blaise.¹³⁴ Nonnumquam etiam hinc et inde simili ratione usurpantur. Ambiguus quidem est locus Vergilianus Georg.3,308 densior h i n c suboles, h i n c largi copia lactis, quo plurimi editores adverbio hinc eandem vim tribuunt atque elocutioni praepositionali ex his, sc. capris; dicere velle poetam has propter densiorem subolem et copiam lactis non minus utiles fore quam oves, "quamvis Milesia magno / vellera mutantur Tyrios incocta rubores" (3,306—307).¹³⁵ Hanc interpretationem, in qua caprae et oves utilitate velut inter se certant et insuper anaphora quoque nascitur (3,305 hae, 3,308 hinc), minime infitior veram esse posse. Cum tamen poeta modo (3,305) nominatim monuerit capras "non levioere cura" quam oves tuendas esse, hinc etiam ad illam ipsam curam referri potest ac versus supra commemoratus tali fere paraphrasi prosaica explicari: hac cura densior fit suboles, hac cura largi copia lactis efficitur, in qua ablativus hac cura inter causalem et instrumentalem functionem haeret.¹³⁶ Paulo post (3,396—397) hinc pro causali fere ablativo absoluto his salis herbis consumptis adhibitum est: h i n c et amant fluvios magis et magis ubera tendunt / et salis occultum referunt in lacte saporem. Ovidius de duabus virginibus, quibus nomina erant Iphis et Ianthe, haec narrat (Metam.9,718—721): Par aetas, par forma fuit, primasque magistris / accepere artes, elementa aetatis, ab isdem. / H i n c amor ambarum tetigit rude pectus et aequum / vulnus utrique dedit (hinc = his de causis). Idem, postquam lapides a Deucalione et Pyrrha post terga iactos faciem virorum et feminarum traxisse narravit, ita pergit (Metam.1,414—415): I n d e genus durum sumus experiensque laborum / et documenta damus, qua simus origine nati (inde = ea de causa). Apud Manilium denique hoc invenitur exemplum adverbii hinc causali vi adhibiti (Astron.4,783—786): Cnosia Centauro tellus circumdata ponto / paret, et in geminum Minois filius astrum / ipse venit geminus. Celeris h i n c Creta sagittas / asserit intentosque imitatur sideris arcus (hinc

...asserit breviloquentia haberi potest idem valens atque hinc fit, ut...asserat).

In posteriore Latinitate exempla fiunt frequentiora: Tertull.Apolog. 10,8 Ab ipso (sc. Saturno) primum tabulae et imagine signatus nummus; et i n d e aerario praesidet (inde = ob eas res vel ob ea merita); 20,4 h i n c igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis, quae cotidie probantur, praedicebantur (hinc...quia = propterea...quod), Prax.23 i n d e scilicet suffecerat filii ad patrem vox;¹³⁷ Minuc.Felix 6,3 Sic, dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt. H i n c perpetuus venerationis tenor mansit. Causalem vim adverbio inde tribui posse iudicaverim etiam loco Peregrinationis Aetheriae supra commemorato 14,2 "Ecce ista fundamenta...de palatio regis Melchisedech. Nam i n d e adhuc sic si quis subito iuxta sibi vult facere domum,...aliquotiens et de argento et de heramento modica frustella ibi invenit..."¹³⁸

Praecipua mentione dignae sunt elocutiones prolepticae causales inde est, quod... et inde est, ut... itidemque hinc est, quod... et hinc est, ut..., e.g. Seneca, Controv.1,2,9 Conversata es cruentis et humano sanguine delibutis; i n d e est profecto, quod potes hominem occidere; Plin.Epist.7,5,1 Incredibile est, quanto desiderio tui tenear. In causa amor primum, deinde quod non consuevimus abesse. I n d e est, quod magnam noctium partem in imagine tua vigil exigo, i n d e, quod interdium...ad diaetam tuam ipsi me...pedes ducunt; Seneca, Benef.2,26,2 Nemo non benignus est sui iudex; i n d e est, ut omnia meruisse se existimet (inde est, ut... = ea re fit, ut...); Florus 1,17 (1,22,1-2) inerat quaedam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam adhuc indomitum. I n d e est, quod exercitus Postumium imperatorem, infitiantem quas promiserat praedas, facta in castris seditione lapidavit (inde est, quod...lapidavit = ea feritate factum est, ut... lapidaret); Tertull.Apol.50,16 I n d e est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus; Minuc.Felix 28,7 I n d e est, quod audire te dicis, caput asini rem nobis esse divinam; Prud.Cathemer.1,65 I n d e est, quod omnes credimus; Serv.ad Verg.Aen.2,651 praepositiones vel adverbia in -a ex-

euntia...producunt ultimam litteram... **H i n c** est, quod etiam numerorum nomina indeclinabilia producuntur.¹³⁹ Iuvenalis praemisso enuntiato secundo dicit (6,610-614): **Hic magicos adfert cantus, hic Thessala vendit / philtrea, quibus valeat mentem vexare mariti / et solea pulsare natis; quod desipis, i n d e est;/ i n d e animi caligo et magna oblivio rerum,/ quas modo gessisti, id est fere iis (sc. magicis cantibus et Thessalis philtris) fit, ut desipias atque animi caligine et oblivione rerum capiaris.**¹⁴⁰

6.3.6. ADVERBIA AD ARGUMENTUM RELATA

E magna multitudine exemplorum varii generis concludi potest praesertim in seriore Latinitate usum causalem adverbiorum elativorum & ablativorum aliquanto liberiores et laxiores quam antea fuisse. Una e peculiaritatibus nominatim serioris Latinitatis propriis, in qua adverbia **hinc, inde, unde** etc. haud longe a causali vi absunt, est usus eorum delativus¹⁴¹ pro complemento argumenti, id est ad exprimendum, **qua de re aut quibus de rebus** agatur. In poesi classici aevi proxime ad hanc significationem accedit Vergilius. In prologo enim Georgicorum enumeratis breviter rebus, de quibus in quatuor libris eius operis canere meditatur, ita pergit (Georg.1,4): **H i n c canere incipiam.** At **hinc** non necessario idem valet ac **de his (rebus)**; aequaliter pro **inde ab hoc temporis momento** aut simpliciter pro **nunc** dictum esse potest.¹⁴² Certiora exempla non facile nisi in seriore Latinitate reperiuntur. Praeter locos a Löfstedt tractatos Peregr.Aeth.7,8 et Anthim.Epist.praef. etc., quos in secundo capitulo commemoravi,¹⁴³ bina profero exempla adverbiorum **hinc** et **inde** ex Augustino desumpta: Civ.Dei 2,9 (Dombart I, p.62, lin.31-32) **Quid autem h i n c senserint Romani veteres, Cicero testatur in libris, quos de re publica scripsit (hinc = de his rebus, id est de ludis scaenicis et de cohibenda poetica licentia);** 15,14 (Dombart II, p.87, lin.23-25) **Sed h i n c me opportuniore loco, si Deus adiuverit, promisi diligentius locuturum (hinc = de hac re, id est de codicibus Hebraeis emendandis; cf. lin.14-15);** 8,13 (Dombart I, p.339, lin.27) **neque parva res est et i n d e nunc quaestio est (inde = de ea);** 14,23 (Dombart II, p.49, lin.15-

17) Sed quidquid **i n d e** diceretur, tam honestum esset, quam de aliis loquimur corporis partibus (**inde** = de iis, sc. membris obscenis). Plura exempla ab ecclesiastica Latinitate petita profert Compagnass;¹⁴⁴ e quibus in uno **inde** in significatione de ea re etiam verbo **cogitare** adiungitur: Caspari Anecdota p.209: **i n d e** quam maxime cogitate et ne semper de istius mundi miseria. Ex Actis S. Severi Neapolitani duos locos inter se simillimos commemorat, quorum tamen in uno **unde** ad singulare, in altero ad plurale substantivum refertur: Acta S. Severi Neapolitani 4 ad memoratam cryptam pervenerunt, **u n d e** superius mentionem fecimus (**unde** = de qua); ibidem c.6: et ipsarum basilicarum, **u n d e** mentionem fecimus (**unde** = de quibus).

Denique sexto p.Chr.n. saeculo, e.g. apud Gregorium Turonensem, etiam in hac functione in locum adverbii **inde** crebro compositum **exinde** substituitur: Hist.Franc.2,7 **Uxor**is Aetii lacrymas diutius sustinere non patior. Petit enim assidue, ut virum suum de Galliis reducam incolumem, cum aliud **e x i n d e** fuisset apud divinum iudicium praefinitum (**exinde** = de ea re, id est de Aetio ex Galliis reducendo); ibidem 2,24 et sanctus Patiens Lugdunensis episcopus simile huic in ipsa fame populis praestitisse perhibetur beneficium. Exstat **e x i n d e** hodie apud nos beati Sidonii epistola, in qua eum declamatorie conlaudavit (**exinde** = de eo, sc. beneficio)¹⁴⁵

Usus delativus adverbiorum **inde** et **unde** pro complemento argumenti aliquatenus in Romanicas quoque linguas transisse iam in secundo capitulo monui;¹⁴⁶ usitatissimae enim sunt elocutiones Italica **N e** abbiamo parlato ac Francogallicae **Nous e n** avons parlé et **Voilà** le livre **d o n t** nous avons parlé. Revera **dont** Francogallicum in locali significatione plerumque cedit elocutioni **d'ou**.¹⁴⁷ Cf. etiam Theodisca **davon** et **wovon**, quae plerumque delativam vim habent (e.g. **Genug d a v o n!** et **W o v o n** sprichst du?), cum localis functio elocutionibus **von da** et **von wo** aut **daher** et **woher** exprimatur (**daher** quidem non solum locali, sed etiam causali vi usurpari solet).

6.3.7. ADVERBIA INSTRUMENTALITER POSITA

Una e peculiaritatibus syntacticis adverbiorum delativorum & elativorum ea est, quod aut e locali aut e causali vi etiam in instrumentalem aut modalem usum transire possunt. In archaicis litteris transitus a delativo in instrumentalem usum plerumque in mercatorio quodam sermone fit deliberantium, **qua pecunia** sive **qua de pecunia** aliquid solvatur, id est **unde** pecunia, qua opus est, sumatur. Hoc in conexu commemorentur formulae in inscriptionibus sepulcralibus usitatissimae **de pecunia publica** et **de pecunia sua** (sc. fecit) aliaque harum similes,¹⁴⁸ in quibus **de** cum ablativo quam proxime ad instrumentalem functionem accedit.¹⁴⁹

Originalis vis separativa perspicui potest in elocutionibus Plautinis Asin.89-90 **"Viginti iam usust filio argenti minis: / face id ut paratum iam sit!"** **"U n d e gentium?"**, 234 **Habeo u n d e istuc tibi, quod poscis, dem, Trin.158 habeo dotem u n d e dem, Truc. 146 Ubi non est, scripturam u n d e dent, incusant publicanos.** Item Cicero scribit in Or.Harusp.resp.13,29 **alterum putabo regem, si habuerit, u n d e tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti.** Interdum cum illa separativa functione instrumentalis vis quodam modo furtim commiscetur, e.g. Plaut.Bacch.230-233 **Mille et ducentos Philippum attulimus aureos / Epheso, quos hospes debuit nostro seni. / I n d e ego hodie aliquam machinabor machinam, / u n d e aurum efficiam amanti erili filio.** Hic de "negotio aurario" (cf.ibid.229) agitur, quo Chrysalus servus "amanti erili filio" opitulari studet. In sermone Plautino elocutiones **inde** (= **ex iis mille ducentis Philippum aureis**) **machinabor machinam** et **machinam, unde** (= **e qua**) **aurum efficiam...** non ita ad litteram accipi debent atque e.g. elocutio Catonis supra prolata **nec lapidem habebis, unde calcem coquas** (Agr.38,4); translata enim vi adhibitae sunt atque e.g. huius generis paraphrasi prosaica explicari possunt: **Iis (nummis aureis) utens rationem inveniam, qua amantem erilem filium locupletem.**¹⁵⁰ Similis fere explicatio etiam in aliis locis Plautinis valet. In Pers.493-494 **Nam est res quaedam, quam occultabam tibi dicere; nunc eam narrabo, / u n d e tu pergrande**

lucrum facias adverbium **unde** pediseque acceptum idem significat atque **e qua** (sc. re); sed ei quoque potius instrumentalis functio tribuenda est, quae e.g. circumlocutione prosaica ...**qua (sapienter) utens tu pergrande lucrum facias** ostendi potest. Ad concretius instrumentum - metaphorice quidem - refertur **hinc** in Pseud.614 **haec mihi incus est: procudam ego hodie h i n c multos dolos (hinc = hac, sc. incude).**

Item in hoc conexu notentur versus Lucretii disserentis de homine, qui "neget ipse / credere se quemquam sibi sensum in morte futurum" (3,874-875). Talem hominem poeta haud sincere loqui docens infido debitori parem iudicat, qui contra, ac pollicitus sit, pecuniam sibi certis condicionibus creditam reddere nequeat (3,876): **Non, ut opinor, enim dat, quod promittit, et u n d e.** Adverbium **unde** translate ad thesaurum quendam refertur, quem "debitor" se habere falso credit et **de quo** se pecuniam sumere posse ratus est.

Longius a separativa vi discessit **unde** in Prologo Menaechmorum 51-53 **Si quis quid vestrum Epidamnum curari sibi / velit, audacter imperato et dicito, / sed ita, ut det, u n d e curari id possit sibi**, ubi fere pro ablativo pretii **quo** positum ad pecuniam refertur, quae pro beneficio solvenda est. Similiter explicari potest Poen. 185 **Neque, id u n d e efficiat, habet**, itemque Terentianae elocutiones Adelph.106 **nam si esset, u n d e id fieret, / faceremus** atque 122 **est, u n d e haec fiant.**¹⁵¹ Cimon Atheniensis quanta fuerit liberalitate, Cornelius Nepos inter alia hoc illustrat exemplo (4,3): **complures pauperes mortuos, qui, u n d e efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit**; in quo adverbium **unde** idem fere valet atque **qua (de) pecunia**. Instrumentalis functio eius clarissime e parallela elocutione patet, qua Nepos obitum Aristidis describens priscum instrumentalem casum pronominis relativi **qui** adhibet (3,2): **in tanta paupertate decessit, ut, q u i efferretur, vix reliquerit.**

In omnibus his exemplis agitur de elocutionibus, quae, ut Handii definitione utar, "significant aliquid fieri adhibita alia re aliunde petenda".¹⁵² Item res se habet in Plaut. Amph.429 **cadus erat vini; i n d e implevi hirneam**, ubi quaeri potest, ad utrum sub-

stantivorum praecedentium **inde** referatur. In sermonibus personarum Plautinarum nihil impedit, quin id pro **e cado** positum esse existimemus et adverbium localiter (elative) accipiamus (=...**vino inde effuso implevi hirneam**), sicut in Pseud.587-588 **post ad oppidum hoc vetus continuo meum exercitum protinus obducam; / i n d e m e et simul participes omnis meos praeda onerabo atque opplebo**, ubi idem **inde** manifesto localiter ad **oppidum hoc vetus** refertur. Multo tamen frequentius, **qua materia**, quam **e quo fonte** aliquid impleatur aut oppleatur, elocutione adverbiali indicari solet, ac tum plerumque instrumentalis ablativus adhibetur, e.g. Verg.Aen.1,729 **implevit-que m e r o pateram**. Conferantur cum elocutione Plautina **inde implevi hirneam** verba a Porphyrione multis saeculis post scripta **sumere u n d e ventrem impleas**, quibus versus Horati (Sat,1,1,54-55) **...tibi si sit opus liquidi non amplius urna / vel cyatho** illustrat. Porphyrioni quoque adverbium **unde** adhibenti fortasse ante oculos obversata sunt **urna et cyathus, e quibus ventris implendi causa aliquid hauritur** (cf. etiam ibid.56 **ex hoc fonticulo tantundem sumere**), sicut Plauto **cadus**. Neque tamen protinus reiciendam iudicaverim alteram interpretationem, scilicet et Plautum **inde** et Porphyrionem **unde** pro instrumentalibus ablativis **eo** (sc. **vino**) et **quo** posuisse; nam nonnumquam in talem functionem etiam **de** aut **ex** cum ablativo penetrare potest, e.g. Martial.14,12,1-2 **Hos nisi de flavo loculos implere m o n e t a / non decet**, Seneca, Epist.87,39 **ex multis inanibus nihil impleri potest**; cf. etiam Vitr.5,12,6 **structura ex caementis, calce et harena compleatur**, Cic.Or.in Vatin.13,32 **ex epulo... famem illam veterem tuam non expleras?**, Plin.Paneg.28, 5 **ex his castra, ex his tribus replebuntur**. Nec praetereundum est, quod verba **implere et opplere et complere et explere et replere** in exemplis supra prolatis usurpata videlicet ex analogia adiectivi **plenus** nonnumquam etiam genetivum regunt a partitiva functione haud procul distantem;¹⁵³ quem saltem in sermone populari serae antiquitatis praepositionali elocutione compensatum esse ostendunt linguae Romanicae; e.g. **remplir de douleur** Francogallicum et **riempire di dolore** Italicum manifesto originem trahunt a vulgari elocutione Latina, in qua non merus ablativus (**dolore**) adhibitus est, sed praepositio **de** cum ablativo (**de dolore**).¹⁵⁴ Item ad adiec-

tivum **satur** plerumque ablativus, sed interdum pro eo aut genetivus aut adverbium elativum accedit: Plaut.Poen.8 **qui non edistis, saturi fite fabulis**, Ter.Adelph.765 **sum omnium rerum satur**, Petron.46,2 **Inveniemus ergo, unde saturi fiamus**, Martial.3,59,7 **Inde satur mensas et opertos exiit orbes** (inde **satur** in hoc conexu idem fere valet ac **pueris mollibus, quos oculis comederat, saturatus**; cf. ibid. v.3).

Etiam verbum **uti** pro ablativo instrumentali adverbium elativum regere potest, e.g. Ter.Adelph.980-981 **Tu tuom officium facies atque huic aliquid paulum prae manu / dederis, unde utatur** (unde = quo), itidemque verba **vivere, pascere, cenare, emere** etc., quae aliquem conexum habent cum ventre implendo aut latius cum rebus necessariis comparandis, e.g. Ovid. Remed.am.749 **non habet unde suum paupertas pascat amorem**, Epist.Pont.1,1,42 **unde tamen vivat, vaticinator habet**, Petron.137,6 **ecce duos aureos pono, unde possitis et deos et anseres emere**, 140,15 **unde plani autem, unde levatores viverent, nisi aut locellos aut sonantes aere sacellos pro hamis in turbam mitterent?**, Florus 1,34 (2,18,14) **Sic conserta manu plurimi occisi, et cum urgueret fames, aliquantisper inde vixerunt** (inde = eorum mortuorum corporibus),¹⁵⁵ Frontin.Strateg.3,15,5 **opinatus hostis magnam vim tritici superesse eis, qui inde etiam pecora pascerent, recessit ab obsidione**; Martial.2,57,7-8 **oppigneravit modo modo ad Cladi mensam / vix octo nummis anulum, unde cenaret**;¹⁵⁶ Iuvenal.7,75-77 **Quintillae quod donet, habet, nec defuit illi, / unde emeret multa pascendum carne leonem / iam domitum** (unde = qua pecunia).

Ad animi nutrimentum pertinent adverbia **inde** et **unde** his locis Ovidianis: Trist.2,255-258 **Nil igitur matrona legat, quia carmine ab omni / ad delinquendum doctior esse potest. / Quodcumque attigerit, si qua est studiosa sinistri, / ad vitium mores instruat inde suos**, Fast.4,689-690 **Is mihi multa quidem, sed et hoc narrare solebat, / unde meum praesens instrueretur opus**. Utroque loco adverbium instrumentalem habet functionem, sub qua tamen aliquid separativae significationis latet; nempe **mores instruat inde suos** paene idem est atque **e quolibet carmine, quod attigerit, praecepta**

sumendo mores suos instruat, pariterque unde meum praesens instruetur opus idem fere valet atque unde materiam sumerem, qua opus meum praesens instruerem).

Apud Vergilium Aeneas Polyphemum, cui Ulixes sociique eius unicum oculum "telo acuto terebraverant" (cf. Aen.3,635), describens inter alia hoc dicit (Aen.3,662-663): **Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit, / luminis effossi fluidum lavit i n d e cruorem.** Hic inde ad altos fluctus refertur, e quibus Cyclops cruoris eluendi causa aquam sumit sive quibus cruorem eluit; instrumentalis igitur functio adverbio optime tribuitur, quia syntactice cum **lavit** cohaeret;¹⁵⁷ cf. Plin.Nat.hist.28,10,44 **Oculorum vitia fieri negant nec lippire eos, qui, cum pedes lavent, aqua i n d e ter oculos tangant,** ubi inde attributive positum est pro ea (sc. aqua, qua pedes lavent). Hoc quoque loco de peculiari quadam communione agitur instrumentalis et separativae (sive elativae sive partitivae) functionis; **ex aqua** enim, qua pedes lavantur, **partem** scriptor docere vult etiam ad oculos ter tangendos adhiberi solere. Locus huic admodum similis est Marcell.Medicam.28,20 **Si ventriculus perversatus fuerit alicui, aquam bibat, u n d e pedes laverit suos.**

Quo longius autem aetate proceditur, eo liberius in locum originalis separativae functionis nova instrumentalis vis succedit. Apuleius adverbium **indidem** sine ulla fere separativa significatione ponit scribens (Metam.7,28,1) **Et cum dicto subsertis manibus exsolvit suam sibi fasciam pedesque meos singillatim inligans i n d i d e m constringit artissime (indidem = eadem, sc. fascia);** item 8,28,2 **Arrepto denique flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est,...i n d i d e m sese multinodis commulcat ictibus (indidem pro eodem flagro ad concretum instrumentum refertur, quo plagae infliguntur vel de quo velut exeunt; ablativus multinodis ictibus inter instrumentalem et modalem functionem haeret);** 10,21,1 **Tunc ipsa...de stagneo vasculo multo sese perungit oleo balsamino meque i n d i d e m largissime perfricat (indidem potius pro eodem oleo quam pro de eodem vasculo positum est).**

Initio tertii p.Chr.n. saeculi in Libro medicinali Q.Sereni Sammonici adverbium **illinc** bis instrumentali plane vi positum occurrit,

scilicet 637 **i l l i n c vincire mamillas** (illinc = illis, id est papyris Phariis) et 892 **artus i l l i n c mulces**. Duobus fere saeculis post alius scriptor de medicamentis disserens, Marcellus, a quo unum exemplum iam supra protuli, multis locis operis sui adverbium **inde** ad varii generis medicamina et mixturas refert, quibus aegrotus aut membra eius oblini, perfricari, obduci, ungui, lui vel aliter tangi debeant: 1,4 **Haec teri ex acri aceto et rosa duplicis ponderis vicissim adiecta oportet, usque dum mellis habebat spissitudinem, atque i n d e frontem et utrimque tempora oblinere**; 1,53 **Folia mali Punici diligenter contrita et deinde succus eorum vel ipsa oleum permixta potenter etiam inveteratos dolores persanant, si i n d e assidue frons et tempora perfricentur**; 1,70 **Vulturis cerebro paululum cedri si inmiscueris et nares i n d e intrinsecus caputque perfricueris, omnes dolores statim minues**; 1,72 **Si dolor ex cerebro gignetur, hederæ folia septem et nucleos purgatos ex persicis septem ex oleo et aceto decoques pariterque conteres atque i n d e tempora et frontem dolentis obduces**; 2,10 **Herbae meliloti interiora et ovi cocti vitellum cum vino modico tere diligenter et i n d e emicranium vel tempora, quae dolebunt, inline**; 2,17 **Grana hederæ et serpullum pari pondere teres ex aceto et i n d e totum verticem perfricabis**; 4,3 **Furfures quoque idem praestant, si caput i n d e assidue in balneo luatur**; 6,23 **Capilli et barbae nascuntur etiam glabro, si lichenem asini, id est collectionem duram, quae est circa crura eius, conburas et teras et pulverem illum ex oleo vetere inponas. Hoc ita validum est, ut, si mulieri i n d e maxillam unxeris, barbas ei nasci scias**; 22,39 **De lupi praeda, id est de reliquiis herbicis aut caprae aut cuiuslibet animantis, quam comederit, carnem vel pellem vel os collige et serva et, quando aliquis iecur doluerit, i n d e eum tange. Paulo post et praepositionem de cum ablativo et adverbium hinc instrumentaliter adhibet (22,41): Lacertam viridem prende et d e a c u t a p a r t e cannae iecur ei tolle et in phoenicio vel panno naturaliter nigro alliga atque ad dextram partem lateris aut brachii laboranti epatico suspende, sed vivam lacertam dimitte et dicito ei: Ecce dimitto te vivam; vide, ut ego quemcumque h i n c tetigero, epar non doleat'. Apud eundem Marcellum relativum quoque adverbium unde saepe instrumentali vi usurpatur. Iam in Epistula alia, quae dicitur,**

Hippocratis ex Graeco translata ad Maecenatem (Niedermann-Liechtenhan-Kollesch-Hickel, p.26, lin.11-16) passus occurrit, in quo **unde** et ablativus pronominis relativi (**quo** et **qua**) simili positione syntactica inter instrumentalem et causalem vim haerent: **Omne itaque corpus hominum, pecudum alitumque ex quattuor generibus constat, sed praecipue hominum: calido, frigido, sicco et umido. Frigido enim continentur viscera, u n d e spiramus; calore continetur anima, q u a vitam sentimus; sicca sunt ossa, quae vires faciunt ad sustinendum laborem; umidus est sanguis, q u o alitur vita.** Cetera exempla - praeter iam commemoratum 28,20 **aquam bibat, unde pedes laverit** - sunt haec: 8,199 **Hanc (sc. viperam siccam) ergo si volueris adicere, exossabis prius et linteolo involves atque ita super eam vinum, u n d e collyrium hoc temperandum est, defundes;** 14,69 **lixivi, u n d e operantur coactiliarii, aliquantum;** 27,50 **Vermem, u n d e coccum tinguitur, teres.** Nusquam autem in opere Marcelli adverbium **illinc** occurrit.

Postremis saeculis aevi antiqui etiam minus inter se distinguuntur diversae adverbiorum functiones syntacticae. Instrumentalis usus adverbii **unde** quanta libertate fruatur, exempla a Salonio prolata¹⁵⁸ ostendunt. Quod ad Merovingicum aevum attinet, ex hymnis Venantii Fortunati duos commemoro locos pro exemplis adverbiorum **inde** et **unde** peculiari ratione instrumentaliter adhibitorum. Horum primum e carmine votivo est, quo basilica sancti Vincentii martyris celebratur. De huius interfectore poeta scribit (Carm.1,8,9-12): **Credidit u n d e necem, sancto dedit hostis honorem / percussor-que magis morte perenne iacet. / Vicerat ille miser, hunc si iugulare nequisset. / Nam abstulit u n d e caput, contulit i n d e polum.** In prosaicum sermonem translatus versus 9^{us} hac fere circumlocutione reüdi potest: **Hostis, qua re gesta se Vincentio necem dedisse credidit, ea huic sancto honorem dedit;** 12^{us} autem versus scriptus est fere pro **Nam, qua re gesta Vincentio caput abstulit, ea huic aeternam vitam caelestem donavit;**¹⁵⁹ in iis igitur **unde** idem valet atque **qua re gesta** et **inde** idem atque **ea re gesta**. In hymno celeberrimo 2,2, qui versu **Pange, lingua, gloriosi proelium certaminis** incipit, poeta "triumphum nobilem" laudat, quo "redemptor orbis immolatus" peccatum originale sustulerit, atque ita per-

git (4-9): **De parentis protoplasti fraude factor condolens, / quando pomi noxialis morte morsu corrui, / ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. / Hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat, / multiformis perditoris arte ut artem falleret / et medellam ferret i n d e, hostis u n d e laeserat.** Ultimum versuum citatorum hac potissimum ratione explicandam esse censeo: ambo adverbium instrumentaliter adhibita ad **lignum** (v.6) referri (**inde = eo ligno** et **unde = quo ligno**), id est Creatorem **eo ligno**, quo Diabolus (= "multiformis perditor" sive "hostis") genus humanum laesisset, damna solvere sive remedium afferre voluisse. Ita **medellam ferret inde** et **hostis unde laeserat** simili elegantia inter se opponuntur atque in versu sexto **lignum** et **damna ligni**.¹⁶⁰

Gregorius Turonensis non modo **unde**, sed etiam compositum adverbium **exinde** instrumentaliter adhibet: Mart.2,51 **aqua illa, u n d e sepulchrum ablutum est** (**unde = qua**); Patr.8,11 **non e x i n d e adplene tegitur** (**exinde = eo cooperatorio**); cf. ibid.10,3 **baculum sibi e x i n d e fecit**, ubi pro **exinde** aut **ex eo ramo** aut **eo ramo** substitui potest.¹⁶¹

Verisimile est etiam adverbium **istinc** in sermone instrumentaliter usurpatum esse, quamquam huius usus non inveni nisi unum exemplum: Cic. Epist. Quint. frat. 3,9,2 **tuque i s t i n c, quod facis, adiuvabis.**

6.4. ADVERBIA ILLATIVA & ALLATIVA

Ut in inessivis & adessivis, ita in illativis & allativis quoque adverbium par est a Plautino diverbio proficisci, in quo adverbium in limite quodam propriae et translatae localitatis versatur, scilicet Pseud.335 **"I in malam crucem!"** **"I s t u c ibit Iuppiter lenonius."** Etiam hic, sicut in Poen.295 **"I b i sum equidem!"**, adverbium tantummodo per iocum obtingit localis significatio, quia **malam crucem** non proprie est locus, sed elocutio in vetere abominandi formula usurpata.¹⁶² Utique **istuc** verbo ire motum indicante regi-

tur. Itidem specie tantum localis vis adverbii **eodem** et **unde** tribui potest alio loco Plautino, scilicet Asin.139 **Ego pol te redigam e o d e m, u n d e orta es: ad egestatis terminos!**

Etiam ad veniendi et conveniendi verba accedens quo a pura locali vi paululum differre potest, e.g. Caes.Civ.3,19,3-4 **Responsum est ab altera parte A.Varronem profiteri se altero die ad colloquium venturum...**, certumque ei rei tempus constituitur. **Q u o cum esset postero die ventum, magna utrimque multitudo convenit;**¹⁶³ Gall. 5,56,1-2 **...armatorum concilium indicit (sc. Indutiomarus). Hoc more Gallorum est initium belli. Q u o lege communi omnes puberes armati convenire coguntur.** In ambobus exemplis quo brevitatis causa pro ad quod (sc. colloquium et concilium) positum est; nam pura locali vi adhibitum non ipsum colloquium aut concilium, sed locum colloqui aut concilii designaret. Versibus Lucani (2,562-563) **Q u o potuit civem populus perducere liber, / ascendi supraque nihil nisi regna reliqui** viva redditur imago viri pro alto potestatis fastigio velut montem ascendentis, cuius summum cacumen est regnum.

Ad abstractiores quoque res adverbia illativa & allativa referri possunt; e.g. apud Terentium **istuc** nonnumquam idem valet atque **ad istam rem**: Heaut.273-274 **Mane, hoc quod coepi primum enarrem, Clitipho; / Post i s t u c veniam**, et Adelph.820-821 **"Mitto rem: consuetudinem amborum..." "Mane: / scio, i s t u c ibam."** Cicero de diversis causarum iudicialium generibus disserens inter alia ita dicit (Inv.2,25,74): **Sin aliud quoque aliud genus incidet, eius generis praecepta licebit h u c pari ratione transferre** (huc = in hoc genus). Saepe correlatum adverbii etiam totum enuntiatum secundarium esse potest: e.g. Hor.Sat.1,3,38-39 **I l l u c praevertamur, amatorem quod amicae / turpia decipiunt caecum vitia** (id est ad illud,... quod...). Varroniano autem loco Rust.1,12,2 **I s t u c vel ego possum respondere** dubito an **istuc** non pro adverbio (= ad istud), ut docet Thesaurus Linguae Latinae,¹⁶⁴ accipi oporteat, sed potius pro accusativo pronominis **istic, istaec, istuc**. Nullum enim aliud exemplum inveni, in quo elocutio praeositionalis (**ad aliquid**) verbo **respondere** adhaerens adverbio allativo locali (**aliquo**) compensaretur; pro obiectis autem neutri generis formae **hoc** et **illud** et **aliud** etc. verbo **respondere** interdum reguntur.¹⁶⁵

Illativa & allativa adverbia translate adhibita non multo minorem quam elativa & ablativa habent diversarum significationum varietatem. Elocutionum, in quibus occurrunt, sex genera distinguo, non quidem nisi subtiliter inter se differentia: 1) **quo (usque)** quis vel quid **procedat** aut quid **perducatur** (id est **usque in quem statum**); 2) **quo** quis **decurrat** aut **confugiat** aut **se vertat**; 3) **quo** quis vel quid **inclinat, incumbat, vergat** (id est **ad quam rem**); 4) **quo** quid **spectet, pertineat, valeat, referatur** etc. (id est **quorsum sive ad quam rem**); 5) **quo** quid **accedat** aut **addatur** (id est **ad quam rem**); 6) varii generis elocutiones, in quibus adverbium allativum fere pro dativo commodi exprimit, **quo** quid fiat aut opus sit (id est **cui rei bonae conficiendae sive ad quid bonum assequendum**).

6.4.1. QUO (USQUE) QUID PROCEDAT AUT PERDUCATUR

Manifesto translata est localitas adverbiorum illativorum & allativorum in exemplis infra prolatis, in quibus ea, quamquam verbis motum indicantibus reguntur, tamen ad res abstractas referuntur: Hor. Epist.2,1,226-228 **speramus e o rem venturam, ut, simul atque / carmina rescieris nos fingere, commodus ultro / arcessas**; Cic.Or. Rosc.Amer.5,12 **Petimus...ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostendetis, e o prorumpere hominum cupiditatem et scelus et audaciam, ut...inter ipsa subsellia caedes futurae sint**; Sallust.Iug.14,9,2 **H u c i n e, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut, quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti, is potissimum stirpis tuae extinator sit?**; ibid.21,1 **Adherbal, ubi intellegit e o processum, uti regnum aut relinquendum esset aut armis retinendum, necessario copias parat et Iugurthae obvius procedit**; Hist.1,55,8 **ille e o processit, ut...omnia retinendae dominationis honesta aestimet**; Liv. 1,5,6 **sciscitandoque e o d e m pervenit, ut haud procul esset, quin Remum agnosceret**; 2,42,11 **terrores tamen e o evasere, ut Oppia virgo Vestalis damnata incesti poenas dederit**; 7,30,9 **e o ventum est, patres conscripti, ut aut amicorum aut inimicorum Campani simus**; 9,26,2-3 **Lucerini ac Samnites ad internecionem caesi, e o q u e ira processit, ut Romae quoque, cum de colonis mittendis Luceriam consule-**

retur senatus, multi delendam urbem censerent; Plin.Nat.Hist.10,27, 54 e o q u e deliciae processere, ut sine hoc instrumento (id est pulvino plumarum pleno) durare iam ne virorum quidem cervices possint; ibid.21,8,11 Transiere deinde ad rosaria. E o q u e luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio sutilibus, mox petitis ab India aut ultra Indos; Tac.Hist.1,24,1 Is mobilissimum quemque ingenio aut pecuniae indigum et in novas cupiditates praecipitem adliciendo e o paulatim progressus est, ut per speciem convivi...viritim centenos nummos divideret; Ann.1,80,3 Qua haesitatione postremo e o proventus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus; Hist.3,13,2 H u c cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine proelio, sine vulnere vinctas manus et capta traderent arma?; Quint.Inst.or.9,2,64 Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen h u c erumpit eius affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum.

Ab his exemplis alia eo tantum differunt, quod transitivis verbis adverbium in iis reguntur: Ter.Eun.690 E o rediges me, ut, quid egerim, egomet nesciam?; Cic.Epist.Att.2,18,2 universa res e o est deducta, spes ut nulla sit aliquando non modo privatos, verum etiam magistratus liberos fore; Or.Rosc.Amer.34,96 E o rem iam adducam, ut nihil divinatione opus sit; Nepos, Epam.7,1 Cum eum propter invidiam cives sui praeficere exercitui nolissent duxque esset delectus belli imperitus, cuius errore e o esset deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent,...desiderari coepta est Epaminondae diligentia; 8,4-5 universam Graeciam in libertatem vindivavit e o q u e res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent; Cic.Or.Catil.2,2,4 rem h u c deduxi, ut tum palam pugnare possetis, cum hostem aperte videretis; Caes.Civ.1,70,2 Res tamen ab Afranianis h u c erat necessario deducta, ut...ipsi periculum vitarent, impedimenta...servare non possent; Catull.75,1-4 H u c est mens deducta tua, mea Lesbia, culpa,/.../ut iam nec bene velle queat tibi, si optuma fias, / nec desistere amare, omnia si facias; Vell.2,1,5 Mancinum verecundia...perduxit h u c, ut per fetialis...dederetur hostibus; Tac.Ann.12,11,4 Rem Romanam h u c satietate gloriae provectam, ut externis quoque gentibus quietem velit.

Exempla supra enumerata, quorum plura similia facile invenias, id habent commune, quod in iis omnibus adverbia illativa & allativa consecutivis enuntiatis secundariis complentur.¹⁶⁶ Hac in re ab iis haud multum differt Ter.Eun.158-159 **Nempe omnia haec nunc verba h u c redeunt denique: / ego excludor, ille recipitur;** quam periodum syntactice quo similiorem iis reddas, non opus est nisi posterius enuntiatum primarium in formam **ut ego excludar, ille recipiatur** mutare. Pariter fere res se habet in Andr.567-568 **Nempe incommoditas denique h u c omnis redit, / si eveniat, quod di prohibeant, discessio,** id est fere ...**haec tantum incommoditas accidit, ut eveniat....discessio.**¹⁶⁷ Alia vero exempla, ceteroquin supra dictis simillima, eam habent peculiaritatem, quod adverbia in iis etiam genetivis partitivis abstractorum substantivorum complentur, eaque, quorum magnum numerum iam supra tractavimus,¹⁶⁸ inde a Salustio reperiuntur. Admodum usitatus comes eadem adverbia praecedens (interdum etiam subsequens) est **usque**, e.g. Cic.Or.Rosc.Amer. 24,66 **magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis; ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum u s q u e e o permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur;** Epist.Att.2,14,1 **Ego autem u s q u e e o sum ener-vatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim** ἔτιυραυρεϊτῶδα **quam cum optima spe dimicare;** Tac.Ann.2,55,5 **e o u s q u e corruptionis proventus est, ut sermone vulgi parens legionis haberetur.** Nonnumquam **usque** longius praecedit, e.g. Cic.Epist.Fam.10,7,2 **sed u s q u e mihi temperavi, dum perducerem e o rem, ut dignum aliquid et consulatu meo et vestra expectatione efficerem.** In elocutione **huc usque** componentium ordo semper hic est, id est **usque** necessario post **huc** poni debet: Quint.Inst.or.5,13,22 **Sed haec simulatio interim h u c u s q u e procedit, ut, quae dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus.** Haud raro elocutio **usque** eo temporalem vim habet, e.g. Cic.Or.Rosc.Amer.22,60 **U s - q u e e o animadverti, iudices, eum iocari atque alias res agere, antequam Chrysogonum nominavi;** Nepos, Epam.9,3 **At Epaminondas, cum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, u s q u e e o retinuit, donec nuntiatum est suos vicisse.** Temporalis vi adhibetur etiam **usque** adhuc: Plaut.Aul.277

Quod celatum atque occultatumst usque adhuc, nunc non potest, Ter.Adelph.631 Cessatum usque adhuc est; iam porro, Aeschine, expergiscere!; Cic. De re publ.2,20,35 qui mos usque adhuc est retentus; itemque elocutio interrogativa quo usque, celeberrima verbis Ciceronis Catilinam alloquentis (Or. Catil.1,1,1) Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?,¹⁶⁹ primo membro tricoli, figurae rhetoricae, cuius reliqua duo membra subsequuntur: Quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?.

Exempla modo examinata docent elocutiones illativas & allativas (usque) eo, usque adhuc, huc (usque) et quo (usque)¹⁷⁰ non tantum motum indicantibus, sed multis aliis quoque verbis regi. Ad hoc demonstrandum denique nonnullos locos commemoro - et primum quidem Ciceronianos, in quibus additamentum usque perspicuitatis causa videtur necessarium esse: Cic.Or.Quinct.30,93-94 Ista superiora esse ac plurima posse his moribus sentit. Quid ergo est? Non usque eo tamen, ut in capite fortunisque hominum honestissimorum dominentur ei, qui relictis virorum bonorum disciplina et quaestum et sumptum Galloni sequi maluerunt; Or.Sest.51,110 usque eo non fuit popularis (sc. Gellius), ut bona solus comesset; De orat. 1,52,224 qui (sc. Plato)... novam quandam finxit in libris civitatem; usque eo illa, quae dicenda de iustitia putabat, a vitae consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant; Tusc.3,12,27 Dionysius quidem tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat; usque eo imperio carere non poterat; Lucr.6,970-971 Barbigeras oleaster eo iuvat usque capellas, / effluat ambrosia quasi vero et nectare tinctus; Liv.praef.4 Res est praeterea et immensi operis, ut quae...ab exiguis profecta initiis eo creverit, ut iam magnitudine laboret sua; 2,45,1 memoria pessimi proximo bello exempli terrebat, ne rem committerent eo, ubi duae simul acies timendae essent; Tac.Ann.2,70,1 non usque eo defectum Germanicum; ibid.4,18,3 beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse; Gell.1,3,19 id quaero..., quid et quantum et in quali causa et quoniam usque id fieri debeat.

6.4.2. QUO QUIS DECURRAT AUT CONFUGIAT

Haud magni interest, utrum verbis procedendi et ducendi an decurrendi aut descendendi aut confugiendi translate positis adverbia illativa & allativa regantur; in utrisque exemplis prope similem habent functionem.

Instante bello civili cum Romae plerique de Caesaris consiliis solliciti essent, Cicero ad Atticum inter alia hoc scripsit (Epist. Att.7,9,3): **Dices profecto persuaderi illi, ut tradat exercitum et ita consul fiat. Est omnino id eius modi, ut, si ille e o descendat, contra dici nihil possit.** Manifestum est verbum descendere hic translata vi adhibitum esse (si eo descendat pro si se in id perducipatiatur).¹⁷¹ Caesar verbo descendere translata vi posito item adverbium quo adiungit: Civ.1,5,3 **Decurritur ad illud extremum atque ultimum senatus consultum, quo nisi paene in ipso urbis incendio...numquam ante descensum est; 1,81,5 Conatur tamen eos vallo fossaque circummunire, ut quam maxime repentinas eorum eruptiones demoretur; quo necessario descensuros existimabat (quo = ad quas, sc. eruptiones).** Similiter apud Livium et Tacitum verbis descendere et decurrere adverbium eo regitur his locis: Liv.5,23,10 **Tandem e o, quod lenissimum videbatur, decursum est, ut, qui se domumque religione solvere vellet, cum sibimet ipse praedam aestimasset suam, decimae pretium partis in publicum deferret; 22,31,9-10 Caelium et ceteros fugit...e o decursum esse, ut a populo crearetur, qui pro dictatore esset; 26,18,4 postremum e o decursum est, ut proconsuli creando in Hispaniam comitia haberentur; 45,15,5 postremo e o descensum est, ut ex quattuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutum servissent, conicerent; Tac. Ann.3,59,1 Adversus quae cum augur Lentulusque varie dissererent, e o decursum est, ut pontificis maximi sententiam opperirentur; 14,7,3 e o descensum credebant, <ut,> nisi praeveniretur, pereundum Neroni esset.**¹⁷²

Etiam confugere aliquo aequaliter atque confugere ad rem aliquam dicitur, qui sui tuendi causa aliquod consilium in se credens id sibi auxilio vel saluti futurum:¹⁷³ Cic.Or.Rosc.Amer.19,79 **Restare tibi videbatur servorum nomen, quo quasi in portum reiectus a**

ceteris suspicionibus confugere posses (comparatio quasi in portum reiectus efficit, ut adverbium quo hic paene localiter adhibitum esse videatur);¹⁷⁴ **ibid.19,80 Quid ergo est, q u o tamen accusator inopia argumentorum confugerit; Or.Flacc.2,4 nisi per vos, iudices,...salutem nostram...tenuerimus, nihil est praeterea, q u o confugere possimus** (quo = ad quod); **Epist.Att.12,42,2 (Kasten,Cic. Epist.Att. p.800) De Drusi hortis: quamvis ab iis abhorreas, ut scribis, tamen e o confugiam, nisi quid inveneris** (eo confugiam = iis contentus ero, scilicet inopia meliorum hortorum); **Augustin. Civ.Dei 4,7 (Dombart I, p. 180, lin.7-8) Praeclara religio, q u o confugiat liberandus infirmus** (quo = ad quam). Apud Ciceronem nonnumquam elocutioni quo confugio rhetorice iuxtaponitur altera elocutio idem fere valens, in qua itidem adverbio locali utitur, e.g. **2.Or.Verr.2,64,155 Magna res est, utrum tibi Siculos publice privatimque amicos an inimicos existimari velis. Si inimicos, quid te futurum est? Q u o confugies? U b i nitere?** (quo confugies fere pro ad quid confugies vel qua ratione te expedies atque ubi nitere fere pro quibus subsidiis niteris); cf. **Epist.Fam.4,6,2 habebam, q u o confugerem, u b i conquiescerem, cuius in sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem.** Correlatum adverbii demonstrativi non semper substantivum est aut pronomen, verum etiam totum enuntiatum esse potest ei aut directe aut per coniunctionem ut annexum aut in formam accusativi cum infinitivo redactum, e.g. **Ter. Heaut.792-493 Id nunc reddendumst illi; neque tu scilicet / i l l u c confugies: "Quid mea? Num mihi datumst?..."** (illuc = ad illas excusationes, quae post bipunctum dictae sunt); **Seneca, Contr.2,5, 10 <voluit in tali> controversia hanc reum facere primam...aut i s t o novissime confugere: "Non, quisquis non reddidit beneficium, ingrati tenetur";** (isto = ad istam excusationem, quae post bipunctum legitur). Praecipue notetur locus Ciceronianus **2.Or.Verr. 3,83,191 An quoniam hoc non audes dicere, i l l u c confugies, vecturae difficultate adductos ternos denarios dare maluisse.** In eo quid adverbio illuc designetur, accusativus cum infinitivo (adductos...maluisse) exprimit; ergo brachylogia quadam orator usus est pro pleniore periodo ad illud argumentum confugies, ut dicas...**adductos...maluisse;** cf. **F̄in.2,9,28̄ Deinde, ubi erubuit (sc. Epicurus)..., confugit i l l u c, ut neget accedere quicumque posse ad**

voluptatem nihil dolentis, et Ascon.ad Cic.Or.Cornel.(Clark,p.61, lin.5-7, Squires, p.94) Non poterat negare id factum esse Cicero; is e o confugit, ut diceret non ideo, quod lectus sit codex a tribuno, imminutam esse tribuniciam potestatem.

Haud multum a verbo **confugere** semantice differt **delabi**, quo translate adhibito his locis Ciceronianis adverbia illativa & allativa reguntur: Orat.31,111 **Iam illud medium, quotiens vult, arripit** (sc. Demosthenes) et a gravissimo discedens e o **potissimum delabitur** (eo = ad id, sc. medium genus dicendi); Or.Mur.13,29 **Itaque mihi videntur plerique initio multo hoc maluisse, post, cum id adsequi non potuissent, i s t u c potissimum esse delapsi.** In hac periodo pronomen hoc adverbio **istuc** pariter oppositum est ac **dicendi consuetudo** paulo ante **isti vestrae exercitationi**, eandemque rem Cicero paulo post velut explicat: **sic nos videmus, qui o r a t o r e s evadere non potuerint, eos ad i u r i s s t u d i u m devenire.**

Hoc in conexu notetur etiam elocutio **se vertere**, quae translate adhibita similem fere vim habere potest atque **confugere** locis supra prolatis, ita ut e.g. **Quo me vertam?** idem significet atque **Quo confugiam?** aut **Qua ratione me expediam?**: Plaut.Curc.67-69 **Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum / petitem argentum a meo sodali mutuum. / Quod si non affert, q u o me vortam, nescio;** Ter.Hec.516-517 **Perii: quid agam? Q u o me vortam? Quid viro meo respondebo / misera?,** Ter.Heaut.945-946 **Ut eius animum, qui nunc luxuria et lascivia / diffluit, retundam, redigam, ut, q u o se vortat, nesciat;** Cic.Or.Philipp.2,25,62 **Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat egestas: q u o se verteret, non habebat;** ibid.2,29,74 **Haerebat nebulo; q u o se verteret, non habebat;** Epist.Att.10,13, 1 **Q u o me nunc vertam? Undique custodior;** Div.2,72,149 **Instat enim et urget (sc. superstitione), et q u o te c u m q u e verte- ris, persequitur (quo te cumque verteris fere pro quodcumque egeris; sequitur in textu longa series enuntiatorum secundariorum coniunctione sive incipientium);** Valer.Flacc.7,297-298 **nec, q u o ferre fugam, nec, q u o se vertere posset, / prensa videt.**

In quibusdam locorum supra enumeratorum (e.g. Cic.Or.Philipp.2,25,

62) sub elocutione quo se verteret etiam persona (sive elocutio ad quem se convertere posset) latere potest. Item Cicero Verrem, ut ostendat "in animo eius metum cum cupiditate pugnare", his verbis describit (2.Or.Verr.2,30,74): Iste...subito solus destitutus per-timuit et conturbatus est; quid ageret, q u o se verteret, ne-sciebat (quo se verteret fere pro ad utram partem accederet) atque ibidem paulo post: Erat hominum conventus maximus, summum silen-tium, summa exspectatio, q u o n a m esset eius cupiditas eruptu-ra.

Apud Vergilium elocutio se vertere alia vi adhibita invenitur: Aen. 1,670-672 Hunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur / vocibus, et vereor, q u o se Iunonia vertant / hospitia; sub interrogatio-ne indirecta quo se vertant Iunonia hospitia fere enuntiatum secun-darium finale ne in insidias vertantur Iunonia hospitia latet.

6.4.3. QUO MENS INTENDATUR AUT INCLINET

Sequitur, ut ea inspiciamus adverbialia translate posita, quibus ex-primitur, quo sive in quam rem homines tendant aut animos inten-dant vel mentes eorum aut alia cum his comparabilia impellantur, incumbant, inclinent, vergant; quorum haec profero exempla: Plaut. Aul.593-594 Hoc servi esse officium reor: / retinere ad salutem, non enim, q u o incumbat, e o impellere; Ter.Phorm.157-158 Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset / neu me cupi-dum e o impulisset, quod mihi principiumst mali; Cic.1.Or.Verr.3, 10 quid iste speret et q u o animum intendat, facile perspicio; Or.Catil.4,3,6 Nunc, quicquid est, q u o c u m q u e vestrae men-tes inclinant atque sententiae, ante noctem statuendum est (quocum-que = ad quodcumque iudicium); Or.Planc.18,45 Haec doce, haec pro-fer, h u c incumbe, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsis-se, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse; tum mirabor te iis armis uti, quae tibi lex dabat, noluisse; Or.Philipp.6,7,18 Unum sentitis omnes, unum studetis: M.Antonii conatum avertere a re pu-blica, furorem extinguere, opprimere audaciam. Idem volunt omnes ordines: e o d e m incumbunt municipia, coloniae, cuncta Italia; Or.Sest.44,95 qui haec vident adulescentes, q u o n a m suas men-

tis conferent?; Or.Vatin.6,15 si eum (sc. Caesarem) magnitudo contentionis...a l i q u o impulsisset, quod in illo viro...ferendum esset..., id tu tibi, furcifer, sumes...?; De orat.2,44,187 Si sedant (sc. iudices) et sua sponte, q u o impellimus, inclinant atque propendent, accipio, quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do; ibid.3,14,55 scientiam, complexa rerum, sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiant, q u o c u m q u e incubuerit, possit impellere; De re publ.2,25,45 Id enim est caput civilis prudentiae,...videre itinera flexusque rerum publicarum ut, cum sciatis, q u o quaeque res inclinet, retinere aut ante possitis occurrere; Sallust.Iug.64,1 Marius haruspicum dicta e o d e m intendere videt, q u o cupido animi hortabatur; ibid.104,1 Marius ...confecto, q u o intenderat, negotio Cirtam rediit (quo = ad quod); Liv.1,9,10 Ubi spectaculi tempus venit deditaque e o mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis (eo = in id); ibid.6,21,6 magna hominum pars e o, ut legatio supplex Romam mitteretur, inclinabat; ibid.9,31,6 omnium principum in Samnio e o curae sunt intentae, ut insidiis quaereretur locus; ibid.22,7,4 ego, praeterquam quod nihil auctum ex vano velim, q u o nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auctorem habui; ibid.27,6,3 Galeria (sc. tribus) iuniorum, quae sorte praerogativa erat, Q.Fulvium et Q.Fabium consules dixerat, e o d e m q u e iure vocatae inclinassent, ni se tribuni plebis C.et L.Arrenii interposuissent; ibid.27,46,7 Multorum e o inclinabant sententiae, ut...tempus pugnae differretur; Hor.Od.3,3,69-70 Non hoc iocosae conveniet lyrae. / Q u o, Musa, tendis?; Seneca (Maior), Contr.2,praef.3 perge q u o inclinatus animus; Seneca (Minor), De ira 2,19,1 Et locorum itaque et animalium et corporum et morum varietates mixtura elementorum facit, et proinde a l i q u o magis incumbunt ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundavit (aliquo = ad aliquos mores peculiare); Benef.3,12,2 Proinde ista maiora aut minora erunt, prout fuerit iudex aut h u c aut i l l u c inclinatus animo; Epist.81,17 in hanc partem inclinabit, h u c verget (sc. sapiens), ut cupiat debere gratiam, cupiat referre; Phaedra 416-418 Innecte mentem: torvus, aversus, ferox / in iura Veneris redeat. H u c vires tuas / intende; Lucan.8,453-454 Non plura locutus / impulit h u c ani-

mos; Quint.Inst.or.6,2,7 **H u c** igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor est; sine quo cetera nuda, ieiuna, infirma, ingrata sunt (huc = ad iudicem commovendum); ibid.10,2,27 **I l l u c** intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis; Tac.Hist.1,42 **h u c** potius eius vita famaue inclinatur, ut conscius sceleris fuerit, cuius causa erat; ibid.3,27,1 **H u c** inclinavit Antonius cingique vallum corona iussit (huc = ad hanc aviditatem praedae); ibid.3,29,1 **Acerrimum** tertiae septimaeque legionum certamen; et dux Antonius cum delectis auxiliariis **e o d e m** incubuerat (eodem = ad idem certamen); ibid.4,8,5 **Vicit** pars, quae sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum adnitentibus retinere morem; et splendidissimus quisque **e o d e m** inclinabat metu invidiae, si ipsi eligerentur; Ann.4,41,1 **ne** adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet, **h u c** flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret; ibid.14,2,2 **Sed** quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama **h u c** inclinatur; Augustin. Civ.Dei 5,9 (Dombart I, p.205, lin.23-25) **Hac** itaque ratione possemus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen iam in alia re soleret intellegi, **q u o** corda hominum nolumus inclinari.

Separatim inspiciendum est exemplum Plautinum Aul.287-288 **Atque** ego istuc, Anthrax, **a l i o v o r s u m** dixeram, / **n o n i s t u c**, **q u o** tu insimulas. In eo adverbium localia aliovorsum et istuc et quo verbo dicere reguntur, sed ita, ut sub eo semanticè e.g. verbum tendere latere videatur (= ...ego istuc dicens...aliovorsum tetenderam, non istuc, quo tu insimulas me tetendisse).¹⁷⁵

Supra omissi sunt, praeter exempla adverbiorum ad res concretas re-latorum,¹⁷⁶ etiam elocutiones praesertim apud Livium crebro occurrentes atque ab imperatorum quoque aetatis historicis nonnumquam adhibiti, in quibus quaeritur, **quo** victoria inclinatur vel inclinatur; quas in septimum capitulum differo, quia correlata adverbiorum in iis potius cum personis quam cum rebus comparabilia sunt.¹⁷⁷

6.4.4. QUO (QUORSUM) QUID PERTINEAT VEL SPECTET

Ab exemplis supra enumeratis non nisi subtiliter differunt ea, in quibus adverbium illativum & allativum verbis **pertinere** et **spectare** reguntur. In iis quoque latentem quandam localitatem invenimus, cum propriam significationem horum verborum cogitamus. Si quis e.g. quaesiverit, **quo** Belgae pertineant et spectent, pro responso cedent ea, quae apud Caesarem in initio commentariorum belli Gallici leguntur (1,6): **Belgae...pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem.** In his elocutionibus de concreta agitur localitate, quae alibi ad rerum abstractarum dimensiones exprimendas transfertur: Cic. Leg. 1,7,22 "...id, quod tibi concessi, **quorsus** pertineat, exspecto." "Non faciam longius. **Huc enim** pertinet: animal hoc providum..., quem vocamus hominem, praecleara quadam condicione generatum esse a supremo deo; Nat. deor. 3, 23,60 **Vestri autem non modo hoc non refellunt, verum etiam confirmant interpretando, quorsum** quidque pertineat; Div. 2,64, 132 **Iam vero quo** pertinent obscuritates et aenigmata somniorum?; Fin. 1,10,34 **id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant itaque turbent, ut, earum motus et impetus quo** pertineant, non intellegamus; Top. 20,75 **parvi saepe indicaverunt aliquid, quo** id pertineret, ignari; Tusc. 1,25,60 **Quorsus** igitur haec spectat oratio?; Or. Dom. 44,116 **Quorsum** igitur haec oratio pertinet?; Or. Philipp. 7,9,26 **Quorsum** haec omnis spectat oratio?; Or. leg. agr. 2,8,20 **Illud... quo** pertineat, videte; Epist. Att. 8,2,4 **Quo** igitur haec spectat oratio?; Epist. Fam. 13,29,2 **Exspectare te arbitror, haec tam longe repetita principia quo** spectent; Caes. Gall. 1,14,4 **quod sua victoria tam insolenter gloriantur quodque tam diu se iniurias tulisse admirarentur, eodem** pertinere (eodem = ad easdem recentes iniurias, cf. ibid. 1,14,3); Civ. 1,9,4 **Quo nam** haec omnia nisi ad suam perniciem pertinere?; Nepos, Themist. 6,3 **Hoc longe alio** spectabat atque videri volebant; Hor. Sat. 1,2,23-24 **quo** res haec pertinet? **Illuc:** / **Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt;** 2,2,35-36 **quo** pertinet ergo / **proceros odisse lupos?**; 2,3,11 **Quorsus** pertinuit stipare Platona Menandro?; Liv. 1,50,7 **Haec atque alia e o -**

d e m pertinentia seditiosus facinorosusque homo hisque artibus opes domi nactus cum maxime dissereret, intervenit Tarquinius (eodem = ad eandem rem, id est ad absentem Tarquinium neglegendum); 1,56,12 Brutus a l i o ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit; 2,2,5 id summa ope tuendum esse neque ullam rem, quae e o pertineat, contemnendam (eo = ad id, sc. consilium libertatis servandae); 40,3,2 neque obscurum erat rebellaturum (sc. Philippum), omniaque, quae tunc ageret diceretque, e o spectare (eo = ad eam rebellionem); 44,35,10 A l i o spectabat mens tota ducis (alio = ad aliam rationem agendi); Phaedr.3,1,6 Hoc q u o pertineat, dicet, qui me noverit; Seneca, Epist.7,11 Bene et ille, quisquis fuit (ambigitur enim de auctore), cum quaereretur ab illo, q u o tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventurae, "Satis sunt", inquit, "mihi pauci, satis est unus, satis est nullus."; 124,21 Q u o nunc pertineat ista disputatio, quaeris. Columella monet (1,3,8) "adhibendum modum mensuramque" esse "agrum paraturis..., ne maiorem, quam ratio calculorum patitur, agrum emere velint"; nam h u c pertinet praeclara nostri poetae sententia (Verg.Georg.2,412-413) 'laudato ingentia rura, exiguum colito!'

Correlata adverbiorum, sive interrogativa sive demonstrativa sunt, vix umquam singulis aut binis verbis exprimi possunt; e.g. in priorum locorum Horatii supra commemoratorum pro correlato habenda est tota sententia pervulgata **Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt**, atque in posteriore fragmento Annaeano ad id, quod quaesitum est, his verbis respondetur: **Dico: et exercet illum et acuit et utique aliquid acturum occupatione honesta tenet**. Phaedrus autem lectori benevolo concludendum relinquit, quidnam ad id, quod quaesivit (**quo pertineat**), respondendum sit. Nonnumquam correlatum adverbii est enuntiatum secundarium explicativa coniunctione quod introductum, quo antecedens principale enuntiatum excipitur, e.g. Cic.Brut.87,299 **Quod autem plures a nobis nominati sunt, e o pertinuit, ut paulo ante dixi, quod intellegere volui, in eo, cuius omnes cupidissimi essent, quam pauci digni nomine evaderent**; Petron.126,2 **Q u o enim spectant flexae pectine comae, q u o facies medicamine attrita et oculorum quoque mollis petulantia, q u o**

incessus arte compositus et ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam prostituis ut vendas?. In priore horum locorum Cicero optime ...ut intellexeretur... pro ...quod intellegi volui... ac Petronius ...ut formam prostituas et vendas pro ...quod formam prostituis ut vendas scribere potuisset; namque aliquanto frequentius - praesertim cum demonstrativum est adverbium - finale enuntiatum secundarium coniunctione ut introductum pro correlato subsequitur, e.g. Cic.2.Or.Verr.5,10,25 **Summa i l l u c** pertinet, ut sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit; Or.Lig.5,13 **res enim e o** spectat, ut ea poena, in qua Q.Ligarius adhuc est, non videamini esse contenti; Or.Philipp.13,20,46 **Denique summa iudicii mei spectat h u c**, ut meorum iniurias ferre possim; Epist.Fam.6,1,4 **Atque haec e o** pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur; 13,4,3 **Sed haec, quae supra scripta sunt, e o** spectant, ut te hortet et suadeam; Div.2,57,118 **hoc e o** spectabat, ut eam (sc. Pythiam) a Philippo corruptam diceret; Caes.Gall.4,11,4 **Haec omnia Caesar e o d e m i l l o** pertinere arbitrabatur, ut tridui mora interposita equites eorum, qui abessent, reverterentur; Sallust.Catil.51,10 **Q u o** illa oratio pertinuit? An uti vos infestos coniurationi faceret?; Plin.Epist.7,20,7 **quae omnia h u c** spectant, ut invicem ardentius diligamus; Tac.Dial.orat.28,6 **Quae disciplina ac severitas e o** pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas. Potius finale iudicaverim enuntiatum secundarium, quamvis morphologice consecutivo similis sit, etiam in posteriore harum periodorum Quintiliani (Inst.or.8,3,13); Praeterea ne decet quidem, ubi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse sollicitum. Neque hoc e o pertinet, ut in his **n u l l u s** sit ornatus, sed uti pressior et severior, eo minus confessus, praecipue materiae accommodatus;¹⁷⁸ cf. Decl.minores 325,2 **Hoc e o** pertinet, **n e** quis iudicum manifestas exigit probationes. Pro specimine inconcinnitatis habenda est periodus longa Liviana 38,25,7 **Frustratio Gallorum e o** spectabat, primum ut tenerent tempus, donec res suas, quibus periclitari volebant, cum coniugibus ac liberis trans Halyn flumen traicerent, deinde quod ipsi consuli, parum cauto adversus colloqui fraudem, insidiaban-

tur; in ea enim correlata adverbii **eo** sunt duo diversi generis enuntiata secundaria, quorum primum (**ut tererent tempus**) finale est, alterum (**quod ipsi consuli...insidiabantur**) causale.

Apud Tacitum duobus locis Germaniae invenitur verbum **respicere** similiter ac **spectare** in exemplis supra enumeratis cum adverbis allativis adhibitum: 12,2 **Diversitas supplicii i l l u c respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi;** 39,4 **E o q u e omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia.** Peculiare dictionis Taciteae est, quod **tamquam** pro **ut** ponit (et quidem in posteriore exemplo sine praedicato **sint**) ita oblique mōnens de persuasionibus Germanorum propriis agi.¹⁷⁹

Cum verbis **pertinere** et **spectare** adverbia allativa regentibus comparabilia sunt etiam **tendere** et **valere**. Eorum prius iam supra vidimus in versu Horatiano Od.3,3,70 **Q u o, Musa, tendis?**, ubi subiectum enuntiati persona est. Nihilominus verbum **tendere** rem quoque pro subiecto habere potest: Plaut.Pseud.216-217 **tenes / q u o se haec tendant, quae loquor;** Quint.Inst.or.9,3,45 **Aliquando, sicut in geminatione verborum diximus, initia quoque et clausulae sententiarum aliis, sed non a l i o tendentibus verbis inter se consonant (alio tendentibus fere pro aliud significantibus).** Verbi **vale-re** cum adverbis allativis usus pluribus exemplis est illustrandus. Cicero in initio tertii De natura deorum libri C.Aurelium Cottam academicum ad ea, quae Q.Lucilius Balbus, philosophus Stoicus, in fine secundi libri (2,67,168) dixerat, pauca respondentem inducit (3,2,5): **Non enim mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminissem me et Cottam esse et pontificem; quod e o, credo, valebat, ut opiniones, quas a maioribus accepimus de dis immortalibus, sacra, caerimonias religionesque defenderem (quod eo valebat, ut... fere pro qua cohortatione id monere voluisti, ut...).** Eiusdem generis finalis vis in reliquis quoque exemplis invenitur: Nepos, Themist.2,7 **Id responsum q u o valeret, cum intellegeret nemo, Themistocles persuasit consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent;** ibid.4,4 **Hoc e o valebat, ut ingratis ad depugnandum omnes**

cogerentur; Hor.Sat.1,1,73 **Nescis, q u o valeat nummus, quem praebeat usum?**,¹⁸⁰ Quint.Inst.or.1,2,16 **non tamen hoc e o valet, ut fugiendae omnino sint scholae.** Ex his exemplis patet semanticè haud nihili interesse, utrum **quo hoc valet?** an **quid hoc valet?** quaeras, sed has duas quaestiones significatione subtiliter inter se differre. Posteriori enim earum illa, quam dixi, finalis vis aut omnino deest aut summum tectior subest. Suetonius vitam Vitellii concludit ad quaestionem fictivam "**Quid valet cognomen Becco?**" ita respondens (Vit.18): **Id valet gallinacei rostrum (valet = significat).** Etiam alibi, cum de significatione singulorum verborum aut enuntiatorum agitur, **valere** plerumque accusativum regit, e.g. Cic.Tusc.5,9,24 **Non usquam id quidem dicit omnino (sc. Theophrastus), sed, quae dicit, i d e m valent (idem valent = eandem rem significant, scilicet in rotam beatam vitam escendere).** Nepos autem, cum de responso oraculi narrans **quo valeret** (non: **quid valeret**) scribit, toti rei velut plus ambiguitatis Delphicae tribuit; solum Themistoclem tanto fuisse acumine ingenii, ut in occultum sensum consilii penetrare sciret atque explicare, qua ratione id Atheniensibus prodesse posset. Quaestio indirecta Horatiana **quo valeat nummus** (fere pro **quantum valeat nummus** vel **quo conferat nummus**) aptissime altera quaestione **quem praebeat usum** epexegetice excipitur sive cumulatur. In hoc conexu **quo valeat nummus** paulo exactior est elocutio quam **quid valeat nummus**, quae alibi etiam e.g. quaestione **idemne valeat ac pecunia** excipi possit.¹⁸¹

Etiam verbo **conferre**, quo supra usus sum ad significationem verbi **valere** subtilius explicandam, adverbium allativum regi potest: Cels.7,4 **Per quae (sc. medicamenta supra exposita) cum caro producatur, plus tamen, ut alias quoque dixi, victus ratio e o confert (eo = ad eam rem, id est ad carnem producendam vel ad ulcus reprimendum).**

Denique verbo **referre** non solum propria, sed etiam translata vi adhibito adverbia allativa pro praepositione **ad** cum accusativo annecti possunt. Haud multum a propria significatione differt **quo** apud Lucretium loco, quo Heraclitum "**contra sensus ab sensibus**" (1,693) repugnantem delirare docet his versibus (1,699-700): **Q u o refere-**

mus enim? Quid nobis certius ipsis / sensibus esse potest, qui vera ac falsa notemus? (quo referemus idem fere significat atque quibus fundamentis nitentur nisi ipsis sensibus). Longius a propria vi discessit referre e.g. in enuntiato pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt (Cic.Lael.9,32), ac tum quoque adverbium allativum pro elocutione praepositionali adhiberi posse inter alia ostendunt nonnulli loci eiusdem Ciceronis, e.g. Inv.2,51,156 quaedam argumentationes communiter ac similiter tractabuntur, quaedam separatius ad finem, q u o referri omnem orationem oportet, adiungentur (quo = ad quem) et De orat.2,27,117 ad instituendos adulescentulos magis aptum sit, ut, simulac sit posita causa, habeant, q u o se referant. Ex opere eius philosophico De finibus bonorum et malorum duos excerpo locos: 1,9,29 Quaerimus igitur, quid sit extremum et ultimum bonorum; quod omnium philosophorum sententia tale debet esse, ut a d i d omnia referri oporteat, ipsum autem n u s q u a m, et 2,2,5 Nam hunc ipsum sive finem sive extremum sive ultimum definiabas id esse, q u o omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum u s q u a m referretur. Posterioris periodi adverbium quo eandem manifesto functionem syntacticam habet atque elocutio praepositionalis ad quod, sicut ad id prioris periodi adverbio allativo eo compensare possis; nusquam autem, cui in sermone Latino nullum est allativum adverbium respondens,¹⁸² pro elocutione praepositionali ad nihil (aliud) sive ad nullam (aliam) rem adhibitum est, similiterque usquam pro ad quidquam (aliud) sive ad ullam (aliam) rem aut pro adverbio allativo quoquam (alio).¹⁸³

6.4.5. QUO QUID ACCEDAT VEL ADDATUR

Nunc transeundum est ad **accedendi** et **addendi** verba, quibus creberime - aliquanto crebrius quam verbis supra (6.4.2. - 6.4.4) tractatis - adverbia illativa et allativa rem designantia reguntur. Exemplorum multitudo ostendit tales elocutiones iam archaico aevo invaluisse ac deinde in posteriorum quoque scriptorum sermone firmiter inhaesisse.

Primum quidem verbi **accedere** talia adverbia regentis profero exem-

pla: Plaut. Pers.689 etiam pro vestimentis h u c decem accedant minae! (huc = ad has sexaginta minas, cf. v.665); Curc.343-344 de illo emi virginem / triginta minis et pro his decem e o accedunt minae;¹⁸⁴ Merc.671-674 "Quin is ocius?"/"Nequeo mecastor; tantum hoc onerist, quod fero." / "Quid oneris?" "Annos octoginta et quatuor; / et e o d e m accedit servitus, sudor, sitis..." (eodem = ad idem onus sive ad eosdem annos); 148 ego bonum, malum q u o accedit, mihi dari haud desidero; Varro, Ling.Lat.5,119 Vas aquarium vocant futim, quod in triclinio allatam aquam infundebant; q u o postea accessit nanus cum Graeco nomine et cum Latino nomine Graeca figura barbatus (quo = ad quam rem, id est ad aquam infundendam); Cic.Or.Rosc.Amer.4,9 commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora sunt impedimento. H u c accedit summus timor, quem mihi natura pudorque meus attribuit (huc = ad haec, sc. impedimenta supra commemorata); 8,22 Neque enim mirum, cum...tam multi occupationem eius observent tempusque aucupentur, ut, simul atque ille despexerit, aliquid huiusce modi moliantur. H u c accedit, quod...tanta felicitate nemo potest esse, in magna familia qui neminem...improbum habeat; 16,46 natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes; e o accessit studium doctrinae; 24,68 Haec magnitudo maleficii facit, ut, nisi paene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit, nisi turpis adulescentia, nisi omnibus flagitiis vita inquinata..., nisi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab insania. Accedat h u c oportet odium parentis...; 31,86 illud quidem non quaerent, cui bono fuisset, sed eo perspicuo crimen et suspicionem potius ad praedam adiungerent quam ad egestatem. Quid, si accedit e o d e m, ut tenuis antea fuerit?; 36,104 Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti, unum stultissime, profecto tua sponte, non de Eruci sententia: nihil opus fuit te istic sedere... H u c accedit, quod paulo tamen occultior atque tectior vestra ista cupiditas esset; Or.Leg.agr.14, 36 sunt enim loca publica urbis, sunt sacella, quae post restitutam tribuniciam potestatem nemo attigit, quae maiores in urbe...periculi perfugia esse voluerunt. Haec lege tribunicia Xviri vendent. Accedet e o mons Gaurus, accedent salicta ad Minturnas, adiungetur etiam illa via vendibilis Herculeana; Or.Mur.29,60 Finxit enim te ipsa natura ad honestatem,...ad omnes denique virtutes magnum homi-

nem et excelsum. Accessit i s t u c doctrina; Or.Philipp.1,15,38 Mihi fere satis est, quod vixi vel ad aetatem vel ad gloriam; h u c si quid accesserit, non tam mihi quam vobis rei que publicae accesserit; De orat.1,5,17 Est enim scientia comprehendenda rerum plurimarum...et ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum, et omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, penitus pernoscendi... Accedat e o d e m oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio; Fin.1,12,41 Ad ea cum accedit, ut neque divinum numen horreat nec praeteritas voluptates effluere patiatur earumque assidua recordatione laetetur, quid est, quod h u c possit, quo melius sit, accedere?; 5,27,81 Quod autem satis est, e o quicquid accesserit, nimium est;¹⁸⁵ Parad.3,2,24 Causa igitur haec, non natura distinguit; quae quoniam u t r o accessit, id fit propensius; si u t r o q u e adiuncta sit, paria fiant necesse est (utro = ad utrum et utroque = ad utrumque);¹⁸⁶ Epist.Fam.1,9,18 Sed laetatus tamen sum, quod mihi liceret in eadem causa et mihi utilia et cuivis bona recta defendere. H u c accessit...Caesaris in me fratremque meum liberalitas; 4,13,5 Familiars vero eius...mirabiliter de te et loquuntur et sentiunt. Accedit e o d e m vulgi voluntas vel potius consensus omnium; Caes. Gall.4,22,3-4 Navibus circiter octoginta onerariis coactis contractisque, quod satis esse ad duas transportandas legiones existimabat, quicquid praeterea navium longarum habebat, id quaestori, legatis praefectisque distribuit. H u c accedebant XVIII onerariae naves;¹⁸⁷ 5,6,1-2 Hunc (sc. Dumnorigem) secum habere in primis constituerat, quod eum cupidum rerum novarum, cupidum imperii, magni animi, magnae inter Gallos auctoritatis cognoverat. Accedebat h u c, quod in concilio Haeduorum Dumnorix dixerat sibi a Caesare regnum civitatis deferri; 5,16,4 Accedebat h u c, ut numquam conferti, sed rari magnisque intervallis proeliarentur stationesque dispositas haberent (huc = ad hoc, sc. quod ex essedis desilirent et pedibus dispari proelio contenderent, cf.5,16,2); 7,46,1-2 Oppidi murus a planitie atque initio ascensus recta regione, si nullus anfractus intercederet, mille CC passus aberat; quicquid h u c circuitus ad molliendum clivum accesserat, id spatium itineris augebat;¹⁸⁸ Sallust.Catil.11,4-5 postquam L.Sulla armis recepta re publica bonis initiis malos eventus habuit, ...neque modum neque

modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere. H u c accedebat, quod L.Sulla exercitum...luxuriose nimisque liberaliter habuerat; Iug.7,6-7 Igitur imperator omnis fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti, quippe cuius neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. H u c accedebat munificentia animi et ingeni solertia; Liv.1,49,2-4 armatis corpus circumsaepsit (sc. L.Tarquinius); neque enim ad ius regni quicquam praeter vim habebat, ut qui neque populi iussu neque auctoribus patribus regnaret. E o accedebat, ut in caritate civium nihil spei reponenti metu regnum tutandum esset; 29,14,4-5 Eorum (sc. prodigiorum) procurandorum causa diem unum supplicatio fuit et novendiale sacrum, quod de caelo lapidatum esset, factum. E o accessit consultatio de Matre Idaea accipienda; Lucr.1,192-193 H u c accedit, uti sine certis imbris anni / laetificos nequeat fetus submittere tellus (huc = ad hoc, sc. quod omnia paullatim crescunt, cf.1,188-189); 3,459-461 H u c accedit, uti videamus, corpus ut ipsum / suscipere immanis morbos durumque dolorem, sic animum curas acris luctumque metumque (huc = ad hoc, sc. quod mens una cum corpore gignitur et crescit et senescit, cf.3,445-446);¹⁸⁹ Ovid.Am.3,7,35-38 Quid vetat et nervos magicas torpere per artes? / Forsitan inpatiens sit latus inde meum. / H u c pudor accessit facti; pudor ipse nocebat; / ille fuit vitii causa secunda mei; Metam.6,180-183 In quamcumque domus adverti lumina partem, / immensae spectantur opes; accedit e o - d e m / digna dea facies; h u c natas adice septem / et totidem iuvenes et mox generosque nurusque;¹⁹⁰ Valer.Max.4,7, praef. Felicitatis cultus maiore ex parte adulationi quam caritati erogatur; certe suspectus est perinde ac plus semper petat quam impendat. Accedit h u c, quod infractae fortunae homines magis amicorum studia desiderant vel praesidii vel solacii causa; Seneca, Epist.31,7-8 animi est ipsa tolerantia, quae se ad dura et aspera hortatur ac dicit: 'Quid cessas? Non est viri timere sudorem'. H u c et illud accedat, ut perfecta virtus sit, aequalitas ac tenor vitae per omnia consonans sibi; Colum.3,3,8-9 fit tamen in assem consummatum pretium sestertiorum viginti novem milium. H u c accedunt semisses usurarum sestertia tria milia et quadringenti octoginta nummi bienii temporis; Petr.79,1-2 Neque fax ulla in praesidio erat, quae

iter aperiret errantibus, nec silentium noctis iam mediae promittebat occurrentium lumen. Accedebat h u c ebrietas et imprudentia locorum; 113,7-8 Nec tamen adhuc sciebam, utrum magis puero irascerer, quod amicam mihi auferret, an amicae, quod puerum corrumperet: utraque inimicissima oculis meis et captivitate praeterita tristiora. Accedebat h u c, quod neque Tryphaena me alloquebatur tamquam familiarem...nec Giton me...sermone communi vocabat; 141,7-8 finge te non humana viscera, sed centies sestertium comesse. Accedit h u c, quod aliqua inveniemus blandimenta, quibus saporem mutemus; Plin.Epist.5,12,4 Tu velim quid de universo, quid de partibus sentias, scribas mihi. Ego enim vel cautior in continendo vel constantior in edendo, si h u c vel i l l u c auctoritas tua accesserit; Tac.Hist.2,99,1-2 Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species: non vigor corporibus, non ardor animis;... quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Accedebat h u c Caecinae ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunae indulgentia soluti in luxum; Augustin.Civ.Dei 3,13 (Dombart I, p.111-112) propter interitum civium propinquorum, fratrum parentum aut pie cruciabantur aut crudeliter laetabantur victoriis maritorum (sc. illae sociatae bellantibus). H u c accedebat, quod...aliquae parentum ferro amiserunt viros, aliquae utrorumque ferro et parentes et viros; 12,18 (Dombart I, p.540, lin.9-14) Has argumentationes...si ratio refutare non posset, fides inridere deberet. H u c accedit, quod in adiutorio Domini Dei nostri hos volubiles circulos, quos opinio confingit, ratio manifesta confringit; 3,5 (Dombart I, p.102, lin.2-6) ne sic quidem possunt irasci veris adulteriis humanis, qui etiam falsis delectantur suis. H u c accedit, quoniam, si illud de Marte non creditur, ut hoc quoque de Venere non credatur, nullo divini concubitus obtentu matris Romuli causa defenditur; 6,1 (Dombart I, p. 245, lin.19-29) si ...nullus deus ex illa turba...deorum idoneus est regna mortalia mortalibus dare, quanto minus potest immortales ex mortalibus facere! H u c accedit, quia...iam nec...omnino colendi sunt.

In his omnibus exemplis, qualia etiam plura enumerat Thesaurus Linguae Latinae,¹⁹¹ huc accedit aliaeque elocutiones similes pro locis communibus phraseologicis habendae sunt, quae, ut scribit Forcellii-

ni,¹⁹² "elegantem" ponuntur "in principiis periodorum", ut "connectendae orationi" inserviant. Relativum tamen adverbium **quo**, cui ante omnia talem connectendi functionem esse expectaveris, multo rarius verbo **accedere** ita adiungitur quam adverbia demonstrativa, praesertim **eo** et **huc**, quorum exempla supra prolata longe numerosissima sunt. Condicio syntactica adverbiorum semper eadem est, sive pro subiecto fungitur substantivum aut pronomen (e.g. Cic.Or.Rosc. Amer.4,9, Or.Philipp.1,15,38) sive enuntiatum secundarium coniunctione explicativa **quod** aut **ut**¹⁹³ aut (in seriore Latinitate) **quoniam** aut **quia** incipiens (e.g.Caes.Gall.5,6,2 et 5,16,4; Augustin. Civ.Dei 3,5 et 6,1). Pro adverbii localibus creberrime adhibetur praepositio **ad** cum accusativo, cuius exemplum iam supra vidimus in elocutione Ciceroniana (Fin.1,12,41) **A d h a e c cum accedit, ut neque divinum numen horreat nec praeteritas voluptates effluere patiatur...**; sed haud multo minus frequenter usurpatur dativus. Quin etiam prope "adverbii instar"¹⁹⁴ **his** aut alia similia usurpari possunt, e.g. Plin. Epist.4,12,6-7 **Omnes enim, qui gloria famaue ducuntur, mirum in modum adsensio et laus a minoribus etiam profecta delectat. Te vero Marcellinus ita reveretur, ut iudicio tuo plurimum tribuat. Accedit h i s, quod, si cognoverit factum suum isto usque penetrasse, necesse est laudis suae spatio et cursu et peregrinatione laetetur. Saepe pro huc accedit vel eo accedit aut omnino absolute accedit aut addita atona particula accedit etiam vel id quoque accedit vel illud quoque accedit dicitur, e.g. Cic.Or.Deiot. 1,2 Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber; Caes.Gall.4,16,2 Accessit etiam, quod illa pars Usipetum et Tenchterorum...se trans Rhenum in fines Sugambrorum receperat; Vell.2,22,5 Postea id quoque accessit, ut saevitiae causam avaritia praeberet.**

Substantivum in his, de quibus agitur, elocutionibus pro subiecto fungens, ut vidimus, plerumque rem abstractam exprimit, sed concreta quoque res eo exprimi potest. Quin etiam persona interdum subiecti vicem gerit: Cic.Epist.Att.1,7 (11),1 (Kasten, Epist.Att., p.16) **Et mea sponte faciebam antea et post duabus epistulis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis magno opere sum commotus. E o accedebat hortator assiduus S a l l u s t i u s, ut agerem**

...de vestra vetere gratia reconcilianda. Praeter minas Plautinas (Pers.689 et Curc.344) et nanum sive barbatum Varronianum (Ling. Lat.5,119) et naves onerarias Caesarianas (Gall.4,22,4) et montem Gaurum Ciceronianum (Or.Leg.agr.14,36) ceterasque res plus minus concretas, quas supra subiecti vice fungentes vidimus, Vitruvianum profero exemplum: 7,5,8 Quis enim antiquorum non uti medicamento minio parce videtur usus esse? At nunc passim plerumque toti parietes inducuntur. Accedit huc c h r y s o c o l l a, o s t r u m, A r m e n i u m. Hoc loco forma activa accedit passivae formae additur vim habet; revera enim chrysocolle et ostrum et Armenium (sc. pigmentum) aliaeque eiusdem generis materiae non ipsae ad minium "accedunt", sed humana manu ad id adduntur.¹⁹⁵

Transitiva verba addere et adicere et adiungere, quibus similiter nonnumquam adverbium illativum & allativum reguntur, a verbo intransitivo accedere non differunt nisi eo, quod activae formae eorum in huius generis elocutionibus plerumque personale subiectum habent. Res autem, quo (id est ad quam) aliquid additur, aut concreta aut abstracta esse potest: Plaut.Rud.1329 "Eloquere, quantum postules!" "Q u o nihil invitum addas!" (quo = ad quod); Bacch.379-382 Neque mei neque te tui intus puduit factis quae facis, / quibus tuum patrem neque una, amicos, adfinis tuos / tua infamia fecisti gerulifugulos flagiti? / Nunc prius quam malum i s t o c addis, certumst, iam dicam patri (istoc = ad ista facta); Men.148-149 "Dico: homo lepidissime!" / "Ecquid audes de tuo i s t u c addere?" (istuc = ad ista verba); ibid.524-526 Menaechme, amare ait te multum Erotium, / ut hoc una opera ad aurificem deferas, / atque h u c ut addas auri pondo unciam (huc = ad hoc, sc. spinter);¹⁹⁶ Cic.Or. Mur.13,26 Etenim quae de scripto aguntur, scripta sunt omnia, neque tamen quicquam tam anguste scriptum est, q u o ego non possim "qua de re agitur" addere (quo = ad quod); Fin.2,23,75 Tum enim eam ipsam (sc. voluptatem) vis, quam modo ego dixi, et nomen imponis, in motu ut sit et faciat aliquam varietatem, tum aliam quandam summam voluptatem, q u o addi nihil possit (quo = ad quam);¹⁹⁷ ibid. 3,10,34 aestimatio..., quantumcumque e o addideris, in suo genere manebit (eo = ad eam aestimationem); ibid.4,12,30 si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat,

sumpturum sapientem eam vitam potius, q u o haec adiecta sint (quo = ad quam); Brut.43,161 Quod idcirco posui, ut, dicendi Latine prima maturitas in qua aetate exstisset, posset notari et intel- legeretur iam ad summum paene esse perductam, ut e o nihil ferme quisquam addere posset (eo = ad eam, sc. maturitatem); Orator 1,3 Quaeris igitur, idque iam saepius, quod eloquentiae genus probem maxime et quale mihi videatur illud, q u o nihil addi possit (quo = ad quod vel cui);¹⁹⁸ Catull.68,149-153 Hoc tibi, quod potui, con- fectum carmine munus / pro multis, Alli, redditur officiis, / ne vostrum scabra tangat rubigine nomen / haec atque illa dies atque alia atque alia. / H u c addent divi quam plurima... (huc = ad hoc, sc. munus); Caes.Civ.1,56,1-2 Massilienses usi L.Domitii con- silio naves longas expediunt numero XVII, quarum erant XI tectae. Multa h u c minora navigia addunt (huc = ad has); 2,28,2-3 Quin- tilius circumire aciem Curionis atque obsecrare milites coepit, ne primam sacramenti, quod apud Domitium atque apud se quaestorem di- xissent, memoriam deponerent... H u c pauca ad spem largitionis addidit, quae ab sua liberalitate, si se atque Attium secuti es- sent, expectare deberent (huc = ad hoc vel ad haec); Liv.27,22,9 M.Valerius Laevinus...classem, quae ad Siciliam erat, navium sep- tuaginta obtineret; adderent e o triginta naves, quae ad Tarentum priore anno fuerant (eo = ad eam, sc. classem vel ad eas, sc. na- ves); 44,21,11 Licinius consul duabus legionibus obtinere provin- ciam iussus; e o addere sociorum decem milia peditum et sescentos equites (eo = ad eas);¹⁹⁹ Quint.Inst.or.12,10,40 Ad hoc quidam nul- lam esse naturalem putant eloquentiam, nisi quae sit cotidiano ser- moni simillima...; quicquid h u c sit adiectum, id esse affecta- tionis et ambitiosae in loquendo iactantiae (huc = ad hanc, sc. eloquentiam cotidiano sermoni simillimam). Plinius ultimam epistu- lam libri noni his verbis videtur conclusisse (9,40,3): Habes ae- state hieme consuetudinem; addas h u c licet ver et autumnum, quae inter hiemem aestatemque media: ut nihil de die perdunt, de nocte parvulum adquirunt. Illa verba in codicibus corrupta quamvis fortasse non omnino recte sint emendata,²⁰⁰ tamen vix dubitari de- bet, quin Plinius huc pro ad hanc (sc. consuetudinem) scripserit et adverbium ad ea rettulerit, quae initio epistulae de studiis suis aestivis hibernisque narravit.

Plinianum **addas huc licet** haud multum differt ab elocutionibus, in quibus huc et alia adverbia pariter fungentia imperativis **adde, addito, addite** aut **adice** reguntur, e.g. Plaut.Truc.512-513 "meon tu, inprobe, ero male dicere <nunc> audes, fons viti et peiurii?" / "Verbum unum **a d d e i s t o c**: iam hercle te hic hac offatim conficiam."; Cas.517-519 Cur amem me castigare, id ponito ad compendium; / 'cano capite', 'aetate aliena' e o **a d d i t o** ad compendium; / 'cui sit uxor', id quoque **i l l u c** ponito ad compendium (id quoque illuc ponito variandi causa positum est pro id illuc addito); Cic.Epist.Fam.10,31,4 Nam quibus com meatibus invito illo per illius provinciam legiones ducerem? Aut, si cetera transissem, num etiam Alpes poteram transvolare, quae praesidio illius tenentur? **A d d e h u c**, quod perferri litterae nulla condicione potuerunt; Tusc.5,6,15-16 Quid, si idem... paupertatem, ignominiam, infamiam timet, si debilitatem, caecitatem, si denique...servitutem: potest ea timens esse quisquam beatus? Quid, qui non modo ea futura timet, verum etiam fert sustinetque praesentia? **A d d e e o d e m** exilia, luctus, orbitates: qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tandem esse non miserrimus?; Or.Philipp.11, 10,23 **A d d e i s t u c** sermones hominum, adde suspiciones, adde invidiam (istuc = ad istud, sc. tuum praestantissimum studium); 2.Or.Verr.3,86,200 quid his rebus detractis possit ad dominos puri ac reliqui pervenire, credo vos ex vestris impensis, ex vestris rebus rusticis coniectura adsequi posse. **A d d i t e n u n c e o d e m** istius edicta, instituta, iniurias; Seneca, Epist.117,31 At mehercule omnia tibi undique nuntiantur, et incendium domus et periculum liberorum et obsidio patriae et bonorum direptio; **a d i c e i s t o** naufragia motusque terrarum et quicquid aliud timeri potest; De otio 8,1 **A d i c e n u n c h u c**, quod e lege Chryssippi vivere otioso licet (huc = ad hoc, sc. quod modo dictum est, contemplationem placere omnibus).

In his exemplis non modo Plautinis, sed etiam Ciceronianis et Annaeanis imperativi paululum retinuerunt propriae suae allocutivae functionis; in iis enim certae inveniri possunt personae, quas auctores adire aut adiri²⁰¹ voluerint. Pro tali persona cedit etiam in adumbratione carminis Catulliana 58a²⁰² Camerius amicus, qui bis

in vocativo positus (v.7 Cameri, v.10 amice) occurrit: **Non custos si fingar ille Cretum, / non si Pegaseo ferar volatu, / non Ladas ego pinnipesve Perseus, / non Rhesi niveae citaeque bigae; / a d d e h u c plumipedas volatilesque, / ventorumque simul require cursum, / quos vinctos, Cameri, mihi dicares; / defessus tamen omnibus medullis / et multis langoribus peresus / essem te mihi, amice, quaeritando.** Item Horatius Cerinthum quendam vocativo allocutus ita pergat (Sat.1,2,83-84): **A d d e h u c, quod mercem sine fucis gestat, aperte, / quod venale habet, ostendit** (huc = ad hoc, sc. quod togatae sive libertinae saepe melius femur est quam matronae; cf. ibid.v.81-82). Pari ratione Quintilianus in Declamationibus minoribus (341,6) personam fictivam disputandi comiti inter alia ita loquentem inducit: **Exercitus stipendium accipiunt, bella cotidie geruntur..., defendimus ripas et flumina et litora. H u c a d i c e et illud: templa exstruuntur; multum impendiorum sacra ducunt, aliquid et spectacula: opus est vectigalibus.** Aliter res se habet duobus locis operis philosophici De natura deorum, quibus Cicero elocutione **adde huc** utitur: 2,39,98 **Ac principio terra universa cernatur,...vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. A d d e h u c fontium gelidas perennitates..., 3,27,68 A d d e, inquit, h u c, quod mihi portento caelestum pater prodigium misit;** in priore enim exemplo forma singularis imperativi (adde) in oculos incurrit, quia Lucilius Balbus neutri auditorum suorum separatim, sed simul ambobus de providentia disserit, in posteriore autem fragmentum citatur tragoediae ab Accio compositae, in quo "verissime loquitur Atreus". Itidem loco Liviano 7,30,15 **Quae est ista tam infesta ira, quam per duas acies fusus sanguis explere non poterit? A d d e h u c populationem agrorum, praedas hominum atque pecudum actas...** adverbium huc quidem simili atque in aliis exemplis ratione translate positum ad **sanguinem fustum** refertur, sed formam singularem imperativi minus expectaveris, quia legati Campanorum in oratione, de qua agitur, cunctos patres conscriptos alloquuntur, non separatim aliquem unum ex iis. Similia de verbis Ovidianis iam supra prolatis Metam.6,182 **h u c natas a d i c e septem** dici possunt: in oratione sua superba Niobe, tametsi semel singulari forma imperativi **adice** utitur, tamen nullam mulierum The-

banarum ita seorsum alloquitur, sed in universas simul saevit, sicut patet e pluralibus imperativis paulo post adhibitis (6,184-185 **quaerite, audete**). Formam **adice** Ovidius aut metri aut orationis variandae causa videtur elegisse, versusque eius huic fere circumlocutioni prosaicae anaphora ornatae respondent: **accedit eodem digna digna dea facies, accedunt huc natae septem et totidem iuvenes, accedent mox etiam generi nurusque**. Utique concludi potest **adde huc et adice huc** ceterasque eiusdem generis elocutiones paullatim pro inveteratis transeundi phrasibus usurpari coeptas esse.²⁰³

Apud Catonem de rebus ad agri culturam pertinentibus disserentem adverbium **eo** verbo **addere** frequenter ita regitur, ut a locali notione minus remotum sit quam in exemplis supra tractatis. In textu Catonis saepe dubites, utrum pro **in eam mixturam** adverbium positum sit an ad locum referatur, ubi ea, de qua agitur, mixtura praeparatur. E.g. de alvi deiciendi sive ventris purgandi rationibus, quas novit, ita disserere incipit (Agr.cult.158,1): **Sume tibi ollam, addito e o aquae sextarios sex et e o addito unguam de perna... Ubi iam coctum incipit esse, e o addito brassicae coliculos duos, betae coliculos duos cum radice sua...** Ex his tribus exemplis adverbii **eo** primum puram localem habet vim (= **in eam**, sc. **ollam**); secundum autem haud minus apte ad aquae sextarios sex atque tertium praeterea ad unguam pernae refertur (**eo** = **in eam mixturam**).²⁰⁴ Interdum ollae aut lacus aut mortarii aut alvei aut aulae in textu ne mentio quidem fit expressis verbis, sed locus, ubi omnia ponuntur, tantummodo subaudiendus relictus est, e.g. 156,7 **Sumito brassicam, coicito in aquam ferventem, coquito paulisper, uti subcruda siet. Postea aquam defundito non omnem. E o addito oleum bene et salis paululum et cuminum et pollinem polentae**. Pro exemplis variorum pomorum, quae in fundo conseri possunt, Cato inter alia commemorat **mala strutea, cotonea Scantiana, Quiriniana, item alia conditiva, mala mustea et Punica** (7,3); quibus enumeratis intra uncus ita pergit: **e o lotium suillum aut stercus ad radicem addere oportet, uti pabulum malorum fiat (eo...ad radicem fere pro circa radices eorum)**.²⁰⁵ Similia atque apud Catonem exempla nonnumquam etiam alibi reperiuntur: Varro, Rust.1,54,3 **Expressi acinorum folliculi in dolia coiciuntur, e o q u e aqua additur (eoque aut pro et in**

ea, sc. dolia, aut et in eos, sc. expressos acinorum folliculos); Vitruv. 7,8,4 **Is cinis coicitur in aquam, et additur e o argentum vivum**, ubi eo potissimum ad mixturam cineris et aquae refertur. Columella (12,22,1-2) pro medicamine, "quo mustum condias", hoc commendat: **Picis liquidae Nemeturicae metretam adde in labrum aut in alveum, et in eodem infundito cineris lixiviae congios duos, deinde permisceto spatha lignea. Cum requieverit, eliquato lixiviam; deinde tantundem lixiviae addito, eodem pacto permisceto...Post e o - d e m addito picis Bruttiae, si minus, alterius notae quam purissimae quinque libras (eodem = in idem labrum aut in eundem alveum vel potius in eandem mixturam picis et lixiviae)**. Apud Celsum haec occurrunt exempla adverbiorum illativorum & allativorum verbo adicere adiunctorum: 4,16,4 **Fit ex lini et nasturci semine, q u o vinum et oleum adicitur**; 4,24,1 **eas (sc. mali Punici tenues radículas) contusas in aquae tribus sextariis decoquat, donec tertia pars supersit; h u c adiciat nitri paulum, et ieiunus bibat**; 5,25,7 **Aut eiusdem passi heminae tres usque eo coquuntur, donec extracta inde gutta indurescat; e o adicitur tritae casiae P * I.**

Ad adverbia illativa & allativa verbis addendi adhaerentia, quae ad personas referuntur, in septimo capitulo redibo.²⁰⁶

6.4.6. QUO QUID FIAT SIVE AD QUID ASSEQUENDUM

Restat, ut liberrimum usum translatum adverbiorum illativorum & allativorum sive exempla, in quibus haec adverbia, **quo sive ad quid (bonum) assequendum** aliquid fiat, exprimunt aut fere pro dativo commodi posita sunt, fusius examinemus. Nonnumquam in eius generis elocutionibus adverbia semantice etiam ablativo causae ita appropinquant, ut **quo** paene idem valeat atque **quare** aut **cur**, atque in elocutione **eo, ut...** quaerendum sit, utrum **eo** adverbium allativum sit (**eo, ut = ad id, ut**) an potius ablativus pronominis demonstrativi (**eo, ut = ea de causa, ut**). Supra²⁰⁷ protuli duo exempla Ciceroniana (Epist.Fam.13,69,1 et De orat.3,49,189), in quibus **eo, ut** et **eo, ne** in limite quodam causalium et finalium elocutionum versantur atque **eo** fere pro **eo consilio** positum est. Conferantur inter

se etiam hi loci Caesariani: Gall.4,2,1 Mercatoribus est aditus magis e o, ut, quae bello ceperint, quibus vendant, habeant, quam q u o ullam rem ad se importari desiderent (eo, ut... = ea de causa, ut... vel ad id assequendum, ut..., cum quo...desiderent non finaliter, sed potius causaliter pro eo, quod...desiderent dictum esse videatur; si finalem vim huic enuntiato secundario tribuere velis, necesse sit a priore eo, ut...habeant exemplum petere ac verbo desiderare omisso eo, ut ulla res ad se importetur scribere); ibid.1,48,2 Postridie eius diei praeter castra Caesaris suas copias traduxit et milibus passuum duobus ultra eum castra fecit e o c o n s i l i o, uti frumento commeatuque...Caesarem intercluderet.

In iis autem, quae infra enumero, exemplis quo et eo minus ambigue accipi possunt: non sunt ablativi pronominum, sed manifesto adverbia illativa & allativa semantice dativo commodi proxima, velut compendia elocutionum quo confert id, quod... et eo confert id, quod...: Cic.Or.Sest.13,29 Quid hoc homine facias? Aut q u o civem importunum aut q u o potius hostem tam sceleratum reserves?; Or.Cael.21,53 Dixit profecto, q u o vellet aurum; 2.Or.Verr.2,55, 137 Censores CXXX facti sunt; pecuniam illam ob censuram contra leges clam dederunt; haec denarium XXXVIII milia palam salvis legibus contulerunt in statuum. Primum q u o tantam pecuniam? Deinde quam ob rem censores ad statuum tibi conferebant?; Epist.Att.1,6 (10),4 (Kasten, p.14) ego omnes meas vindemiolas e o reservo, ut illud subsidium senectuti parem; 5,17,1 Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras; itaque e o me servavi; Epist. Fam.7,23,2 Ea enim signa ego emere soleo, quae ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palaestra locum. Martis vero signum q u o mihi pacis auctori (sc. emam)?; Sallust.Iug.24,10 e o natus sum, ut Iugurthae scelerum obtentui essem; Verg.Ecl.6,23 Q u o vincula nectitis?; Aen.2,150 Q u o molem hanc immanis equi statuere?; 12,879-880 Q u o vitam dedit aeternam? Cur mortis adempta est / condicio?; Hor.Od.2,3,9-11 Q u o pinus ingens albaque populus / umbram hospitem consociare amant / ramis?;²⁰⁸ Prop.4,3,51 Nam mihi q u o Poenis nunc purpura fulgeat ostris...?; Cvid.Metam.13,516-519 Q u o ferrea resto? / Quidve moror? Q u o me servas, annosa senectus? / Q u o, di crudeles, nisi quo nova fune-

ra cernam, / vivacem differtis anum? (hoc in exemplo quo quater occurrit; ultimum quo non est adverbium, verum coniunctioni finali ut respondet); Petron.97,9 **"Scio te", inquam, "Ascylte, ad occidendum me venisse. Q u o enim secures attulisti?"**. Ex elocutionibus apud iuris consultos occurrentibus commemorantur haec: Gaius, Dig. 16,1,13 **Q u o enim bonum est expectare condicionem?** et Ulp. ibid. 37,4,3,11 **cum...possit secundum tabulas habere possessionem, q u o bonum est ei contra tabulas dari?**.

Inter exempla supra enumerata praecipue notanda sunt Ciceroniana **Quo tantam pecuniam?** (2.Or.Verr.2,55,137) et **Martis vero signum quo mihi pacis auctori?** (Epist.Fam.7,23,2), ad quae tantum subaudiuntur normalia praedicata. Interrogativo adverbio quo hac significatione usurpato similia enuntiata elliptica etiam alias praesertim in poesi frequenter introducuntur: Hor.Sat.1,6,24-25 **Q u o tibi, Tulli, / sumere depositum clavum?** (quo fere pro **cuinam commodo** fuit), Epist.1,5,12 **Q u o mihi fortunam, si non conceditur uti?** (quo mihi fortunam fere pro **cuinam commodo mihi est fortunam habere**);²⁰⁹ Ovid.Am.2,19,7 **Q u o mihi fortunam, quae numquam fallere curet?**; ibid.3,4,41 **Q u o tibi formosam, si non nisi casta placebat?** (quo tibi formosam? fere pro **num tibi operae pretium erat formosam concupiscere?**); ibid.3,7,19 **q u o me iuvenemque virumque?** (fere pro **cui mihi commodo est iuvenem et virum esse?**); ibid.3,7,49 **Q u o mihi fortunae tantum? Q u o regna sine usu?**; ibid.3,8,47-48 **Q u o tibi turritis incingere moenibus urbes, / q u o tibi discordes addere in arma manus?**; Heroid.2,53 **q u o iam tot pignora nobis?**; Ars amat.1,303 **Q u o tibi, Pasiphae, pretiosas sumere vestes?**; Phaedr.3,18,9 **"Q u o mi", inquit, "mutam speciem, si vincor sono?"**; Martial.14,27,1-2 **Si mutare paras longaevos cana capillos, / accipe Mattiacas - q u o tibi calva? - pilas!** (quo tibi calva? fere pro **num tibi placet calvities?**); Iuven.15,61-62 **Et sane q u o tot rixantis milia turbae, / si vivunt omnes?** (fere pro **num operae pretium faciunt tot milia hominum turbulentam rixam moventium, si omnes vitam servant?**); Seneca, Tranquill.animi 9,4 **Q u o innumerabiles libros et bybliothecas, quarum domini vix tota vita indices perlegit?**; Ulp.Dig.4,6,26,4 **Hoc q u o? Ut...fiat restitutio.**

Adverbiis **eo** et **quo** ea, quae supra exposita est, ratione dativus commodi multo frequentius compensatur quam aliis adverbiis allativis. Nihilo minus horum quoque in eadem functione adhibitorum aliquot exempla sunt commemoranda. Ante omnia notetur **alio**, quod, ut iam in quarto capitulo²¹⁰ vidimus, duobus locis Livianis (4,54,7) et 7,18,7) elocutionibus **ad sacrificandum** et **ad serviendum** iuxtapositum aut in pro **ad aliam rem** adhibetur aut pro dativo **alii rei** (sive **aliae rei**).²¹¹ Item Cicero **alio** fere pro **ad alium usum** ponit scribens (Fin.2,9,27): **appellet haec desideria naturae, cupiditatis nomen servet a l i o**, itemque Seneca scribens (Consol.Polyb.18,4): **Potest quidem eloquentia tua, quae parva sunt, approbare pro magnis, rursus magna attenuare et ad minima deducere; sed a l i o istas vires servet suas, nunc tota se in solacium tuum conferat.** Quintilianus, cur hyperbaton sive verbi transgressio "non immerito inter virtutes" habeatur oratorias, docens (Inst.or.8,6,62-64) ita disserit (8,6,64): **Nec aliud potest sermonem facere numerosum, quam ordinis mutatio. Neque a l i o <in> ceris Platonis inventa sunt quattuor illa verba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piraeum se descendisse significat, plurimis modis scripta, <quam> quod eum quoque maxime <numerosum> facere experiretur.**²¹² Denique Suetonium proferatur exemplum (Aug.98,3) **cautionem exegit a singulis, non a l i o datam summam quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos (alio = in alias res).**

Adverbii huc similiter adhibiti certissima exempla sunt Cic.Epist. Fam.1,7,9 **te ita gerere volo, quae per exercitum atque imperium gerenda sunt, ut haec multo ante meditare, h u c te pares, haec cogites, ad haec te exerceas** (huc sermonis variandi causa positum est pro **ad haec** paulo post adhibitum) et Cels.5,19,21 **Rubrum quoque emplastrum, quod Ephesium vocatur, h u c aptum est, ubi huc idem valet atque ad haec vulnera curanda sive his vulneribus curandis.** Porro Vergilius verbo **cedere** quodam loco Aeneidis adverbium huc ita adiungit, ut pro dativo commodi adhibitum esse videatur: 7,632-636 **Tegmina tuta cavant capitum flectuntque salignas / umbonum cratis; alii thoracas aenos / aut levis ocreas lento ducunt argento; / vomeris h u c et falcis honos, h u c omnis aratri / cessit amor;**

recoquunt patrios fornacibus enses. Adverbium enim aut elocutionis **huic operi** vicem gerit aut dativo plurali **his** respondens ad arma militaria refertur modo enumerata, quae poeta tanto ardore excusa esse canit, ut omnia instrumenta agricoliarum (**vomer, aratrum, falx**) velut honore et amore privata iis "cederent", id est igne soluta et liquefacta rursus in enses transformarentur. Horum igitur versuum compendium quoddam trium verborum invenitur apud Ciceronem (Or. Philipp.2,8,20): **armis cessit toga.** Contrarii enim sunt versui Ciceroniano celeberrimo **Cedant arma togae, concedat laurea laudi** (Off.1,22,77), in quo verbum **cedere** (itemque compositum eius **concedere**) dativum regens eandem habet vim atque in versu Vergiliano.²¹³

Etiam elocutioni **opus est** adverbia allativa pro dativo aut praepositione **ad** cum accusativo adiungi posse vidimus.²¹⁴ Huius usus Plautina exempla tamen nonnihil ambigua sunt. In Bacch.218-220 **Edepol, Mnesiloche, ut hanc rem natam intellego, / quod ames, paratumst; quod des, inventost opus. / Nam i s t o c fortasse aurost opus** non pro certo constat, utrum **istoc** (= ad istam rem) an **istic** (= in ista re) genuina sit scriptura. In iis, quae Labrax leno dicit (Rud.725-727), **equidem istas iam ambas educam foras. / Tu, senex, si istas amas, h u c arido argentost opus; / si autem Veneri complacuerunt, habeat, si argentum dabit,** adverbium **huc** duabus rationibus intellegi potest. Forcellini in eo simpliciter anacoluthon quoddam cotidiani sermonis proprium videns adverbio puram localem vim tribuit (...**huc...argento opus est**, h.e. **afferatur argentum**),²¹⁵ tumque sub adverbio semantice latet elocutio **ad me** sive **mihi**.²¹⁶ At aequo iure **huc** ad enuntiatum secundarium praecedens referri posse existimaverim idemque significare atque **ad hoc**, id est **ad istas amandas** sive **ad meas ancillas mihi eripiendas** (cf. *ibid.* v. 712).²¹⁷ Simili ambiguitate Cicero adverbium **huc** ponit quodam loco epistulae suae, in qua Volumnio familiari de communibus suis cum Cassio et Dolabella studiis ita scribit (Epist. Fam.7,33,2): **Nam et Cassius tuus et Dolabella noster, vel potius uterque noster, studiis iisdem tenentur et meis aequissimis utuntur auribus. Opus est h u c limatulo et polito tuo iudicio: aut pro ad haec adhibitum est huc** aut pro (**hic**) **nobis**.²¹⁸ Porro duos locos Livianos comme-

moro, quibus atonum adverbium allativum quo in enuntiato secunda-
rio ad elocutiones usus est et opus est accedit: 26,9,9 **Alii acci-
piunt imperia disceduntque ad suas quisque officiorum partes; alii
offerunt se, si q u o usus operae sit; 27,28,5 parati milites es-
sent, qui in praesidio erant, si q u o opera eorum opus esset.** In
ambobus exemplis adverbio eadem functio syntactica est ac dativo
commodi indicanti, cui rei (sive ad quam rem) milites parati esse
debeant aut auxilio eorum opus sit.²¹⁹ Haud multum ab his locis
differunt Liv.36,1,9 **eaque urbanae legiones paratae essent, q u o
senatus censuisset** et 42,35,5 **is exercitus uti paratus esset, q u o
senatus censuisset**, ubi adverbium relativum quo tamen propius est
ad localem significationem; quamquam enim Livius rem non expressis
verbis dicit, manifesto ambobus locis non solum de peculiari mihi-
sterio subsidiario illarum legionum et copiarum agitur, sed etiam
de provincia aut regione, in quam senatus eas, si res poscat, sine
mora proficisci debere censet.²²⁰ Horatius etiam interrogativum ad-
verbium quorsum elocutioni opus est adiungit (Sat.2,7,116): "Unde
mihi lapidem?" "Q u o r s u m est opus?" "Unde sagittas?".

Denique peculiarem examinaverim locum Livianum, qui ambiguitate sua
difficultates interpretandi parans suspicionem praebet an non recte
traditus sit: 21,17,9 **Duas legiones Romanas et decem milia sociorum
peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia
e o d e m v e r s a in Punicum bellum habuit.** Ante omnia ambigi-
tur, utrum participium versa forma feminina sit et elocutioni Gal-
lia provincia adiungenda (id est Gallia provincia eodem versa in
Punicum bellum idem fere valeat atque Gallia provincia eidem peri-
culo, Punico bello, obiecta) an neutrum plurale, quo Livius dicere
velit duas legiones et decem milia sociorum peditum et mille equi-
tes socios et sescentos Romanos Galliam provinciam data esse ad
avertendum idem periculum, Punicum bellum.²²¹ Utcumque verba Livian-
a accipimus, manifesto eodem, si textum intactum relinquimus, elo-
cutione in Punicum bellum epexegetice excipi videtur ac fere pro ad
idem periculum (propulsandum) vel eidem periculo (propulsando) po-
situm esse.²²² At ipsum verbum **vertere** ita pro **obicere** aut **dare** ad-
hibitum non optime quadrat neque mihi eas, quas supra exposui, in-
terpretationes satis persuadet. Accedit quod illae copiae in Gal-

liam Cisalpinam initio non ad bellum Punicum avertendum, sed potius ad coercendos rebelles Gallos missae erant. Hac de re Melhuish in commentario suo monens aliquod verbum e textu excidisse suspicatur, e.g. post **eodem** participium **missa**, quo restituto omnia perspicua fiant: dictas copias eodem, scilicet in Galliam Cisalpinam, missas in bellum Punicum "versas" esse, id est mutato rerum statu ad Poenos inde repellendos transire iussas.²²³ Si textus hac ratione emendetur, adverbium **eodem** necesse est solitam localem habeat vim (= **in eandem regionem**). Equidem etiam sine ullo additamento iudicaverim verbo **vertere** talem significationem tribui posse; namque in eo, de quo agitur, capitulo Livius imprimis dicere studet Romanos, quos post excidium Sagunti tandem "pudor non lati auxilii et ira in Carthaginienses metusque de summa rerum" (21,16,2) cepisset, relictis ceteris muneribus atque supplicatione per urbem habita et dis adoratis (cf.21,17,4) universas opes **eodem** sive **ad eandem rem**, id est **ad arcendum Italia Hannibalem** vel **ad arcendos Italia Poenos** (cf.21,17,6) contulisse.²²⁴ Ita haud procul abest, quin sub adverbio **eodem** oblique ipsius Hannibalis persona lateat.

A D N O T A T I O N E S

1. PRAEFATIO

1. Palmén, *Arctos* II (1958), p.104-142; cf. etiam p.66.
2. Vide p.24-25.
3. Pekkanen, p.769. Vallinkoski (p.11) commemorat e 7177 dissertationibus academicis in Finnia annis 1640-1948 in lucem prolatis 4478 Latinas fuisse. Dissertatio Latina 4479^a in Finnia anno 1983^o in Universitate Jyväskyläensi edita est.

2. DE ADNOTATIONIBUS GRAMMATICORUM ET INVESTIGATORUM

1. Quae in adnotatione Servii hanc conclusionem praecedunt, ea in capitulo sexto (p.142-143) exscripta sunt.
2. Similia notat Servius etiam ad Aen.8,71 (vide p.80).
3. Locus Terentianus, quem Servius hic videlicet memoriae nimis confisus repetere conatur, est Adelph.361 **sed eccum Syrum ire video; h i n c scibo iam, ubi siet** (secundum codicem Bembinum). Cf. Hec.246 **atque eccum Phidippum optume video; h i n c iam scibo, hoc quid sit.**
4. Cf. Thes.Ling.Lat.VII 1, p.146, lin.79.
5. Sabbadini-Marchesi ad locum (p.19): **"unde, cioè ex condita urbe et inlatis deis."**
6. Cf. p.25 et 42-43.
7. De his viris doctis ac de disputationibus eorum Handius ipse refert in epistula a se Godofredo Hermanno, professori in Academia Lipsiensi ordinario scripta, quam in initio operis sui pro praefatione posuit (p.III-XVIII). In ea dicit Tursellinum anno 1598^o "parvum libellum in usum tironum" edidisse, qui deinde "aliorum additamentis" adeo "constipatus" esset, ut iam "primi auctoris manum vix" agnosceres (p.VI). Sese autem non "novam Tursellini editionem curare" instituisse, sed, cum videret "in Tursellini libro permulta et falsa et inutilia et aliena esse", pro adnotationibus, "quibus errores corrigerentur et omissae partes adderentur", omnino "novum librum" componere maluisse. Nihilo minus se "Tursellini nomen in titulo" servavisse "honoris causa, ne is, qui ante alios primus et inter primos diligentius hanc

rem" tractavisset ac "fundamenta huius doctrinae" iecisset, "oblivione hominum obrueretur" (p.V).

8. Infra adhibitis siglis (vide indicem librorum adhibitorum) enumerato potissima horum operum, quorum secundum quidem et ultimum iam undevicesimo saeculo edita sunt:

- Gustafsson, Dat.Lat. (1904), p.66.
- Hildebrand, Apul.(1842), p.558-559.
- Kühner-Stegmann II 2 (1971), p.284-285.
- Leumann-Hofmann-Szantyr (1972), p.208-210.
- Lindsay, Synt.Plaut.(1907), p.48 et 80.
- Löfstedt, Komm.(1911), p.180-181.
- Löfstedt, Synt.II (1956), p.149-151.
- Nägelsbach (1905), p.362-365.
- Pinchon (1972), p.8-19.
- Salonius (1920), p.211-216.
- Väänänen, Egér.(1989), p.98-99.
- Väänänen, Lat.volg.(1971), p.213-214 et 218-219.
- Wackernagel I (1950), p.298-300.
- Zumpt (1865), p.476.

9. In dicto opere (p.47-48) Pinkster monens, ne "historical derivation" et "synchronic derivation" inter se confundantur, recte docet ubi et domi historice in eandem terminationem locativi exire (quae etiam in istic et alibi et alicubi et **ibidem** invenitur), ac iure addit **si** et **uti** semantice localitate omnino carere nec syntactice pari ratione se gerere atque **ibi**. Idem p.66-67 commemorans quidem quaesitum esse, utrum quaedam adverbia, e.g. **hinc** et **huc**, cum casibus "lexematis" **hic** comparari possint, dubitare se dicit an parvi intersit talia perscrutari ("The question is whether we gain anything doing so... ..the profit of this argumentation is small"). Postea "Place Adverbials" attingens (p.77-78) ne mentionem quidem facit adverbiorum pronominalium, quorum nonnulla p.106 a "regularibus" adverbiiis omnino distinguit. In ima eadem pagina obiter dicit adverbium pronominale **hic** esse "a kind of transition marker in a continuous text ('at this moment')", ac p.115-116 **hinc** ('in consequence of this') inter "consecutive connectors" numerari posse. Alia argumentum meum attingentia in opere Pinksteriano paene nulla inveni; quod auctor adverbia Latina pro materia quidem adhibens ante omnia contemplationibus linguisticis generalibus dedicavit.

10. Cf. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.209.

11. Löfstedt, Komm. p.180-181.

12. Vide e.g. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.209: "...Der Gebrauch ist volks- und umgangssprachlich...und ging von da auch in die Kanzleisprache über."

13. Salonius, p.212-213.

14. Vide supra p.7.

15. Löfstedt, Synt.II, p. 149, Salonius, p.211.

16. E.g. Pinchon opus suum "Les pronoms adverbiaux **en** et **y**" (non "Les adverbies pronominaux...") inscripsit. Eadem appellatione utitur Robert in dictionario suo linguae Francogallicae s.v. **en** et **y**. Etymologicorum autem dictionariorum notissimi auctores eadem aut adverbia pronominalia appellant aut adverbia, quae usum pronominalem ("emploi pronominal") acceperint (e.g. Daudaz-Dubois-Mitterand et Bloch-Wartburg). Cf. Anglade, p.136: "**Y** < **ibi** et **en** < **inde** sont des adverbies de lieu, mais ils sont aussi pronoms: **j'y** pense, **j'en** parlerai." Quod ad **dont** attinet, de eo Jokinen (p.26) ita disserit: "Dans le système actuel des relatifs français **dont** occupe une place à part. C'est p.ex. le seul pronom dans la langue française qui est exclusivement relatif; de ce fait, toujours lié à une subordonnée; avec **en** c'est aussi le seul génitif du français. Historiquement **dont** est adverbe, mais le caractère adverbial ayant totalement disparu, nous ne voyons aucun inconvénient à l'appeler pronom relatif."

17. Pinchon, p.11. Cf. etiam p.19: "Du III^e siècle avant J.-C. au X^e siècle après J.-C., **inde** a largement dépassé ses emplois d'adverbe de lieu, alors que **ibi** a toujours opposé une résistance à sortir de sa valeur proprement locale."

18. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.209; Väänänen, Lat.volg. p.214.

19. Cf. Moliner I, p.1111 et Machado II, p.877, s.v. **ende**.

20. Pinchon (p.13) hunc locum citans **inde** pro **exinde** scribit.

21. Cf. Löfstedt, Synt.II, p.150.

22. Löfstedt, Synt.II, p.150.

23. Salonius, p.213-214: "Durch ihre vielfache Funktion hatten die pronominalen Adverbia **inde**, **unde**, **ubi** ihre ursprünglichen Bedeutungen allmählich eingebüsst, und deswegen verlangte der Deutlichkeitstrieb der Sprache neue Zusätze, auch wenn die Adverbia in ihren eigentlichen Funktionen verwendet wurden (wie **inde** > **exinde**). Dies wurde offenbar durch die zunehmende Vorliebe für vollere Formen gefördert und durch die Auflösung der einfachen Kasusformen durch Präposition + Kasus noch unterstützt. Wenn nun durch das pronominale Adverb ein demselben fremdes Verhältnis ausgedrückt werden sollte, fügte man einfach dieselbe Präposition, die bei dem entsprechenden Pronomen hätte stehen sollen, dem Adverb voran." - Löfstedt, Synt.II, p.150: "Die psychologische Ratio ist klar: weil **exhinc** an und für sich einem **ex his** gleichkam, ist es auch grammatisch so behandelt und durch das Relativum **quae** aufgenommen worden." - Ad haec problemata ipse in quinto capitulo (p.91-92) redeo.

24. Salonius, p.28 et 214.

25. Löfstedt quidem dubitat, an hoc loco textus corruptus sit (Synt.II, p.150): "...Im Hinblick auf den etwas unzuverlässigen Charakter der Ausgaben MIGNES sowie auf die aussergewöhnliche

Härte des Ausdrucks (ein derartiges **deinde** ist mir sonst nicht begegnet) möchte ich indessen vorläufig zu diesem Beispiel ein Fragezeichen setzen. Erst weitere Beispiele können hier völlige Klarheit schaffen."

26. Salonius, p.214.

27. Cf. Löfstedt, Synt.II, p.149.

28. Devoto & Oli, s.v. **donde**. Quamquam hoc et alia dictionaria docent **donde** adverbium et litterarium et poeticum et archaicum esse, tamen in normali quoque textu Italico interdum occurrit, e. g. in praefatione translationis orationum Ciceronis in Catilinam S. Rizzo ita scribit (Mazzolani, p.76): **La sua costruzione (= la costruzione della Curia) era attribuita a Tullo Ostilio d o n - d e (= dal che) la sua denominazione Curia Hostilia.**

29. Rekiaro, s.v. **darunter** (p.139). Cf. etiam Leumann-Hofmann-Szantyr, p.209: "...Ähnliches in deutschen Mundarten, s. Wunderlich-Reis, D. Satzbau II²273¹."

30. Hornby-Gatenby-Wakefield, s.v. **whereby** (p.1472).

31. Cf. Östergren, s.v. **var** (5. bandet, p.718).

3. QUO TENDAT HAEC INVESTIGATIO

1. Palmén, Arctos II, p.106.

2. Quamquam quivis fere auctor grammaticae Latinae hanc divisionem iam in morphologica parte eius facit, tamen manifestum est ipsas appellationes **personalia, possessiva, demonstrativa** etc. etiam ad syntaxim sive ad usum pronominum pertinere.

3. E.g. Zumpt, p.317, Throm, p.45-47.

4. Sub aspectu morphologico sive, ut aiunt investigatores moderni, in structura superficiali adverbia localia nihil commune habere possunt cum pronominibus personalibus aut possessivis; in profunda autem structura sive in usu eorum fieri potest, ut e.g. hinc pro a me dicatur vel a nobis et istic pro apud te vel apud vos. Ad hanc rem in septimo capitulo redibo.

5. Vide e.g. Walde-Hofmann, s.v. **uter**.

6. Etymologice adverbium **usquam** potius cum pronomine **quisquam** cohaeret.

7. Quibusdam horum adverbiorum et relativa et interrogativa et indefinita vis est atque etiam aliae peculiaritates semanticae.

8. Pro **utrubi** scribi potest **utrobi** (rarius **utribi**).

9. Vide p.9.

10. Vide p.86-89.

11. Adverbia **hac, illa(c), ea, qua** etc. etiam **prosecutiva** appellantur, e.g. Leumann-Hofmann-Szantyr, p. 130: "Beim Instrumental der Raumerstreckung (Prosecutivus) erscheint der Weg als Mittel zur Zurücklegung einer Strecke" eqs. At ego ea iuxta adverbia elativa et ablativa atque illativa et allativa nimiae varietatis vitandae causa **prolativa** nominare malo, quia haec quoque appellatio satis firmis fundamentis nititur. In lingua Finnica vetus casus prolativus, in quo hodie perpauca iam substantiva poni possunt, prope eandem habet functionem syntacticam atque ablativus viae Latinus, e.g. **meritse** 'per mare' sive 'via maritima', **maitse** 'per terram' sive 'via terrestri', **puhelimitse** 'telephono', 'per telephorum', 'telephonice'.

12. In lingua Hungarica est casus delativus, quo huius ipsius generis relationes exprimuntur, e.g. **Mindenutt a hã b o r ũ r ó l beszëlnek** 'Ubique de bello loquuntur' (Szinnyei, p.83).

13. Vide p.9 et 12.

14. Pariter e.g. 21,19,6 **ab Carthagine** et 21,22,5 **ab Gadibus**. Ad similem usum spectare videntur iam quidam Caesaris loci, e.g. Civ.1,11,4 **Itaque a b A r i m i n o M.Antonium cum cohortibus quinque Arretium mittit**. Cf. tamen Kraner-Hofmann-Meusel ad locum (p.29): "Ab wird den Städtenamen beigelegt, wenn von dem Fortgehen aus der Umgegend einer Stadt die Rede ist, oder wenn die Richtung von einem Ort her bezeichnet werden soll; z.B.3,23,1; 24,4; 80,4; 1,25,2; 78,1."

15. Cf. Handium I, p.413-414: "Nonius 12,19 'error consuetudinis **apud** pro **in** utitur. Itaque vitiose dicimus, quum nos in foro fuisse dicamus, **apud** forum fuisse, quum **apud** **iuxta** significet.' Quod tantum in quibusdam formulis adhibitum fuisse videtur a bonis quidem scriptoribus: **apud** **forum**, **apud** **villam**: comici et scriptores recentiores, praesertim Tacitus et Suetonius, de insulis et urbibus dicebant pro **in**." Cf. etiam Keil VII, p.31, 1.7 "item vitiose dicitur 'senatum habere **apud** **aedem** Apollinis', quod '**in aede**' dici soleat."

16. E.g. Tac. Ann.3,71,1 **apud Antium**, 4,13,1 **apud Asiam**, ...**apud Achaïam**, 6,20,5 **apud Rhodum**; Suet. Aug.92,4 **apud insulam Capreas**, 93,2 **apud Hierosolyma**, Peregr. Aeth.17,1 **apud Edessam**. Plura exempla praebent Thes. Ling. Lat. II, p.337. lin.61 p.338, lin.26, Handium I, p.414-415, Ernout-Thomas, p. 35 et 110.

17. In posteriore Latinitate etiam confusio quaestionum **ubi?** et **quo?** efficit, ut elocutiones inessivae et adessivae ab illativis et allativis haud facile discernantur; e.g. Apic.2,1,5 **commisces in caccabum** (pro ...**in caccabo**), Apul. Metam.9,39 **miles: "U b i"**, **inquit, "ducis asinum istum?"** (**ubi = quo**). Ad haec fusius perscrutanda in quarto capitulo (p.61-64) redeo.

18. Initio **ad**, velut praepositioni **a,ab** contraria, imprimis ad verba movendi videtur accessisse; sed iam inde ab aevo archaico tam frequenter etiam in elocutionibus ad quaestionem **ubi?** respondentibus occurrit, ut formaliter quoque non minus adessiva quam allativa haberi possit.

19. E.g. et inessivo Finnico **vuoressa** (Theodisce 'im Berge') et adessivo **vuorella** (Theodisce 'auf dem Berge') plerumque respondet elocutio Latina "inessiva" **in monte**; "adessiva" autem elocutio Latina **apud montem** Finnice redditur elocutione postpositionali **vuoren luona**. Simili ac **vuoressa** et **vuorella** ratione elativus **vuoresta** ('aus dem Berge') et ablativus **vuorelta** ('vom Berge') atque illativus **vuoreen** ('in den Berg') et allativus **vuorelle** ('auf den Berg') inter se differunt: nulla harum elocutionum ablativa aut allativa eo sensu, quem supra definivi, dici potest (cf. **vuoren luota** 'a monte' sive 'e vicinitate montis', **vuoren luo** 'ad montem' sive 'in vicinitatem montis'). Denique elativus Finnicus translata vi adhibitus etiam e.g. delativo Hungarico respondet: **puhua sodasta = a háborúról beszélni** ('de bello loqui').

20. Vide supra p.12-13.

21. Vide supra p.5 et 7.

22. Vide p.40-41; cf. p.19.

23. Vide p.32-35,43-46, 59-60, 71.

24. Accusativi in usum adverbialem petrificati sunt e.g. **domum, foras, partim, magnam partem**; ablativi e.g. **domo, foris, subito, magnopere**. Praeterea nonnulla adverbia linguarum Romanicarum originem trahunt e casibus Latinis adverbialiter usurpatis; e.g. Francogall. **toujours** (< **tuz jurs**) < ***totos diurnos**, Hisp. **ahora** (< **agora**) < **hac hora**, It. **ora** < **hora**. Morphema **-ment,-mente**, quo adverbia modalia in omnibus linguis Romanicis (excepta Daco-Romana) formantur, est ablativus petrificatus substantivi Latini **mens**; quae radices suas syntacticas habent in tali ablativo modi, qualis invenitur e.g. apud Ennium, Scaen. fragm.306 (Warmington I, p.330) **Stultus est, qui cupidamente cupiens cupienter cupit**, apud Catullum, 8,11 **sed obstinata mente perfer, obdura**, apud Apuleium, Metam.1,6,2 **Hunc talem, quamquam necessarium et summe cognitum, tamen dubiamente propius accessi**.

25. Horum amplorum lexicorum potissima sunt:

- Forcellini I-VI (1965),
- Georges I-II (1988),
- Lewis & Short (1969),
- Oxford Lat.Dictionary (recentissima editio 1994).

26. Haec in bibliographia enumerantur una cum editionibus et commentariis singulorum scriptorum.

4. OBSERVATIONES GENERALES

1. Wackernagel, p.298: "Bevor wir zur Aufzählung der Kasus übergehen, ist eine Vorfrage zu erledigen: wie sich Kasusform und Adverbium zu einander verhalten. Eine feste Grenzlinie gibt es nicht."
2. Vide p.19-20.
3. Vide e.g. Hakulinen, p. 105 et 229-230.
4. In eandem ac **tänne** terminationem exeunt **sinne** 'eo' et **minne** 'quo' et **jonne** 'quo' (relat.) et **jonnekin** 'aliquo'; quae omnia Häkkinen (p.123) ait verisimiliter alicuius generis casus lativos ("jonkinlaisia tulosijoja") fuisse, quamvis, qua ratione initio orta sint, difficile sit definire ("vaikka niiden alkuperäistä muodostustapaa onkin vaikea määritellä").
5. Cum in tribus ultimis exemplis etiam adverbium locale **hic** sit, non prorsus abest suspicio, quin in iis **proximae viciniae** et **meae viciniae** et **viciniae** non pro locativis, sed pro genitivis partitivis accipi debeant (cf. adn.106 huius capituli), quales p.64-71 examinantur. Morphologicis quidem rationibus talis explanatio excludi non potest, sed semantice et syntactice minus credibilis est. Elocutiones **ubi loci** et **hic** (**meae proximae**) **viciniae** eo inter se differunt, quod in illa **loci** nihil est nisi ornamentum rhetoricum, in hac autem (**meae proximae**) **viciniae** potius epegetice ad adverbium **hic** accedit (= **hic, id est meae proximae viciniae**). Confirmatur haec explanatio etiam primo exemplo (Racch.205), in quo **proximae viciniae** nullum adverbium locale iuxta se habens nisi pro locativo intellegi non potest.
6. Cf. quae Donatus ad Ter.Adelph.841 notat: "Veteres masculino genere dicebant lucem."
7. Cf. Handium II, p.409-410: "**Eo pro in eo loco, ibi**, ob ambiguitatem, ut videtur, nemo veterum scriptorum dixit. Quare si quando usurpabant, addiderunt genitivum **loci**....Aetatem suam prodidit falsus auctor Epistolarum ad Brutum, qui Ep.2 haec: **quinque autem cohortibus quidnam se facturum arbitratus est, quum tu e o quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes?**" (Handius quidem videlicet incuria ductus **quid se nam pro quidnam se** scripsit). Hic locus an haud recte traditus sit, recentiores editores Epistularum Ciceronis dubitant; e.g. Watt (vol.III, p. 113) adverbium **eo** crucibus criticis circumdedit.
8. Vide p.64-71.
9. Cf. p.41.
10. Hoc, de quo agitur, distichon Catulli multimodis disputatum alii aliter emendatum ediderunt. Non credibile est in versu pentametro codicum scripturas **millia** et **milia** e stilo Catulli existere, quippe quae omnem sententiam distichi obscuram relinquunt

(nisi forte malueris codicibus neglectis alia in eodem disticho audacter corrigere, quod fecit Schuster p.73). Verius, ut mihi videtur, Oksala (p.81-82) Callimacho nisus, quem imitatus est Catullus, **melina** scribendum esse censet; de oleo enim Cydoneo, velut naturali aut domestico unguento, hic optime agi posse. Ad argumenta ab Oksala prolata addiderim **melina**, ut vocabulum rarum, lectionem quae dicitur difficiliorē efficere, qualis a librariis rerum imperitis in vocabulum usitatius mutari solet.

11. Cf. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.131.

12. In plurimis grammaticis Latinis huic elocutioni localis origo tribuitur (e.g. Throm, p.160). Conferas tamen Riemann & Ernout, p.149, n.(2): "**terra marique** ne répondent pas originairement à la question **ubi**, mais à la question **qua**; cf. notre "par terre et par mer". Ce ne sont donc pas de véritables ablatifs locatifs." Etiam elocutionem **toto mari** aliasque eius similes Riemann & Ernout duobus modis adhibitae esse monent (p.150-151, n.4): 1) "Dans les phrases où il s'agit d'une action qui s'étend à un certain espace tout entier, on trouve presque toujours l'ablatif sans préposition: Cic.P.Flacc.,30, **qui...toto mari dispersi uagabantur**, Corn. Nép.Chabr.1,3 **hoc...tota Graecia fama celebratum est**. Mais des exemples pareils doivent peut-être plutôt être considérés comme des ablatifs de la question **qua** (**tota Graecia = per totam Graeciam**; cf. § 77 bis, Remarque) (et interprétés par conséquent comme des véritables instrumentaux.-A.E.) - 2) Là, au contraire, où il s'agit de savoir quelles sont, dans les limites d'un espace donné, les personnes ou les choses qui répondent à telle ou telle condition, l'ablatif du substantif accompagné de **totus** s'emploie tantôt avec **in**, tantôt sans **in**: Cic.De prov.cons.,7, **qui locus... in Graecia tota tam sanctus fuit...?** à côté de P.leg.Man.,31, **quis...toto mari locus...tam firmum habuit praesidium...?**

13. Jordan, p.178.

14. Nägelsbach, p.364. Fortasse "nicht ganz, aber fast so viel" scribens dicere vult hoc quoque loco connexionem inter **qua** et **in urbibus** similiter laxam haberi posse atque in exemplis a me supra primum prolatis (id est fere: **Quacumque iter faciebat, ibi multis illi in urbibus reficiendi se et curandi potestas fuit**).

15. Cf. Riemann & Ernout, p.168: "Par extension, le latin semble avoir employé l'ablatif, dans le sens de **per** avec l'accusatif, en plusieurs cas où l'on ne trouve plus aucune idée instrumentale; ainsi avec **totus**: **nuntios tota ciuitate (= per totam ciuitatem) Haeduorum dimittit** (Cés., De bell.Gall.7,38,10), cf. § 67 h, note; ou bien dans des phrases comme celles qui ont été citées § 71,r.II, cf. Cés., De bello Gall.,4,10,3 **longo spatium per fines Nantuatum, Heluetiorum, etc., citatus fertur**. - Voy. aussi T.Live,29,32,7 **ala equitum dispersa lato campo**." Denique non desunt exempla quodam modo contraria, in quibus **ibi** et **ubi** instrumentalem fere vim habent.

16. Cf.Löfstedt, Komm. p.125-127 et Väänänen, Eger. p.120. Ambo plura proferunt exempla; Löfstedt insuper de adverbio **qua** praeci-

pue in litteris serioris antiquitatis in varias functiones temporales et causales et modales transgresso fusius disserit.

17. Handius II, p.410-411: "De caussa dicitur **eo** pro **ea re**. Neque vero opus est, ut unum quoddam nomen intelligamus semper. Sed non tantum de re dicitur, qua aliquid factum est, quod est **dadurch**, sed etiam de re, propter quam aliquid fiat. Significat igitur **ideo, propterea**." Unum vero ex exemplis suis (Sallust. Catil. 21,3) Handius in hoc conexu incuria ductus et falso commemoravit et perperam excripsit: **eo consulem initium agendi facturum**. Vera textus forma est haec: **cum eo se consulem initium agendi facturum**. Nullus igitur ablativus instrumenti aut causae hic est, quia **cum eo = cum Antonio**.

18. Pinkster (p.156-157) **eo**, sicut **ideo** et **idcirco** et **propterea**, pro causali adverbio pronominali accipit et monet id aut ad priora aut ad sequentia referri (e.g. Cic. Div. 2,20,46 **Frater es. E o vereor**; Epist. Att. 9,21,1, Kasten, p.602, **sed ego e o nolo adesse, quod aut sic mihi dicendum est aut non veniendum**) atque ab **ergo** et **igitur** et **itaque** usu differre, quod haec semper ad priora referuntur neque umquam adhibentur "in a correlative pattern", id est relata ad enuntiata secundaria coniunctione causali aut finali incipientia.

19. Ita e.g. Sallust. Iug. 24,10 (vide p.53 et 185).

20. Vide supra p.5.

21. Vide e.g. Bloch-Wartburg, s.v. **car**, "conjonction. En outre **quar, quer**, en a.fr. Lat. **quare** "pourquoi" et "c'est pourquoi". Le premier de ces sens est très vivant dans l'a. pr. **car**, le deuxième vit en fr. jusqu'au XVI^e s. Le sens nettement causal, qui est le plus vivant en fr., apparaît aussi en lat., dans les textes très pop., dès le 1^{er} s."...

22. Cf. Ernout-Meillet, s.v. **inde**: "A juger par **hin-c istim il-lim** et par **exim**, l'élément **-de** serait une particule non essentielle à la forme, peut-être la même qu'on trouve avec **e** dans **de**; un **t** qui peut répondre à un ancien ***-de** figure dans des adverbes arméniens indiquant le point de départ: **anti** "de là", **usti** "d'où", **andust** "de là", etc. Mais on ne voit pas d'où sort la finale lat. **-im**; elle n'a de correspondant nulle part. Or, **unde** rappelle v. sl. **kođo, kođŭ** (**otŭ kođŭ** a le sens de **unde**), où il y a une nasale comme dans **inde, unde**."

23. Cf. Walde-Hofmann, s.v. **propalam** (sc. **viam?**).

24. Hos versus memorat Priscianus (Inst. 10,8, Keil II, p.501).

25. Lewis & Short, s.v. **cum** (p.494, columna media): "...If the clause does not define the noun, but is a co-ordinate designation of time, it follows the rule of adverbial clauses: **eodem anno, cum omnia infida Romanis essent, Capuae quoque conjurationes factae**, while, Liv. 9,26,5; Cic. Rep. 2,36,61; id. de Or. 2,3,12; Liv. 8, 15,1; 1,41,6. - **c**. Appositively added to temporal adverbs and to

dates" (elocutiones uncis inclusas auctores parum exacte enumeratas, ni fallor, volunt has esse: **heri, hodie, nudius tertius, olim, antea, nuper, postea**) "following the rules of adverbial clauses: **Crassus hodie, cum vos non adessetis, posuit idem, etc., Cic.de Or.2,10,41: omnia quae a te nudius tertius dicta sunt, cum docere velles, etc., id.N.D.3,7,18; id. Sest.48,103; id. Att.4,3,2; id. Inv.2,1,1; id. Rep.1,39,61; Caes.B.C.2,17 et saep. - So with dates (always subj. except with **cum haec scribebam, or dabam**): **posteaquam Pompeius apud populum ad VIII. Id.Febr., cum pro Milone diceret, clamore convicioque jactatus est, Cic.Fam.1,5 b, 1; 3,3,1; 3,4,1; 4,2,1; id. Att.14,19,1."****

26. E.g. Plautus scribens in Amph.91-92 **etiam, histriones anno quom in proscaenio hic / Iovem invocarunt, venit, auxilio is fuit** elocutione **quom** non utitur "attributively with a noun denoting time" (= **eo anno, quo**), sed coniunctione, qua enuntiatum secundarium temporale primario annectit; **anno**, ut alibi quoque in archaica Latinitate (e.g.Plaut.Men.205, Truc.393, Lucil.781), elocutio popularis est idem fere significans atque **anno praeterito vel abhinc annum**. - In versibus Ovidii Trist.4,10,5-6 **Editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris, / cum fato cecidit consul uterque pari** enuntiatum secundarium finale **ut tempora noris** tantummodo extraordinarium est ornamentum. Ergo **cum** non ad **tempora** refertur, sed coniunctio est, qua primarium enuntiatum continuatur; nam toto disticho Ovidius exacte annum suum natalem (a.u.c.711^{um} sive a.Chr.n.43^{um}) indicare vult.

27. Temporalem vim a locali hic haudquaquam multum differre ostendunt duae huius enuntiatii versiones Italicae: "...specialmente **quando** si debba accusare o confutare" (D'Arbela, p.275) et "...specialmente in quei luoghi **dove** si vuole accusare o confutare" (Norcio, p.941).

28. Handius I, p.219; cf. etiam Forcellini et Thes.Ling. Lat., s.v. **alias**. Priscum autem genetivum, parem atque in elocutione **paterfamilias**, in eo latere, ut nonnulli credunt (Lewis & Short, p.90, infima pars mediae columnae), parum veri simile videtur. Walde & Hofmann in dictionario suo etymologico - mirabile dictu! - hoc adverbium omnino omiserunt; item Sommer (1902) et Lundström (1962) et Ernout (1974) in operibus suis ad morphologiam historicam Latinam pertinentibus.

29. Handius I, p.224. Cf.Thes.Ling.Lat.I, p.1547-1549.

30. Handius I, p.224. Orsini quidem scripturam codicum **alias**, quod intellegam, sine satis firmis argumentis in **alia** (plur.acc.n.) mutandam esse censuit (vide Martha I, p.10).

31. Quorundam codicum scripturam **numquam alias** pro **nusquam alias** Handius (I, p.224) recte negat accipi posse; namque, ut e verbis praecedentibus manifesto patet, hic non de tempore, sed de loco agitur. Plinianum autem exemplum ab eodem commemoratum (Nat.hist.24,75,123) incertius est, plurimique Gronovium secuti id hac forma edunt: **Idaeus rubus appellatus est, quoniam in Ida non alius nascitur** (non; ...quoniam in Ida, non alias nascitur).

32. Cf. verba praecedentia, quibus eadem fere res exprimitur: **Memoria utrum habeat quiddam artificiosi an omnis a natura profisciscatur, a l i u d dicendi t e m p u s magis idoneum dabitur; n u n c proinde atque constet in hac re multum valere artem et praeceptionem, ita de ea re loquemur.**

33. Nonnulli editores **alias** in **alia** (sc. parte) corrigi oportere censuerunt (Handius I, p.225).

34. Handius I, p.225-226.

35. Exempla praebet Thes.Ling.Lat.I, p.1151, lin.36-54.

36. Hoc loco **alias**, quod ad functionem syntacticam attinet, comparari potest cum accusativo Graeco respectus sive limitationis, qui iam archaico aevo ortus in poesi Romana inde a Vergilio frequentissime occurrit ac postea aliquatenus etiam in prosam subrepat. Praecipue notanda est forma pluralis neutri generis **ce-tera**, quae non modo in poesi saepe usurpatur (e.g. Plaut.Mil. glor.927 **quiescas c e t e r a**, Verg.Aen.3.593-594 **dira illuvies, immissaque barba, / consertum tegumen spinis, at c e t e r a Graius**; Hor.Epist.1,10,50 **excepto, quod non simul esses, c e t e r a laetus**; Od.4,2,60 **c e t e r a fulvus**; Ovid.Epist. Pont.3,2,87-88 **Exstitit hoc unum, quo non convenerit illis, / c e t e r a par concors et sine lite fuit**), sed etiam in prosa nonnumquam occurrit (e.g. Sallust. Iug.19,7 **Bocchus praeter nomen c e t e r a ignarus populi Romani**, Hist.fragm.4,70 **c e t e r a egregius**, Liv.1,32,2 **proximum regnum, c e t e r a egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat; 1,35,6 ergo virum c e t e r a egregium secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est; 21,8,10 missile telum hastili abiegnio et c e t e r a tereti praeterquam ad extremum**). Cf. Handium p.40-43, ubi plura enumerantur exempla (etiam e litteris aetatis imperatorum petita) et res fusius examinatur.

37. Vide Thes.Ling.Lat.I, p.1549, lin.15-18. Forcellini & alii (vol.I, p. 176), quod intellegam, falso contendunt **alias** in hac elocutione ad quaestionem **quo?** respondere pariterque ad quaestionem **quorsum** alio Digestorum loco: Gaius, Dig.41,1,7, § 5 **Quod si ...toto naturali alveo relicto flumen a l i a s fluere coeperit...** Verisimillime tamen **alias** hic quoque idem significat atque **alia via** vel **alio alveo** sive **per alium alveum**. Omnino vix credibile est **alias**, licet sit "accusativus adiectivi **alius** eadem forma qua **foras**, adverbii modo positus", umquam significasse **versus aliam partem** aut Theodisce 'anderswohin' reddi posse, quod contendit Georges (I, p.310). Equidem nullum usquam inveni exemplum, in quo adverbium **alias** haud dubie illativa significatione sit adhibitum.

38. Cf. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.22 et 30.

39. Gustafsson, Dat.Lat. p.6: "...in latino sermone haud dubia restant vestigia dativorum, quibus localis notio inest nativa, non aliunde sumpta, exterior illa quidem et indefinita vicinitatis maxime, cui quis proximus est vel cui appropinquat".

40. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.86-87 et Löfstedt, Synt.I, p.175.
41. Handius (II, p.409), s.v. eo.
42. Forcellini, s.v. eo.
43. Forcellini, s.v. quo.
44. Riemann & Ernout, p.108: "...Cette étymologie est aujourd'hui complètement abandonnée. - A.E."
45. Ernout, Morphologie, p.94.
46. Walde-Hofmann, s.v. huc.
47. Heinichen, s.v. eo et quo.
48. Georges et Lewis & Short, s.v. eo et quo.
49. Oxford Lat.Dictionary et Ernout-Meillet, s.v. eo et quo.
50. E.g. Plaut.Mil.glor.348 **hic e a e proxumust** (eae = ei); Cat.Agr.46,1 **quam simillimum genus terrae e a e , ubi semina positurus eris** (eae = ei vel eius). Cf. etiam 14,3 **hae rei** (= **huic rei**), Plaut.Rud.750 **huic alterae** (= **huic alteri**), Ter.Heaut.271 et Phorm.928 **alterae** (= **alteri**), Caes.Gall.5,27,5 **alterae legioni** (ita in classe codicum α ; in classe β **alteri legioni**); Cato,Agr.19,1 **unae fibulae** (= **uni fibulae**); Ter.Eun.1004 **mihi solae** (= **mihi soli**), Prop.1,20,35 **nullae...curae** (= **nulli...curae**), Tib.3,12,9 = 4,6,9 **ullae...puellae** (= **ulli...puellae**): Plaut.fragm. (Varro, Ling.Lat.7,103) **totae familiae** (= **toti familiae**), Nepos, Timol.3,2 **totae insulae** (= **toti insulae**). Numerales **unus** ac pronominalia **nullus** et **totus** etiam masculini aut neutri generis substantivis attributa interdum dativi in -o exeuntis praebent exempla, quorum quidem nonnulla an recte tradita sint, incertum est: Varro,Rust.1,18,6 **uno operario** (= **uni operario**); Caes.Gall.6,13,1 **nullo...consilio** (= **nulli...consilio**), Caes.Civ.2,7,1 **nullo usui** (= **nulli usui**); Gall.7,89 **toto exercitui** (= **toti exercitui**), Prop.3.11.57 **toto...orbi** (= **toti...orbi**), Ovid.Am.3,3,41 **toto...caelo** (= **toti...caelo**). In nonnullis quidem horum exemplorum dativus singularis pronominalis aut pronominalis in -o aut -ae exiens potius ex analogia secundae aut primae declinationis natus haberi debet quam pro documento servatae originalis terminationis.
51. Ernout, Morphologie, p. 93-94: A côté du datif normal en -i, issu de -ei, se sont répandus de bonne heure, d'après l'analogie des autres formes appartenant aux thèmes en -o/e- et en -a-, des datifs **isto, illo, istae, illae**. Plaute a déjà, Truc.790, **istae dedi** et Stich.560, **filiae illae**. A l'époque impériale on lit à Pompéi, C.I.L.IV,1824: **quit (= quid) ego non possim caput illae frangere fuste?...** Paulo post (p.98) enumeratas similes formas pronominalium maxime in litteris archaici aevi occurrentes (cf. notam 50^{am}) ita explicat: "Tous ces adjectifs ont le génitif en

-ius, le datif en -i; mais, d'après l'analogie des thèmes en -o/e- la langue a créé des génitifs en -i,-ae, et des datifs en -o,-ae. Les formes anciennes ne sont pas maintenues que par l'influence des grammairiens, mais ont disparu de bonne heure de la langue populaire".

52. Cf. Ernout, Morphologie, p. 29: "...La désinence ancienne du datif était -oi, osq *húrtúi* "horto", cf. gr. *λόγω* ..., et le grammairien Marius Victorinus, G.L. VI, 17 K., mentionne un datif **populoi romanoi**. La diphtongue à premier élément long -oi s'est réduite à -o, comme en grec où l'ι souscrit ne se prononçait pas. Il y a donc contraste entre le traitement de -ai aboutissant à -ae, datif **rosae**, et -oi aboutissant à -o: dat. **domino**." Fibula quidem quae dicitur Praenestina atque forma archaica **Numasioi** in ea occurrens, cuius mentionem Ernout facit, pro testimonio vix proferri potest, quia hodie non abest suspicio, quin falsa sit.

53. Eandem fere, ni fallor, opinionem expressit Löfstedt his verbis (Synt.I, p. 179-180): "Ohne auf weitere Einzelheiten einzugehen, darf man im allgemeinen ruhig behaupten, dass eine Theorie, die den Dativ ohne weiteres als Lokalkasus erklärt, jeder syntaktischen Wahrscheinlichkeit entbehrt. Etwas anders gestaltet sich m.E. das Urteil, wenn man etwa im Sinne Solmsens eine Verschmelzung verschiedener Kasusbildungen mit verschiedener Bedeutung annimmt. Gegen eine solche Hypothese lassen sich von seiten der Syntax kaum irgendwelche schwerwiegendere Einwände erheben. Denn ohne Zweifel gibt es namentlich in anderen Sprachen einzelne Dativausdrücke, die sich am ungezwungensten aus einer lokalen Grundbedeutung herleiten lassen."

54. Synt.I, p.187-193.

55. Löfstedt (Synt. I, p.190) tria profert exempla (Bell.Hisp. 16,3 **oppido represserunt**, 38,6 **munitiones iugo derigunt**, 40,1 **se recepit castello**), quae tamen incerta esse censeo. Primum eorum A.G.Way (p.337) reddit quidem Anglice: "...drove them back to the town", simul tamen adnotat (p.336): "Or, if **oppido** is the adverb, 'completely drove them back'"; in secundo exemplo idem **iugo** potius pro ablativo accipit ("along the high ground"). In tertio exemplo **castello** etiam ablativus esse potest, sicut Cicero elocutionem **civitate recipere** (Balb.14,32) adhibet eadem vi atque **in civitatem recipere** (Balb.12,29).

56. Ad exempla Löfstedtiana adicere velim unum, in quo dativus, etsi non localiter adhibitus est, tamen contagionem quandam cum locali significatione habet. Livius scribit 21,2,2 **Hamilcare duce Poenos arma Italiae illaturos fuisse, quae Hannibalis ductu intulerunt**. Cur **Italiae** neque **Romanis** aut **populo Romano**, cum idem in initio tertiae decadis (21,1,1) nominatim praefatus sit se bellum descripturum, "quod Carthaginienses cum populo Romano gessere"? Manifesto hic id, quod post bella a patre Hamilcare in Africa et in Hispania gesta Hannibal praeter omnium expectationem ultro **in ipsam Italiam** invasit, praecipuum habet pondus; sub verbis igitur Livianis **Poenos arma Italiae illaturos fuisse** latet sensus **Poenos exercitu armato in Italiam invasuros fuisse**.

Quantulum dativus interdum a locali significatione absit, etiam ex eo patet, quod elocutio **vim facere**, quae, sicut **arma inferre**, dativum regere solet, fere in significationem **impetum facere** sive **per vim penetrare** transgressa illativo adverbio locali excipi potest, e.g. Liv.9,27,4 **quibus** (sc. **equitibus**) **praeceptum erat, intentiores ad respectum castrorum, ne qua e o vis fieret, quam ad proelium starent**; 21,28,4 **Galli, postquam u t r o q u e vim facere conati pellebantur, qua patere visum maxime iter, perrumpunt** (quod sciam, omnes editores hanc lectionem recentiorum codicum acceperunt, quamquam in veterrimis codicibus legitur **ultrouque**).

57. Cf. Löfstedt, Synt.I, p.190-191 et Leumann-Hofmann-Szantyr, s.100-101.

58. In textu Graeco originali legitur *εἰς Ἱεροσόλυμα*.

59. E.g. in elocutione **Carthagini revocavit** (Vict.Vit.3,39) **Carthagini** etiam locativus esse potest (cf.p.30), quia illa aetate elocutiones inessivae et illativae iam inter se confusae erant. Cf. quae dicunt Salonius p.150-151, Löfstedt, Synt.I, p.190-193, Leumann-Hofmann-Szantyr p.100-101 et 149, Pitkäranta p.44.

60. Cf. ea, quae de ablativo causae supra p.41-42 disserui.

61. Ad elocutionem **nusquam alio...quam ad...** (pro **ad nullam aliam rem...quam ad...**), praesertim ad adverbium **nusquam** in illativam vim transgressum redeo p.64 et 116 et 173).

62. Riemann & Ernout, p.171 et Ernout-Thomas, p.96: **si quo opera eorum opus esset** (Liv.27,28,5) "si à quelque égard (**quo**) on avait besoin d'eux".

63. Nägelsbach p.363: Liv.27,28,5 **parati milites essent, si quo (ad aliquam rem) opera eorum opus esset**. Similiter hunc locum Theodisce interpretatus est Gärtner (p.411): "Die Soldaten, die dort als Besatzung lagen, sollten bereit sein, wenn ihre Dienste z u i r g e n d e i n e m Z w e c k e gebraucht würden". Quod ad rem ipsam a Livio narratam attinet, nimirum haud magni interest, utrum **quo** Francogallice 'à quelque égard' reddatur an 'pour quelque but' aut 'en vue de quelque chose', sed haec duo utique elocutioni Livianae propiora esse existimo. Cf. etiam Plaut.Rud. 726, Cic.Epist.Fam.7,33,2, Caes.Gall.2,8,5, Liv.26,9,9 et 42,35,5 et 43,12,6, de quibus locis in sexto capitulo fusius dissero (vide p.188-189).

64. Lectio Weissenborniana **quo** ab editoribus Livii vulgo accepta est; codicum scriptura **cum** necesse est corrupta sit. Vide Thes. Ling.Lat.VII 1, p.1723, lin.45-47.

65. Cf. supra p.6, ubi mentionem feci duarum rationum, quibus relatio partitiva exprimi potest: genetivi **eorum** et elocutionis praepositionalis **ex iis**. Insuper commemoretur elocutio **de iis**, quae linguis Romanicis quodam modo propior est, quia praepositio **de** in eas transiit.

66. Vide p.23.
67. Vide p.23.
68. Cf. Ernout-Thomas, p.91.
69. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.214-215, Ernout-Thomas, p.9-11.
70. Non solum in Latinitate, sed in Germanicis quoque linguis multae particulae sunt simul praepositiones et praefixa verborum (e.g. Theod. **durchgehen**, Suetic. **genomgå**). Anglicae autem linguae peculiaritas est consuetudo praepositionem a nomine, quod ad eam accedit, ita separandi, ut in enuntiato interrogativo et relativo ultima collocetur: **Whom did you go with?**, **The town that he lives in...** Item in lingua Suetica: **Saken som vi talade om...** (cf. p.14).
71. E.g. Caes.Gall.2,33,5 **occisis ad hominum milibus quattuor**; Liv.23,37,6 **ad mille trecenti**. Cf. Thes.Ling.Lat. I, p.516, lin. 70 - p.518, lin.2 (ubi quidem aliena quoque ab hoc conexu exempla sunt), Handium I, p.102-103, Riemann & Ernout p.212, ubi etiam exemplum particulae **supra** similiter adhibitae profertur: Liv.30, 6,9 **supra duo milia septingenti** (**supra = plus quam**). - In uno e locis ab Handio commemoratis (Cic.Epist.Quint.fratr.2,1 **sane frequentes fuimus omnino, ad ducentos**) particula **ad** quodam modo simul adverbium et praepositio est; idem enim significat atque **circiter**, sed nihilo minus cum accusativo coniungitur. Cf. particulam Russicam **около** 'circa', quae etiam in significatione 'circiter' genitivum regit: **около двух лет** 'circiter duo anni' vel 'circiter duos annos'; **около ста человек** 'circiter centum homines' (Kuusinen-Ollikainen, p.478, s.v. **около**).
72. E.g. Sallust.Catil.36,2 **diem statuit, ante quam liceret... ab armis discedere, praeter rerum capitalium damnatis** (**praeter damnatis = omnibus praeter damnatos**); Suet.Claud. 4,12 **eum nullo praeter auguralis sacerdotii honore impertitum** (**nullo praeter... honore = nullo nisi...honore**); Ner.56 **Religionum usquequaque contemptor praeter unius deae Syriae**; Gell.1,23,13 **uti pueri in curiam ne introeant praeter unius Papirius**. Alia exempla particulae **praeter** cum nominativo coniunctae sunt Iustin.13,5,12 et Peregr. Aeth.27,6 (cf. Handium IV, p. 543-544, Krebs II, p.368-369, Lewis & Short, s.v. **praeter**, p.1433-1434, Löfstedt, Komm., p.299-300, Väänänen, Eger.p.101). Macrobius capitulum illud Gellianum (1,23) alioquin fideliter repetens (Sat.1,6,19-25) particulam **praeter** in veram praepositionem mutat: **...praeter illum unum Papirium...**
73. Peregr.Aeth.24,1 **descendent omnes monazontes et parthene... et non solum hii, sed et laici praeter, viri aut mulieres**. Cf. Löfstedt, Komm. p.280-281.
74. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.215: "...So hatte z.B. idg.*en (lat. in) anfänglich keine andere Funktion als etwa in historischer Zeit **intus** in Fällen wie Plt.Cas.763 **omnes festinant intus**

totis aedibus; es diente lediglich als nähere appositionelle Fixierung des lokalen Abl. (s. Brugmann a.O.776)".

75. Ernout-Meillet s.v. **in**, p.313: "Apul.Met.8,29, **intus aedium**, sans doute d'après gr. *ἐντὸς οἰκίας*." Cf. etiam Thes. Ling.Lat.VII 2, s.v. **intus**, p.107, lin.55-68.

76. Cf. p.64-71.

77. Cf. supra p.12-13, 24.

78. Cf. Bloch-Wartburg, s.v. **dans**: "Lat. de basse ép. **deintus** 'dedans', adv. comp. de **de** et de **intus**, de même sens, d'où vient l'a.fr. **enz**, disparu vers le XVI^e s. **Dans** est peu usité en a.fr.; le comp. **dedans**, XI^e (Alexis), à la fois adv. et prép., est préféré jusqu'au XVI^e s., à partir duquel il se restreint à la valeur adverbiale, fixée au XVII^e s., tandis que **dans** se développe comme prép. au détriment de **en** dont l'emploi devant l'article avait abouti à des formes complexes qui se sont éliminées..."

79. Secundum Ernout-Thomas (p.118) **ergo** "semble être composé de **ex** et de l'ablatif du substantif verbal de **rego** 'je dirige'".

80. Jones ad locum haec notat (p.182): "...Possibly, as Lindsay suggests, the phrase was originally an abl.abs. (**osse fini**, lit. 'the bone being the limit')..." Linkomies autem (Flinck-Linkomies, p.49), etsi concedit elocutionem **osse fini** a vi instrumentali ablativi esse deducendam ('mit dem Knochen als Endpunkt'), tamen negat usum ablativi in ea ullo modo "ad absolutam vim" progressum esse, quia talis elocutio "posteriore aetate iam non usurpatur, verum instrumentalis sociativi est forma prisca aetate nata, ex qua nulla via ad absolutum usum ducit. Postea ablativus 'fini' vel 'fine' cum genetivo postpositionis vice fungitur, ad quem usum iam apud Plautum magisque etiam apud Catonem inclinatur."

81. Secundum Ernout-Thomas (p.118) **tenus** primo fuit "substantif neutre parent de **teneo**".

82. Vide Thes.Ling.Lat.VI 1, p.799, lin.55-61; cf. etiam p.796, lin.10.

83. Forcellini III, p.1026-1027.

84. Ita iudicavit etiam Packard (Vol. IV, p.46).

85. Vide e.g. Hammarström, p.214, s.v. **quoad**.

86. Du Cange VI, p.617; cf. Krebs II, p.464-465 s.v. **quoad**.

87. Haec sunt inter alia Plaut.Men.799 et Cic.Or.Cluent.30,83.

88. In hoc versu pentametro **unde** pariter pro **ubi** positum est atque in quibusdam exemplis a Svennung p.614 prolatis. Frustra igitur idem Svennung p.616 (not.1) versum Venantii Fortunati inter "Ausdrücke mit Attraktion" enumerat, ut Jordan.Get.39,205

i n d e...victoriam quaerere, u n d e se continet bellum (= exercitus), quo loco revera unde pro ubi substitutum attractioni adverbii inde in enuntiato primario occurrenti tribuendum est.

89. Svennung, p.383: "...die letztere Gruppe, wo der terminus in quem verwendet wird statt d.t. in quo..."

90. Svennung, p.384-387.

91. Thes.Ling.Lat.II, p.917, lin.47-64.

92. Plura exempla in Thes.Ling.Lat.VII 1, p.387, lin.46 -55.

93. Adverbium Francogallicum **y** alii ex **hic**, alii ex **ibi** Latino evolutum esse existimant (Pinchon, p.14-15). E.g. Dauzat-Dubois-Mitterand et Bloch-Wartburg id ab **hic** derivare malunt (s.v.); Anglade autem potius ad **ibi** id referri credit (p.136). In adverbio **ici** < **ecce hic** (secundum Dauzat-Dubois-Mitterand, s.v.) "le **i** initial vient de **illuec** (lat. ***illoc**) ou de **hic**, **ici**". Italicum **vi** < Lat. **ibi** et **lî** < **illic**. Ex **ubi** Latino evoluta sunt oû Franco-gallicum et **ove** Italicum (It. **dove** < ***de ubi**). Hispanicum **ahí** < ***ad hic** et **allí** < ***ad illic**.

94. Ad exempla a Svennung prolata pauca adnotaverim. Ut ipse quoque concedit (in nota p.388), incertum est, utrum **hic** an **huc** genuina sit scriptura apud Plautum Aul.666, Cist.534, Most.1095, Pseud.639, Stichus 150 et 743; in Amph.366 autem (p.387) **istic** vix ad verbum **advenisti**, sed potius ad pronomen **tu** accedit, ut Amph.575,747 et Men.651,653,937 et Merc.759 (**tu istic = tu, qui istic es**, nisi forte **istic** potius pronomen est quam adverbium). In aliis exemplis Plautinis a Svennung p.387 commemoratis (Persa 731, Epid.361, Stichus 682) elocutiones locales **domi** et **hic** non necessario ad participium verbi **advenire** accedunt, sed etiam finitis verborum formis (**transcidi, fias, curabo**) regi possunt (cf. Thes.Ling.Lat. V 1, p.1957, lin.53-78). Quod ad Mil.glor.134-135 **is in proximo hic devortitur / apud suom paternum hospitem** attinet, ubi ad verbum **devorti** aliter atque in Mil.glor.741 ac Pseud. Pseud.658 et 961 non illativae & allativae, sed inessivae & adessivae elocutiones accedunt (Svennung, p.386), in iis hoc loco nihil extraordinarium esse censeo; potius dixerim ipsum verbum **devortitur** populariter pro **devorsatur** (vel **commoratur**) positum durativo, non terminativo aspectu adhibitum esse ideoque elocutiones ad quaestionem **ubi?** respondententes ei aptius annecti. Denique in Trin.202 **me...cum illis una i b i d e m traho** et 412 **I b i d e m una traho** adverbium **ibidem** non illative pro **eodem** positum esse existimaverim, ut aiunt Lewis & Short (s.v. **ibidem**, p.875, col.media; cf. Svennung, p.388), sed haec exempla Plautina, ut docet Thes.Ling.Lat. (VII 1, p.155, lin.44-45), "vix huc spectant". Ad ea in capitulo sexto (p.95) redeo.

95. Item e.g. Pall.5,7,3 **i b i mel...mittes** (pro **ibi mel...pones** vel **eo mel...mittes**). In vulgari sermone senioris Latinitatis in functionem et significationem verbi **ponere** paulatim transiit **mittere**, quod etiam linguis Romanicis confirmatur (**mittere** > it. **mettere**, Francogall.**mettre**, Hisp.et Portugall.**meter**).

96. Vide p.54.

97. Aliis quoque locis, quibus Lewis & Short **usquam** modaliter accipiunt atque Anglice elocutione **at all** reddunt (p.1937, s.v. **usquam**, II, B, 2), adverbium potius idem valet atque **quoquam**, scilicet Cic.Or.Philipp.1,1,1 **Nec vero usquam discedebam**; Varro, Rust.2,4,11 **vere sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi usquam**; Ovid.Metam.4,551-553 **Nam quae praecipue fuerat pia, "Prosequar", inquit, / "in freta reginam", saltumque datura moveri / haud usquam potuit scopuloque adfixa cohaesit.**

98. Vide p.31-32 et 56-57.

99. **Ubinam gentium sumus?** a Kasten (Or.Cic. p.171) Theodisce ita redditur: "Wo in aller Welt befinden wir uns eigentlich?", a Lord (p.23) Anglice: "Where in the world are we?", a Mazzolani autem Italice (p. 95): "In qual parte del mondo ci troviamo?"

100. Cf. etiam Cic.Epist.Att.6,3,1 **res enim est in manibus, tu autem abes longe gentium.**

101. In aliis quoque linguis similia reperiuntur, e.g. Angl. **never in the world**, Theod. **nicht um alles in der Welt**, Suetic. **nej för allt i världen**, Finn. **ei ikimaaailmassa**; in quibus tamen genetivo partitivo Latino **gentium** respondent elocutiones locales.

102. Cf. inter alia etiam D.Brut.(apud Ciceronem, Epist.Fam.11, 1,3) **migrandum Rhodum aut aliquo terrarum arbitror.** Apud Livium quoque similes elocutiones occurrunt: 22,33,6 **usquam terrarum**, 39,54,8 **quo terrarum.**

103. In seriore Latinitate etiam aliae elocutiones temporales ex adverbio et genetivo partitivo compositae sunt: Iustin.31,2,6 **tum temporis** (pro eo tempore), 1,4,4 et 3,6,6 et 8,3,7 et 12,2,7 atque Apul.Metam.3,4,2 et 11,24,1 **tunc temporis** (cf.Cic.Catil.1, 4,10 et Fin.5,1,1 **id temporis**). In Flor.16 (Helm II 2, p.30,1.30) Apuleius finem periodi verbosissimae, in qua libri sui futuri facit mentionem, duobus phraseologicis genetivis partitivis exornat: **...uti... (sc. is liber) laudes benefacti tui ubi que gentium semper annorum repraesentet.**

104. Alii hoc loco non **post ea loci**, sed **postea loci** scribendum esse credunt. Cf. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.53-54: "Falscher Archaismus nach **postid** (= **post**) **locorum** ist Sall.Iug.72,2 **post id locorum** (vgl. auch Iug.102,1 **postea loci** nach **interea l.**)."

105. Naturam ornativam genetivi partitivi **rerum** id quoque ostendit, quod in poesi nonnumquam superlativis non solum in feminino, sed etiam in masculino et neutro genere positus adiungitur: Ovid. Heroid.9,107 **maxime rerum**, Heroid.4,125 et Ars amat.1,213 et Metam.8,49 **pulcherrime rerum**, Metam.12,502-503 **fortissima rerum / ...animalia**. Quod ad Hor.Sat.1,9,4 attinet, quaeri potest, utrum **Quid agis, dulcissime rerum?** legendum sit, sicut editores vulgo

faciunt, an potius **Quid agis, dulcissime, rerum?** (Doering II, p. 71). Cf. Catull.28,4 **quid rerum geritis.**

106. Marouzeau in apparatu critico, qua editionem suam Andriae Terentii instruxit, (p.128), non solum lectiones diversas huius loci enumerat, sed etiam commentarios grammaticorum attingit: **huc uiciniae** C² edd., (cf.Ph.95 **hic uiciniae**): **huic uiciniae**, P¹C¹ **huic uiciniae** DGEP²C² Non.p.499 (qui adnotat: "datius pro accusatiuo") Prisc.II,p.187 Don.et hoc loco et And.105, Ad.618, Ph.95, 368 (adnotandum tamen Donatum hoc loco conferre **adhuc locorum**, quod uidetur referendum ad **huc uiciniae**; idem Don. hoc loco admet: "legitur et **uiciniam**"). Cf. Handium III, p.107: "...quod afferunt Terent.Andr.1,1,43. **ex Andro commigravit huc viciniae**: reicitur et testimoniis Nonii Marcelli 9.7. et Prisciani p.1101. et libris scriptis, qui exhibent **huic viciniae**." Spengel (p.151) commemoratis elocutionibus inessivis Plaut.Bacch.205 **proximae viciniae** et Mil.glor.273 **hic proximae viciniae** et Ter.Phorm.85 **hic viciniae** (cf.p.3f) comparatoque cum iis loco Plautino Most.1062 **foris concrepuit proxima vicinia** concludit ex analogia etiam **huc viciniam** dici solitum esse: "Somit musste an unserer Stelle **uiciniam** statt des überlieferten **uiciniae** geschrieben werden, eine Lesart, welche ohne Zweifel in der Handschr. C vor der Rasur enthalten war und die auch bereits Donatus als Variante erwähnt". Huic lectioni circiter respondet translatio Francogallica "ici près" (Marouzeau). Secundum Leumann-Hofmann-Szantyr (p.54) "**huc viciniae** Ter.Andr.70 enthält (trotz Zimmermann, Ph.W 1932, 93) lokativisches **viciniae**, übertragen aus **hic v.**, s.Hofmann, GGA 1922,268>"; secundum Ernout-Thomas autem (p. 97) "dans un emploi à la question **quo**, comme Tér.An.70: **ex Andro commigravit huc uiciniae**, la forme **uiciniae** ne peut plus être qu'un génitif".

107. Vide e.g. Kühner-Stegmann II 2, p.230 et 430-433; Leumann-Hofmann-Szantyr, p.52-54.

108. Consecutiva vis in negativis enuntiatis secundariis plerumque non coniunctione **ne**, sed elocutionibus, in quibus negatio a coniunctione separata est, exprimitur (e.g. **ut...non, ut nemo, ut nihil** pro **ne, ne quis, ne quid**). Interdum tamen, praecipue post verba efficiendi et assequendi, elocutiones revera consecutivae velut vestitu finali induuntur, e.g. Cic.Or.Mil.13,34 **Vos adepti estis, ne quem civem metueretis**; Quint.Inst.or.9,2,62 **hic Cicero consequitur, ne, cum morbum in signis atque tabulis obiciat Verri, ipse quoque earum rerum studiosus esse credatur**; Tac. Ann.14,7,1 **At Neroni...adfertur evasisse ictu levi sauciam (sc. Agrippinam) et hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur**. Menge huius generis elocutiones pro finalibus habens ita scribit (p.342, Anm.2): "Die Verben des **M a c h e n s** und **B e w i r k e n s** lassen auch **ut consecutivum** zu, wenn der Nebensatz nicht etwas **E r s t r e b t e s** oder **B e a b s i c h t i g t e s**, sondern einfach ein **E r g e b n i s** bezeichnet. ...Jedoch hat der Lateiner eine Vorliebe für die **f i n a l e** Auffassung dieser Verben." Contra etiam id fieri potest, ut finale enuntiatum negativum consecutivo similis appareat (e.g.Quint. Inst.or.8,3,13, vide p.170).

109. Cf. Thes.Ling.Lat.VII 1, p.937, lin.3-27. Etiam Sleeman (p. 125) atque Furneaux & Anderson (p.152) hoc loco aliquod verbum motum indicans desiderant, quo adverbium **quo** melius quam verbo **inclaescere** regi possit. Vix tamen necesse est existimare aliquod participium coniunctum (e.g. **excedentes** aut **enisi** aut **nisi**) initio in textu fuisse ac postea incuria omissum esse.

110. Cf. quae Draeger & Heraeus (p.51) de hoc loco disserunt.

111. Cf. Menge, p.59, Anm.4 et p.60, Anm.8-9.

112. Williams (p.169) **quoad eius facere potueris** ita Anglice reddit: "so far as you find it feasible in the circumstances" atque elocutionem **quoad eius** separatim explicat: "Lit. 'whatever of that (**eius**) you shall have been able to effect'". Hubbel autem (p.182-183) locum supra commemoratum Cic.Inv.2,6,20 hac forma edit: **quod eius fieri possit** et ita Anglice reddit: "as far as i n h i m lies". Id quidem incertum est, utrum **quod** an **quoad** genuina scriptura sit habenda, sed **eius** non potest hic ad personam referri; quare praetulerim interpretationem Anglicam "as far as it is possible" (verbatim: "whatever o f i t is possible").

113. Cf. Krebs II, p.465 et Menge, p.60, Anm.6: "**quod** (unrichtig **quoad**) **eius facere possum** (oder **fieri potest**) 'so gut ich es thun kann, soweit es möglich (thunlich) ist'; auch ohne **eius**, und dann **quoad** statt **quod** möglich".

5. DE ADVERBIIS AD LOCA RELATIS

1. Vide supra p.31-32.

2. Qua ratione **quo** hic accipiamus, etiam ad textum Caesaris recensendum haud nihili interest. Qua in re plane consentio cum Kraner-Dittenberger-Meusel formam singularem **munimentum** plurali **munimenta** potioem esse, neque solum "da der Singular **muri** auf den Singular **munimentum** hinweist" (I, p. 394), sed etiam, quod idem apparet e **quo**, si id pro ablativo singulari pronominis accipimus nec pro **in quod munimentum** (cf. Kraner-Dittenberger-Meusel I, p.214), sed **per quod munimentum** positum esse existimamus.

3. Recte hunc locum Italice reddit Brindesi (Barelli-Brindesi, p.97): "...queste siepi formavano una barriera, come un muro, a t t r a v e r s o il quale non si poteva penetrare e neppure essere scorti". Dorminger autem miro quodam pacto in translatione sua Theodisca **quo** primum pro adverbio, deinde pro ablativo viae accipere videtur (p.93): "...dass diese Sperren wie ein Mauer ein Bollwerk darstellten, i n d a s man nicht nur nicht eindringen, sondern d u r c h d a s man nicht einmal blicken konnte" (pro simpliciore et probabiliore interpretatione "...d u r c h d a s man nicht nur nicht eindringen, sondern nicht einmal blicken konnte").

4. Pro ablativo viae formam **quo** accipit Krüger (Quint.p.51): "**illud quo contenditur spatium**, d.i. die Strecke, welche gesprungen werden soll; **contenditur = certatur (saliendo)**; cf.5,2. Sie laufen bis zu dem Anfangspunkte dieser Strecke. Dieser Anfangspunkt selbst kann aber nicht durch **spatium** bezeichnet, und deshalb **contenditur** nicht etwa von dem Hineilen nach diesem Punkte verstanden werden." Eadem atque Krüger ratione hunc locum interpretatur Bornecque (Quint.IV, p.71): "Ainsi voyons-nous les sauteurs prendre leur départ de plus loin et se porter en courant vers l'endroit où a lieu le concours". Peterson autem ita explicat (p.138): "**Quo contenditur** = lit. *t o w h i c h* their efforts are directed", eiusque interpretationi propior est Cousin (VI, p.116): "...se porter à la course pour franchir la distance qu'ils briguent de couvrir."

5. Plura exempla enumerant Lewis & Short s.v. **con-do** (p.409, columna sinistra) nominatim monentes locum "most freq. by **in** and **acc.**" designari. Veri simillimum est variationem elocutionum inessivarum et illativarum ad **condere** accedentium ex eo originem trahere, quod in hoc verbo, sicut in verbis **abdere, addere, indere** aliisque compositis verbi **dare**, confusa sunt duo verba Indogermanica diversae stirpis, quorum unum initio fere 'ponere', 'collocare', alterum 'dare' significat. Hac de re iidem Lewis & Short s.v. **2.-do** (p.605, columna sinistra) ita disserunt: "Sanscr.root **dhâ-**, **da-dhāmi**, set, put, place; Gr. *θε, τιθέναι*; Ger. **thun, thue, that**, Eng. **do, deed** etc. This root is distinct from **1.do**, Sanscr.**dâ**, in most of the Arian langg.; cf.Pott.Etym.Forsch.2,484; Corss.Ausspr.2,410; but in Italy the two seem to have been confounded, at least in compounds, Curt.Gr. Etym.p.254 sq.; cf.Max Müller, Science of Lang.Ser.2,p.220, N.Y. ed.; Fick, Vergl.Wört.p.100."

6. Vide p.28-29.

7. Cf.Thes.Ling.Lat.VI 3, p.2757, lin.21-22.

8. Cur in novissima editione operis Lucretiani (tome premier, 1984, p.6) Ernout **permanent** quam **permaneant** scribere maluerit, ita argumentatur: "je lis **permanent** avec les anciens éditeurs, au lieu de **permaneant** dont le sens est inconciliable avec l'adverbe de mouvement **quo**; cf. du reste, l.III,699." Antea idem de hoc loco aliter - atque, ut videtur, verius - sensit, ut qui in commentario una cum Léon Robin anno 1925^o edito (p.44) hoc modo rem explicaverit: "l'emploi de **quo** avec un verbe **manendi** a amené la correction **permanent** (de **permanare**) d'Ang.Politien. L'emploi de l'accusatif avec des verbes marquant un état qui est le terme d'un mouvement n'est pas sans exemple:...; mais les passages cités par Lachmann dans son commentaire, et rappelés après lui par Merrill ne sont pas comparables. **Permanere**, qui traduit le gr. *διαμένω*, est souvent employé en parlant de l'âme (Cic. Sén.); **permanare** convient moins pour le sens." Similiter fere de hoc loco disserit Bailey, qui enumeratis quibusdam locis parallelis (e.g. Ovid. Ars amat.2,120 et Seneca, Epist.7,7) ita concludit (II, p.621): "Emendation is therefore superfluous. Politian's **perma-**

nent might be used with **animae** (cf.iii 586 **anima emanante**, 699 **permanare animam**), but could not with **corpora...**"

9. Cf. etiam Cic.De re publ.2,2,4, Stat.Theb.7,41, Val.Flacc. 6,336 etc. (**ubi = in quibus**); Cic.Sull.19,53 (**quo = in quas**, sc. **regiones**); Verg.Aen.5,801 (**unde = e quibus**).

10. Etiam tum, cum non ad terrae aut urbis, sed ad gentis nomen refertur, adverbium pronominale saepe puram localem vim habet, e. g. Caes.Gall.7,9,4 **in Lingones contendit, ubi duae legiones hiemabant**. In hac et multis aliis elocutionibus similibus nomen gentis, ut fieri solet, geographici nominis vicem gerit (**Lingones = fines Lingonum**). Praeterea correlatum adverbii in hoc enuntiato non est ipsum nomen gentis, sed elocutio iam per se localis **in Lingones**. Ad huius generis exempla in septimo capitulo redibo adverbia ad personas relata subtilius perscrutans.

11. Handius II, p.417-420, III, p.75-91, 103-109, 161-171, 203-206, 211-218, 461-466.

12. Codicum alii **impositis**, alii **iniectis** exhibent; quarum lectionum illam hac veri similiorem existimo iisdem atque Kraner & Dittenberger & Meusel argumentis nixus (II, p.614): "Einschiffen heisst regelmässig **imponere (in naves)**; **inicere** wird sich dafür schwerlich nachweisen lassen. Auch Caesar sagt, und zwar ziemlich oft, (**in naves**) **imponere**. Die Schnelligkeit des Einschiffens, die man in dem **inicere** hat finden wollen, ist ausreichend durch **celeriter** ausgedrückt. **Inicere** bedeutet nur 1) "auf etwas werfen (legen)", 2) in übertragenem Sinn "einflößen".

13. Cf. Caes.Gall.1,42,5 et Sallust.Iug.75,4, ad quos locos in septimo capitulo redibo.

14. Handius quidem (III, p.170) **ibidem** hoc loco adverbium temporale esse censet, quod per se non prorsus excludendum esse iudicaverim (= **simul**). Cur autem sibi adverbium localiter hic accipi "ineptum esse" videatur, non dicit. Cf. Lucr.6,1185 **sudorisque madens p e r c o l l u m splendidus humor**.

15. Cf. Orator 47,157.

16. Plura exempla, in quibus **ibidem** ad locos librorum refertur, praebet Thes.Ling.Lat.VII 1, p.154,lin.84 - p.155,lin.5.

17. Primus locorum Ciceronianorum allatorum est De inv.1,5-6, duo posteriores De orat.1,6,21 et 3,14,54; ergo pro **alibi** Quintilianus **alio loco (eiusdem operis)** scribere poterat. Cf.Inst.or.4, 2,109-110 et 8,3,21-22, in quibus **alibi** dicit pro **alio loco (eiusdem orationis)** et **in alia oratione**. Plura exempla in Thes. Ling.Lat.I, p.1554, lin.15-57.

18. Vide p.67.

19. Liv.26,49,1-2 et 27,1,13 et 29,25,2 et 30,16,12.

20. Cf. Woodman, p.108-109. Scriptura codicis Murbacensis **hinc** et in apographo Amerbachii (A) et in editione principe, quam Rhenanus anno 1521^o imprimendam curavit, servata, a recentioribus editoribus unanimiter corrupta existimata est et in **hic** mutata.

21. Cf.adn.4 capituli tertii.

22. E.g. Kiessling-Heinze, p.335; Rostagni, p.74; Brink, p.901; Rudd, p.193. Itidem Bo in Lexico suo Horatiano hunc locum sub pronome **hic** protulit. Undevicesimo autem saeculo nonnulli eundem locum verius interpretati sunt. Arnold eum ita Theodisce reddidit (p.27): "H i e r aber erscheint er / selten in Accius Trimetern auch, in den edlen..."; itidem Krüger, Hor.p.340: "**hic** ...**apparet rarus**: im zweiten und vierten Fusse. Attius liess also häufig auch an diesen Stellen den Spondeus zu und begnügte sich mit dem Iambus nur in dem sechsten Fusse."; Synnerberg, p.43: **Hic**: adv. neml. i andra och fjerde versfoten (**in sede sec. aut quarta**). Dillenbürger (p.607) recte quidem negavit **hic** esse "adverbium, quo Roma contra Graeciam poneretur", sed non satis intellexit adverbio id quoque exprimi posse, quod iambus "ne in secunda quidem et quarta sede" nisi "raro reperitur in versibus Attii et Ennii". Sunt etiam nostro saeculo, qui hunc locum recte interpretati sint, e.g. Pighi, cuius et translationem et commentum viri docti suo cum damno videntur ignorasse (II, p.304): "Q u i poi nei decantati trimetri d'Accio compare raramente...", id est "Purtroppo, in quelle sedi pari (**hic**), seconda e quarta, che ancora ricordano lo schema ideale (insieme con la sesta), il gambo puro compare ormai raramente, quando dai Greci si passa ai Veteres latini."

23. In operibus rhetoricis Cicero interdum (e.g. De orat.2,61, 248 et Orat.14,46) adverbium **unde** ad **locos** refert, sed haec exempla in sexto capitulo tractanda relinquo, quia non agitur de certis locis scriptis, sed de termino tecnico Graeco a Cicerone in Latinum converso (**loci** = **τόποι**). Vide p.118.

24. Plura exempla exhibet Thes.Ling.Lat.VI 3, p.3072, lin.1-26.

25. Cf. Peterson ad locum (p.137): "But all that **iam hinc** means here is simply that the writer will n o w take the two questions he has proposed in the order stated." Eundem locum Faranda & Pecchiura hoc modo Italice reddiderunt (II, p.457): "Ma poiché due sono i problemi, e cioè come e che cosa convenga scrivere, d a q u e s t o m o m e n t o i n p o i li tratterò nell'ordine or ora esposto." Secundum hanc interpretationem adverbio locali in tali conexu temporalis quoque significationis aliquid inest. Denique, quod intellegam, hoc loco etiam causali vi adhibitum esse potest (pro **hanc ob rem**), sicut praecedens enuntiatum secundarium coniunctione **cum** incipiens.

26. Cf. Jordan, p.135-136; Casorati, p.9.

27. De omnibus rebus ad orationem pro Caecina habitam pertinentibus fusissime disseruit Jordan in prolegomenis editionis suae (p.3-72), brevius Hodge (p.86-95) et Casorati (p.9-17).

28. Jordan (p.35) monet "Ciceronem omnem rem ita narrasse, ut ea, quae suae causae inservirent, adversario nocerent, explicate et dilucide exponeret, quae adversario prodesse, suae causae obessent, aut leviter attingeret aut plane omitteret, omniaque suae causae torqueret. Unde hoc statim intelligitur, cur nihil prorsus causae attulerit, quae Aebutium movere potuerit, ut de pristino consilio Caecinam de fundo deducendi desisteret, atque temerarium illud atque imprudens consilium Caecinam vi hominibus armatis depellendi caperet."

29. Quoniam denique fuerit formula exacta edicti, parum constat; cf. Jordan, p.23-26.

30. Cf. Jordan, p. 373-374. Assentior ei codicum scripturam **Unde deiecisti** manifesto corruptam esse nullamque coniecturarum adhuc propositarum tam certam et firmatam, ut, quae protinus recipiatur, digna haberi possit. Aliquod in ea nomen proprium desideratur; sed ne id quidem satis constat, utrum illud nomen "in corruptela illa latere" putandum sit (e.g. ***Unde deieci sunt Tusci > Unde deiecisti**) an potius omnino interciderit. E recentioribus editoribus inter alios Hodge et Casorati **Telesinus** pro **deiecisti** acceperunt, sed haec emendatio haudquaquam certa iudicari potest.

31. Vide p.35-40.

32. Izaac I, p.214, ultima verba huius epigrammatis Francogallice ita reddit: "ou, si tu es tout a fait muette, apprends à parler même p a r l à".

33. Svennung, p.616: "Der Typus ist also, wie ich meine, von Ausdrücken mit einem Verbum 'ein-'. bzw. 'ausgehen', ausgegangen (jedenfalls dadurch ausserordentlich befördert worden), wie Greg. Tur. Glor.mart.37 ex. **aditum, u n d e ingressus fuerat**, ähnl. Curs.stell.6 **Ferunt, ...usque ad capud...posse ascendere, si aditum, u n d e ingrederetur, haberet**, wo **unde** eigentlich 'wovon' bedeutet, uns aber 'wodurch', 'wo' (so Bonnet 580) natürlich erscheint. Durch eine Art Kontamination ist dann auch bei Verba des Vorbeigehens, bzw. Durchgangs (**transeo** u. dgl.; vgl. S.375 A.2) das Adv. des Heraus- (bzw. Herein-) Tretens statt des Durchgehens beibehalten worden."

34. Vide p.78.

35. Salonius, p.214: "Hier kann **per inde** m.E. nur lokal aufgefasst werden; mit einer Kürze des Ausdrucks, die vielleicht durch die Schüchternheit des Verfassers verursacht ist, will Ioannes durch **per inde** die Örtlichkeit bezeichnet haben, wo der Bruder sündigt. Die Präposition **per** bedeutet hier zunächst "vorbei", in welchem Sinne sie auch sonst von Ioannes gebraucht wird".

36. Leumann-Hofmann-Szantyr, p.209: "Von einer Praeposition abhängiges **inde** begegnet Vitae patr.6,4,36 **transire per inde** als sklavische Übersetzung von *παρελθεῖν διὰ τῶν ἐκεῖ*, veranlasst durch das Fehlen des Artikels im Lat. (unrichtig Salonius p.214;

anders Cavallin a.0.4¹: **inde = ea...**, also eine Art Doppelung wie etwa **inibi**)".

37. E.g. Vitae patrum 5,4,4 **mensuram parvam victus dabamus ei in anno; et quoties veniebamus, e x i n d e comedebamus et nos (exinde = ex eo, sc. victu)**. Sic etiam Lex Salica 27,10-11 **Siquis prato alieno secaverit, opera sua perdat. Et si fenum e x i n d e ad domum suam duxerit et discaregaverit,...culpabilis iudicetur, ubi exinde puram localem vim habet (= e prato alieno)**.

6. DE ADVERBIIS AD RES RELATIS

1. Cf. Thes.Ling.Lat. VII 1, p.148, lin.61-82.

2. Cf. etiam Plaut.Pseud.335 **"I in malam crucem!" "I s t u c ibit Iuppiter lenonius."** (vide p.156).

3. Wessner III, p.209. Gazzola illa verba hoc modo Italice reddit (p.179): "Ehi, fa lo schizzinoso! Si direbbe che **s e n e i n t e n d e!**", sed monet ne alias quidem interpretationes prorsus excludendas esse (p.178): "Il passo può essere variamente interpretato: nel senso di 'Si può credere davvero che le sue intenzioni (**animum**) siano **q u i'** (**ibi**, nel matrimonio), come battuta ironica del padre sulla riluttanza del figlio a sposarsi; o anche nel senso di 'Si può credere che **i n l u i** (**ibi**) ci sia un buon gusto' (**animum**) con riferimento ai giudizi estetici appena espressi dal ragazzo. L'interpretazione qui proposta che intende la battuta come: 'Si vede che il suo animo è portato a **q u e s t e c o s e** (**ibi**, la bellezza femminile, cfr. v.1061 sg.) è quella che meglio risponde all'immagine che Cremete si è fatto del figlio come di un libertino, estimatore competente della bellezza femminile."

4. Cf. Handium III, p.170: "Quod de **ibi** notavimus, in quasdam formulas admitti, quae ipsae motum in aliquem locum factum videantur significare, id etiam de **ibidem** dicendum est. Plautus bis utitur verbis **ibidem una traho...**Sabinus Floridus in Lect.Subcis. 2,1. **ibidem** pro **eo** dictum putabat. Utroque in loco formulam habemus computandi, quam reddas **ich ziehe dazu**. At **ibidem** tamen esse potest: in eadem computatione, in eadem ratione."

5. E.g. Cic.Tusc.1,15,34 **Phidias sui similem speciem inclusit i n c l i p e o Minervae; 4,7,15 Opinationem autem, quam i n o m n e s d e f i n i t i o n e s s u p e r i o r e s i n c l u s i m u s, volunt esse imbecillam adsensionem.**

6. Cf. huius loci versionem Francogallicam "...on mettait e n l u i tout l'espoir de la cité. Et, comme l à encore on se heurtait à un scrupule religieux, seul un consul ayant le pouvoir de désigner un dictateur, les augures consultés levèrent ce scrupule" (Bayet-Baillet IV, p.52).

7. Ad hoc exemplum, in quo adverbium **alibi** elocutioni **in semet ipso** oppositum aequaliter **in alio homine** atque **in alia re** valere potest, par erit in septimo capitulo reverti.

8. Hac periodo concluditur descriptio ultimae cladis ab Hannibale in bello Punico secundo acceptae. In eodem capitulo paulo ante bis reputatur, **ubi** spes sit vel ponatur, scilicet 30,35,6 **quorum** (sc. elephantorum) **fortuitus impetus atque intolerabilis vis signa sequi et servare ordines, in quo plurimum spei ponerent, Romanos prohiberent** (elocutio praepositionalis in quo pro correlato habet **signa sequi et servare ordines**), et 30,35,9 **tum, ubi omnis spes esset, milites Carthaginienses Afrosque** (sc. Hannibalem in tertia acie collocavisse), **ut, omnibus rebus aliis pares, eo, quod integri cum sauciis pugnarent, superiores essent.** Ad hunc locum in septimo capitulo revertar.

9. Cf. Plaut. Cist. 528-529 **Si redierit / illa ad hunc, ibidem loci res erit.** aliaque similia exempla p.66 examinata.

10. Cf. Page ad locum (p.305): **ubi hic Iuno**, i.e. "where in all this is the intervention of Juno?", et Jackson Knight (p.253): "What part in all this has been played by Juno...?"

11. Cf. Thes. Ling. Lat. VII 1, p.372, lin.67.

12. Schlee, p.90.

13. Wessner III, p.65.

14. Thes. Ling. Lat. VI 3, p.2768, lin.50-51.

15. Cf. Marc. Consol. 16,8.

16. Augustinus adverbium **illic** in laxa significatione pro **in secunda morte** adhibet (Civ. Dei 13,24, Dombart I, p.599, lin.4-6): **atque ita in secundam mortem post ultimum praecipitabuntur iudicium, ut nec illi c vita careant.**

17. Cf. Tac. Ann. 1,70,4 **Pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles quam quos hostis circumsidet: quippe illi c etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium** (id est: plerumque in illo statu rerum mors honesta est, his vero, de quibus nunc agitur, militibus inglorium fuit exitium). Etiam pronomina demonstrativa **hic** et **ille** nonnumquam similiter inverso solito ordine inter se opponuntur, e.g. Cic. Fin. 4,4,10 **Cumque duae sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera deserendi, hanc posteriorem et Stoici et Peripatetici, priorem autem illi c egregie tradiderunt, hi omnino ne attigerunt quidem** (illi = Peripatetici, qui aetate longinquiores sunt quam Stoici; hi = Stoici, qui non tantum aetate Ciceroni propinquiores, sed eius sententia etiam meritis minores sunt quam veteres Peripatetici); Quint. 10,2,12 **Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant quam orationes, quod in illis**

vera, in his adsimilata materia est (in illis = in orationibus veris, olim magni aestimatis, in his = in declamationibus lussoriis, hodie plus valentibus. Cf. Peterson ad locum (p.85).

18. De alio huius versus interpungendi conatu vide notam 21 huius capituli.

19. Vide p.111.

20. Cf. Liv.1,47,3 **i s t i c cum ignavia est scelus (istic = in ista re vel in te)**, ad quem locum in septimo capitulo redibo.

21. Ita e.g. A.Klotz, qui eadem verba Theodisce ita reddit (p. 129): "Was sagst du? Das sind nur Worte". Duckworth autem aliter iudicat (p.190): "The punctuation of Studemund: **quid istic? uerba facimus** (cf. Bach, Studemunds Studien, II, p.271), which Ussing, Gray, and Leo accept, is clearly wrong." Ernout quoque (Plaute, Comédies III, p.127) **Quid istic verba facimus** scribit ac Franco-gallice interpretatur: "A quoi bon tant discourir?"

22. E.g. in Andr.572 haec elocutio, ut ait Donatus, "significat hominem de loco et de sententia secedere".

23. Cf. Bacch.1049 **Quid ego i s t i c? Quod perdundumst, properem perdere**, ubi illa formula pronomine personali aucta est.

24. Cf. etiam Ter.Adelph.350 et 956.

25. J.Sargeaunt, cum **Quid istic, Phaedria?** Anglice "Very well, Phaedria, very well!" reddit (I, p.251), mihi nonnihil alieni in hunc locum videtur afferre. Potius vertendum erat e.g. "What are you talking about, Phaedria?" aut "What do you mean, Phaedria?". Cf. Marouzeau I, p.233: "Quelle idée, Phédria!", Marnitz, p.124: "Was soll das, Phaedria?", Tuomi, p.97 "Mitä pähäsi pälkähtäkin, Ph.?"

26. Idem Seneca paulo post (Nat.quaest.1,3,9) scribens "**Quomodo**", **inquis, "tu mihi multa milia imaginum i s t i c esse dicis, u b i ego nullam video?"** adverbia istic et ubi ad stillicidia innumerabilia modo dicta refert, non ad singula, quae fortasse melius elocutionibus praepositionalibus **in istis** et **in quibus** designentur, sed, quia "sine intervallo" cadunt, ad faciem "non multarum imaginum et intermissarum, sed unius longae atque continuae".

27. Vide Thes.Ling.Lat.VII 2, p.515,lin.82 - p.516,lin.3). Cf. etiam Ter.Heaut.984 **ibi nunc sum** (p.94) et Francogall. **J'y suis**.

28. Vide Thes.Ling.Lat.VII 2, p.516,lin.13-14.

29. In versione Theodisca eorum, de quibus agitur, versuum Schönberger adverbii **ubique** et **ubicumque** res designari censet (p.45): "Oder genügt's dir schon vollauf, nur die Rolle des Ehebrechers abzulehnen, aber nicht alles, was i n j e d e m F a l l e schadet? Den guten Ruf einzubüssen, das Vatererbe zu

verschleudern, das ist u n t e r a l l e n U m s t ä n d e n von Übel." Item Italice Oddone, Hor. Sat. (p.47): "Oppure per te la questione tutta sta nell'evitare il personaggio dell'adultero, e non ciò che i n v a r i e m o d i e s e m p r e nuoce? Sciupare il buon nome, dissipare le sostanze paterne, è i n o g n i c a s o una mala azione." Villeneuve autem in versione Franco-gallica eorundem versuum **ubique** ad amatrices, sed **ubicumque** ad rem referri iudicat (Hor. Sat. p.43): "Tiens-tu, par hasard, pour largement suffisant d'éviter un certain type de femmes et non point ce qui, c h e z t o u t e s, peut te faire tort? Ruiner sa bonne réputation, dilapider son patrimoine, c'est, e n t o u t c a s, un mal."

30. Cf. quae Dillenbürger ad illos versus adnotavit (p.499). Hoc quoque loco Schönberger (p.165) adverbium **utrubique** ad res, Villeneuve autem (Hor. Epitr. p.62) ad personas referri existimat: "i n b e i d e n F ä l l e n herrscht ein bedrückender Zustand des Bangens, wenn eine unerwartete Erscheinung den einen wie den andern erschreckt"; "c'est, c h e z t o u s l e s d e u x, une angoisse pénible aussitôt que, brusquement, une vaine apparence vient bouleverser l'un ou l'autre."

31. Coniecturam Heinsianam **soluta** verisimiliorem esse existimo quam codicum scripturam **tute**.

32. Cf. p.31.

33. Vide p.46-48. De eadem re agitur etiam in Cic. Orat. 67, 225 **eis locis, c u m aut arguas aut refellas**, ubi **cum** prope idem atque (**in**) **quibus** vel **ubi** significare conclusi (p.45-46). Cf. Quint. Inst. or. 7, 2, 16 **I l l i c** quoque, **u b i de facto tantum controversia est, quod si probetur, non possit de auctore dubitari, similiter argumenta et ex persona et ex re ducuntur, sed in unam facti quaestionem; 11, 1, 68 Sed i n h i s quidem, i n q u i b u s...ratio nostrae moderationis probari debet, minor est labor; i l l i c plus difficultatis, u b i ipsos, contra quos dicimus, veremur offendere.**

34. Cf. p.4 et 6.

35. Cf. Liv. 2, 40, 13 et 5, 36, 6 (**ibi = in eo proelio vel tum**).

36. Cf. etiam Cic. Epist. Fam. 9, 26, 2 **Convivio delector; i b i loquor quod in solum, ut dicitur, et gemitum in risus maximos transfero.**

37. Vide Thes. Ling. Lat. VII 1, p.142, lin.62 - p.143, lin.10.

38. Alia exempla: Plaut. Amph. 250 et 1063 et 1068, Epid. 240 et 245 et 250, Most. 109, Trin. 245, Catull. 66, 33, Verg. Georg. 4, 491, Sallust. Iug. 58, 3, Liv. 1, 47, 10 et 2, 20, 7 et 2, 20, 12 et 2, 35, 2 et 25, 10, 8. Nonnumquam localis vis cum temporali quasi miscetur praecedente enuntiato secundario, quod coniunctione temporali **ubi** introducitur, e.g. Liv. 3, 69, 3 **in senatum u b i ventum est, i b i vero in Quinctium omnes versi ut in unum vindicem maiesta-**

tis Romanae intueri; cf. Plaut.Bacch.957-962, Catull.63,39-42. Interdum ibi temporaliter adhibitum pro comite utitur alio adverbio temporali (tum vel mox), e.g. Cic.Caecin.10,27 cum Aebutius Caecinae malum minaretur..., i b i t u m Caecinam postulasse, ut moribus deductio fieret; Gell.16,19,13-14 Feros et inmanes navitas prolubium tamen audiendi subit; quod oraverat, impetrat (sc. Arion). Atque i b i m o x de more cinctus, amictus, ornatus stansque in summae puppis foro carmen...cantavit. Plura exempla profert Handius (III, p.165-166). Conferas velim quae Kroll (p.17) ad Catull.8,6 I b i illa multa t u m iocosa fiebant de huius generis elocutionibus adnotavit.

39. Cf. Liv.3,64,6-8 Duilius...in contionem...processit. U b i cum consules producti ad populum...nihil sententiae suae mutassent..., conlaudatis consulibus...comitia habuit. Hic ubi demonstrative pro ibi adhibitum similem atque hoc in exemplis supra tractatis vim habet.

40. Aut localiter aut temporaliter accipi potest ibidem in exemplo Taciteo Ann.14,16,1 hi cenati considerare simul et adlatos vel i b i d e m repertos versus conectere (ibidem = eodem loco vel ex tempore).

41. Cf. Menge (p.95): "Das relative 'wo' wird in Bezug auf eine Zeit nicht durch ubi (welches im r e l a t i v e n Gebrauch nur lokal ist), sondern durch das R e l a t i v p r o n o m e n oder durch die Konj. cum ausgedrückt." Exemplum Terentianum docet hanc regulam nimis categoricam esse. Praeterea quamquam haud frequentia sunt similia exempla, tamen vix credibile est ubi, quod iam mature etiam coniunctionis temporalis usitatissimae (= ut primum) partes acceperat, relative adhibitum temporali significatione omnino exclusum esse.

42. Similia enuntiata secundaria consecutiva, in quibus ubi tamen meram localem vim habet, etiam alibi reperiuntur, e.g.Plaut. Mil.glor.81-82 Qui autem auscultare nolet, exurgat foras, / ut sit, u b i sedeat ille, qui auscultare vult!, Seneca, Suas.1,14 Da u b i castra ponam, u b i signa inferam, Phaedr.3,19,4 invenit, u b i lacernam accenderet. Abstractius adverbio utitur Cicero in Tusc.5,8,23 est u b i id isto modo valeat, id est fere: sunt res, in quibus id isto modo valeat. Ad ea vero, quae Brutus in Cic.Epist.Fam.11,1,4 scribit, u b i consistamus, non habemus praeter Sex.Pompeium et Bassum Caecilium, in septimo capitulo redibo.

43. Vide p.114-115.

44. In Graeca lingua ἔστιν ἐνθάδε et ἔστιν ὅτε et ἔστι δὲ πη aliaeque eiusdem generis elocutiones pariter pro adverbio temporali ἐνίστε usurpantur atque in Latinitate est ubi fere pro nonnumquam vel interdum. Itidem Horatius elocutionibus est qui... et sunt qui... (cf.Gr. ἔστιν οἷ) ut rem velut oculis subiectam demonstrat, pro coniunctivo indicativum adiungit: Od.1,1,3-6; 1, 1,19-21; 1,7,5; Sat.1,4,24; 2,1,1; 2,4,47; Epist.2,2,182. Normali autem coniunctivo haud multo minus frequenter utitur: Sat.1,2,28;

1,4,74-75; Epist.1,1,77- 79; 1,6,4-5; 1,18,53; 2,2,182. Praecipue notandus versus est Epist.2,2,182, in quo utriusque generis elocutiones iuxtapositae occurrunt: **Sunt, qui non habent; est, qui non curat habere.** (pro **Alii habent, alius non curat habere**).

45. Cf.Theb.10,102-104 **Est, ubi Baccho, / est, ubi Martigenae socium pulvinar Amori / obtinet.**

46. Ernout, Pseudo-Sallust. (p.50) hunc locum ita Francogallice reddit: "u n e f o i s notre vie r e n d u e à la Nature, les dēnigreurs se taisent, et la vertu seule se rehausse davantage chaque jour."

47. Alexander, vol.XIII, p.49 tertiam rationem huius loci explicandi profert: "It does not seem reasonable that an original **cui** (before **assidua**) should degenerate into an **ubi**. I see no serious objection to retaining the preceeding clause, and the **felicitas** can pass over into the rest of the sentence without dragging the epithet **inlaesa** along with it. Because **felicitas** is established as subject the **suis** is explained: **ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa = ubi ea** (sc. **felicitas**) **rixata est assidue cum suis incommodis.**" Is igitur **ubi** temporaliter accipit, quod refelli non posse censeo; dubito autem, num Seneca felicitatem adeo personificaverit, ut ea non modo illaesa ictus male ferret, sed etiam cum incommodis suis assidue rixaretur et callum per iniurias duceret nullique malo cederet, quin etiam de genu pugnet. Omnia haec multo melius in ipsum hominem felicem quam in Felicitatem conveniunt.

48. Handius III, p.78.

49. Adverbium **hic** etiam pro **apud hos** accipi potest et ad **improborum manum** referri (Mazzolani, p.109: "in mezzo a loro"; Torius, p.60: "bland dem").

50. Cf. Handium III, p.80-81, ubi haec res fusius tractatur et plura exempla praebentur.

51. Cf. Cic.Or.Imp.Pomp.13,39; 2.Or.Verr.2,44,109; De orat.3, 22,83; Nepos, Milt.3,3; Eum.4,3 et 9,2; Quint.Inst.or.5,11,29; Verg.Aen.2,386; Hor.Sat.1,9,7. Plura exempla in Thes.Ling.Lat.VI 3, p.2759, lin.31-53.

52. Brenot in apparatu critico editionis suae fabularum Phaedri (p.11): "lacunam L.Havet supplens **dilectus puer, et hominem arcessisset domum, Speyer regis minister, medicumque illum arcesse- rent.**" Eosdem emendandi conatus attingit etiam Perry scribens (p. 208): "The context shows that the sick person was not the king, but it may have been his child" (cf. supra: **dilectus puer...**). In versione sua Anglica tamen illum morbo gravi confectum non **dilectum puerum**, sed potius **regis ministrum** fuisse existimat (p.209): "So it happened that when <the king's minister> lay gravely ill and all but gone, <out physican was called in. Whereupon> the king of the city, to test his skill, called for a cup..."

53. Thes.Ling.Lat.VII 1, p.373, lin.12-50. Pura locali vi tamen **illic** adhibent e.g. Seneca Apocolocynt.7 et Martialis 3,47,7 et Lucanus 9,942.

54. De inversa solita relatione elocutionum **illic** et **his** (quod **ille** ad prius commemoratum, **hic** ad proxime dictum referri solet) vide p.99 ac praecipue supra adn. 17 huius capituli.

55. Handius III, p. 206. At si **illic** ad tempus referretur, tamquam si idem valeret ac **tum** aut ablativus **illo tempore**, minus luculenter in periodo apparerent Otho et Vitellius inter se aemuli et oppositi; Tacitus enim Othonem, postquam dixit belli civilis "initium **illic**" fuisse, ita pergentem facit: "ne plus quam semel armis certemus, **penes me** exemplum erit; hinc Othonem posteritas aestimet." Etiam interpretes vulgo **illic** personaliter accipere malunt: e.g. Borst & Hross totam periodum in linguam Theodiscam hoc modo converterunt (p.187): "dass wir die Waffen zum Kampf um die Herrschaft erhoben haben, dazu **h a t e r** den Anfang **g e m a c h t**"; eadem verba Dessî Italice ita reddidit (p. 101): "**d a q u e l l a p a r t e** venne l'iniziativa per contenderci il principato con le armi".

56. Ut in originali elocutione Latina **ibi mentem atque animum delectat suum** adverbium **ibi**, sic in versione eius Francogallica "Son âme et son esprit y prennent plaisir" atque in versione Italica "**vi** trova piacere alla mente e al cuore" adverbia localia **y** et **vi**, quorum saltem hoc **ibi** Latinum continuatur, adhibita sunt.

57. Thes.Ling.Lat.VII 1, p.146, lin.74.

58. Verbo **exercere** aut **in** cum ablativo aut nudus ablativus instrumenti adiungi potest: Cic.Brut.90,309 **cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercere**; 71,249 **unum id egit seseque cotidianis commentationibus acerrime exercuit**. Diathesi quidem nudus ablativus **cotidianis commentationibus** ab elocutionibus praepositionalibus **in aliis rebus** et **in dialecticis** paululum differre potest. sicut Sallustianum **ibi iuventutem exercuit** ab elocutione **iis rebus iuventutem exercuit**.

59. Qui hunc locum Anglice et Theodisce reddiderunt, ex illis tribus interpretationibus potissimum secundam aut tertiam elegerunt: Lord (p.93): "And **t h e n**, though most profoundly moved, Lentulus still acknowledged his seal and handwriting"; Fuhrmann (II, p.265): "Und **d a** geriet Lentulus in grösste Verwirrung; gleichwohl bestätigte er sein Siegel und seine Hand"; Kasten (Or.Cic. p. 211): "**D a s b r a c h t e** Lentulus gänzlich **a u s d e r F a s s u n g**: immerhin erkannte er sein Siegel und seine Handschrift an".

60. Aequae usitatas elocutiones **in nave vehi** et **nave vehi** fuisse manifestum est: Plaut.Bacch.106 **Nam ut in navi vecta's, credo, timida es**; Amph.850 **mecum una vectust una navi**; cf. Cic.Or.Philipp.2,24,58, Vell.2,82,4 etc.

61. Sargeant (Terence I, p.309) Eun.719 Anglice ita reddidit: "I vow I'll find some m e a n s of paying him back".

62. Vide p.108-109.

63. Compennass (Glotta 8/1917, p.117) illos locos profert inter elocutiones, in quibus **ubi** pro nominativo aut accusativo pronominis relativi adhibitum est, e.g. Acta s.Eusanii et soc.4 **cumque pervenisset in agrum Reatinum, in locum, u b i Monticulus dicitur (ubi = qui)**, Acta s.Floriani mart.5 **ducente autem ea ad locum, u b i ei designaverat (ubi = quem)**. Manifestum est tamen in tali usu adverbii de re omnino diversa agi. Ut Salonius (p. 215) et Löfstedt, Vermischte Studien (p.12-13) recte notaverunt, in omnibus huius generis exemplis a Compennass prolatis correlatum adverbii **ubi** elocutio localis est aut illativa **in locum** aut allativa **ad locum**. Illa localitas attractione quadam mechanica in secundarium quoque enuntiatum transiit, quo factum est, ut in initio eius pronomen relativum adverbio locali **ubi** depelleretur.

64. Hoc loco Hieronymus, ut facere solet, in textu Latino componendo exemplar Graecum respiciens pediseque imitatur et verbum verbo reddens praepositionem quoque conservat: **in adventu Titi = ἐν τῇ παρουσίᾳ Τίτου**.

65. Vide p.64. Cf. etiam Lewis & Short, s.v. **nusquam**, II B. Modaliter adverbium accipit Mazzoni (p.70: **Nusquam**: in nessun luogo, ma qui meglio: a nessun patto, in alcun modo").

66. Cf. etiam Cic.Top.2,7-8 **Ut igitur earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco facilis inventio est, sic, cum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus; sic enim appellatae ab Aristotele sunt eae quasi sedes, e q u i b u s argumenta promuntur**. Itaque licet definire locum esse argumenti sedem, argumentum autem rationem, quae rei dubiae faciat fidem. Sed ex his locis, **i n q u i b u s argumenta inclusa sunt, alii in ipso, de quo agitur, haerent; alii assumuntur extrinsecus**. Has ipsas "sedes argumentorum" Cicero modo elocutionibus praepositionalibus, modo adverbiiis localibus designat: Orat.35,122 **etiam argumentorum praecepta pauca sunt. Traditi sunt, e q u i b u s ea ducantur, duplices loci: uni e rebus ipsis, alteri adsumpti; De orat.2,27,117 Quod etiamsi ad instituendos adolescentulos magis aptum sit, ut, simulac posita sit causa, habeant, q u o se referant, u n d e statim expedita possint argumenta depromere, tamen et tardi ingenii est rivulos connectari, fontes rerum non videre, et iam aetatis est ususque nostri a capite, quod velimus, arcessere et, u n d e omnia manent, videre**.

67. Cf. Sedgwick ad locum (p.130): "**absolvito hinc, lit. 'let me go f r o m h e r e', i.e. 'put me out of my misery'.**"

68. Kroll (p.249) **istinc** pro **ab ista** (sc. muliere) positum esse censet. Thes.Ling.Lat.VII 2, p.517, lin.16 "'**ab ista**' Kroll, potius '**ab ista miseria**'." Ellis, p.448: "**istinc te ipse reducis 'and of your own accord withdraw f r o m t h a t l o v e,**

istinc with the amatory associations of the word, e.g. in Ter. Hec. iii,2,4 **iterum i s t i n c** (from that door) **excludere**." Ad hunc versum (= Ter.Hec.339) in septimo capitulo redibo.

69. Plato, De re publica 1,3, p.329 C (Shorey, p.10): *ἀσμενά-
τατα μέντοι αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττωντὰ τινα καὶ ἄγριον
δεσπότην ἀποφυγῶν.* Plato igitur eandem rem non adverbio,

sed pronomine demonstrativo **αὐτὸ** designat, sicut etiam Ammianus Marcellinus, qui castitatem Iuliani imperatoris laudans ait eum pro exemplo habuisse id, **quod apud Platonem legitur, Sophoclem, tragoediarum scriptorem, aetate grandaevum interrogatum, ecquid adhuc feminis misceretur, negantem id adiecisse, quod gauderet h a r u m r e r u m amorem ut rabiosum quendam effugisse domi-
num et crudelem (25,4,2).**

70. Cf. p.106.

71. Vide p.85-86.

72. Handius III, p.367: "Nemo Latinorum dixit **inde ex aliquo tempore**. Vide p.119."

73. Secundum Handium (III, p.368) elocutione **inde quod** hic "et tempus et caussa exprimitur: **seitdem dass**". Equidem negaverim eam causaliter accipi posse atque haec Chremetis verba Italice eadem qua Gazzola (p.51) ratione reddiderim: "...ci conosciamo da poco tempo, precisamente d a q u a n d o hai comperato un podere vicino alla mia casa". Nimirum Menedemi et Chremetis vicinitas causa est notitiae eorum; at Chremes ea, de quibus agitur, verba faciens principale pondus non in ipsa notitia ponit, sed in temporalis elocutione **nuper admodum**, id est in novitate notitiae, quae epexegetice explicatur sequenti versu **inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es**.

74. Cf p.59-60.

75. Item Gerber & Greef I, s.v. **hinc** (p.527, col.dextra) hoc loco adverbium temporaliter accipiunt, tamen addentes id posse "referri etiam ad Meherdaten i.q. **ab eo**").

76. Adverbium **istinc** nusquam inveni pari ratione adhibitum. Ausonianum exemplum **quattuor i s t i n c libri de Ulixis errore contexti sunt**, quod Thes.Ling.Lat. commemorat (VII 2, p.517, lin. 34-36), diversi generis est, quod in eo **istinc** non elocutioni **ex isto tempore** semanticè respondet, sed "notione locali attenuata" potius idem valet ac **deinceps** vel **protinus**.

77. Plura exempla adverbii compositi **exinde** pro **ex eo tempore** (sive **ab eo tempore**) usurpati praebet Handius II, p.668.

78. Plura exempla praebet Handius III, p.368-369.

79. Handius vim originalem adverbii **deinde** ita explicat (II, p. 239): "Significat **deinde** proprie loci continuationem, sive ex quo loco aliqua regio procurrat, **von da an**, idque dicitur de proximo

spatio, quod post aliud positum est: **weiterhin...** Liv.22,4,2 et iam pervenerant ad loca insidiis nata, ubi maxime montes Cortonenses Trasimenus subit: **via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio; d e i n d e paullo latior patescit campus, inde colles adsurgunt.**" Idem de **exinde** inter alia ita disserit (II, p.666): "...primaria significatio est de loco, ex quo aliquid exit: quod esse potest et exitus et directio: inde ex eo loco: **von da und von da her...**" Ex exemplis ab eo commemoratis in ultimo tantum **exinde** nisi localiter accipi non potest: Cod.Iustin.1,12,4 **si servus cuiusquam in ecclesiam altariave armatus...irruerit, e x i n d e protinus abstrahatur.** Denique **dehinc** Handius negat (II, p.230) "a veteribus scriptoribus" localiter usurpatum, sed addit id "aetate recentiore post Augusti tempora in designatione terrarum a tempore ad locum translatum" esse, "sicut fit in **nox** et aliis:...Pomp.Mela 3,8,4 **interiora Cedrosii, d e h i n c Persae habitant**" (**dehinc** = post hos).

80. Cf. quae Servius ad hunc locum adnotavit et quo modo Handius (II, p.665) eius et Donati de adverbio composito **exinde** adnotationes commentatus sit. Quamquam Servius monuit, "ne praepositio iungeretur adverbio, quod vitiosum esse non dubium est", tamen nullum est aevum litterarum Romanarum, a quo adverbium compositum **exinde** alienum fuerit (Handius II, p.666-668).

81. Secundum Handium (II, p.230) **dehinc** "usurpatur a poetis de rerum serie" et hic idem significat atque "in rebus deinceps narrandis".

82. Handius II, p.665.

83. Lundström, **Abhinc und ante** (p.7-68) hanc rem fusius tractans numerum eorum exemplorum, in quibus particula composita **abhinc** revera ablativum regere videtur, minimum reddit atque in iis ipsis de corruptelis agi existimat, quibus emendandis ablativi omnino amoveri possint; immo tertium capitulum commentationis suae ita concludit (p.68): "Das Ergebnis unserer Untersuchung ist dann, dass der Typus **abhinc annis decem**, der in den Handbüchern eine so grosse Rolle spielt, in Wirklichkeit nie existiert hat." Ita fidem negat etiam iis, quae dicit Charisius 2,13 (Keil I, p. 195, lin.3-5): "Plautus in **Mustellaria** (494) '**qui abhinc sexaginta annis occisus foret**'; ubi Caper 'utroque casu recte dicimus, quamvis ut sordidum et vulgare', inquit, 'quidam improbent'." At hic mireris, ubinam "quidam" aliquid "sordidum et vulgare" invenire potuerint nisi in elocutione **abhinc sexaginta annis**; ergo negari vix potest eam aliquatenus in usu fuisse. Mentione digna sunt praeterea nonnulla exempla e posteriore Latinitate excerpta, velut Gellius 1,10,2 **tu autem, proinde quasi cum matre Euandri nunc loquare, sermone a b h i n c m u l t i s a n n i s iam desito uteris**; quem locum imitatus Ammianus Marcellinus scribit (30,4,12): **Hi ut altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur et Cascellium et Alfenum et Auruncorum Sicanorumque iam diu leges ignotas cum Euandri matre a b h i n c s a e c u l i s obrutas m u l t i s.** His ac multis aliis locis Lundström ostendere studet **abhinc** non praepositionaliter cum temporalibus elocutionibus **multis annis** et **saeculis multis** coniunctum esse, sed po-

tius pro adverbiali additamento positum (id est **sermone abhinc multis annis iam desito uteris** idem fere significare ac **sermone uteris, qui nunc iam multos annos usu caret**).

84. Handius (I, p.65) huius exempli ultimam partem (...**repro-mittis tu abhinc triennium**) falso inter ea exempla commemorat, "in quibus **abhinc** non additur ablativo aut accusativo, sed coniungitur cum verbo". Cf. Forcellini s.v. **abhinc** (I, p.9, col.dextra): "...narratur enim res iam praeterita atque ideo illud **re-promittis** idem est ac **repromisisti**."

85. Cf. Lundström, op.memor. p.60-61.

86. Haud procul ab eiusdem generis prolepsi abest locus Plautinus supra prolatus Cas.39-41 **abhinc annos factum est sedecim, / quom conspicatust.../ puellam exponi** itidemque Aul.3-4 **hanc domum / iam multos annos est quom possideo et colo** et Amph.302 **Agite, pugni; iam diu est, quod ventri victum non datis**. Cf. etiam elocutiones haud raras **hinc est, quod...** (Thes.Ling.Lat.VI 3, p. 2799, lin.10-25), **hinc est, ut...** (ibidem lin.28-33), **inde est, quod...** (Thes.Ling.Lat.VII 1, p.1115, lin.81 - p.1116, lin.14), ad quas causalem vim adverbiorum tractans redeo (vide p.146-147). Fortasse huius generis elocutionibus nisus is, qui in Thesaurum Linguae Latinae exempla adverbii **abhinc** collegit, hunc, quem tractamus, locum Apuleianum Apolog.55 in numero eorum exemplorum posuit, in quibus **abhinc** est "quasi praepositio cum acc." (Thes. Ling.Lat.I, p.74, lin.65 - p.75, lin.4). Plus tamen ponderis tribuerim conclusioni Lundströmianae (op.memor.p.26): "**triennium** ist dort gewiss ein Nominativ."

87. Vide p.44-45.

88. Forcellini (I, p.9, col.dextra) monet **abhinc** "saepius et apud optimae notae scriptores" ad tempus praeteritum referri, ad futurum autem "raro et apud inferioris notae scriptores".

89. Localem quidem functionem habens **abhinc** apud Lucretium occurrit: 3,995 **Aufer a b h i n c lacrimas** (**abhinc** = **hinc**). Nihil est, cur hunc locum non recte traditum esse suspicemur aut in eo interpretando propter vim localem adverbii haesitemus. Contra, ac Lewis & Short s.v. **abhinc** contendunt (p.7, col.sinistra: "there is no other example where **abhinc** is used of place"), in posteriore Latinitate complura sunt exempla huius adverbii localiter adhibiti (vide Thes.Ling.Lat.I, p.75, lin.71-81), e quibus hic commemorantur duo: Augustin.Civ.Dei 22,11 (Dombart II, p.584, lin.27-30) **Ac per hoc, inquit, quoniam terra a b h i n c sursum versus est prima, secunda aqua super terram, tertius aer super aquam, quartum super aera caelum, non potest esse terrenum corpus in caelo**; Oros.Hist.3,16,2 **Thebanos cum diruta civitate delevit, reliquos sub corona vendidit; ceteras urbes Achaiae et Thessaliae vectigales fecit; Illyrios quoque et Thracas translato mox a b h i n c bello domuit**.

90. Alio loco (3,23,68) quaeri potest, temporaline an potius locali vi **abhinc** Orosius posuerit: **finis Macedonici belli finis**

etiam libri fiat, praesertim cum iam a b h i n c Pyrrhi bella incipiant et mox Punica consequantur (id est cum iam ab hoc loco operis mei Pyrrhi bella tractare incipiam).

91. Thes.Ling.Lat.I, p.75,lin.25-29.

92. Vide p.4,6,11-12.

93. Cf. Ernout, Plaute III, p.140: "Epidique, un sac d'argent sur l'épaule...(Montrant le sac) Voici qui est déjà perdu. N'espère pas en revoir jamais rien: ton argent est mort et enterre."

94. E.g. C.Gesta de usu adverbii hinc ita disserit (p.35): "l'avv. di moto da luogo si spiega in quanto le provviste devono essere trasportate dal luogo in cui ora si trovano nelle case di Euclione e Megadoro (cfr. v.327)."

95. Cf.Plaut.Poen.584-585 **comitiales sunt meri; / i b i habitant, i b i eos conspicias quam praetorem saepius** (ibi = in comitio); Merc.884-885 **Quo nunc ibas? Exulatum. Quid i b i faceres? (ibi = in exilio).**

96. Cf. Hooper-Ash, p.43: "...or if you wish you can soak some o f i t a while..."

97. Partitive igitur **inde** potissimum accipiendum esse existima-
verim, sicut H.Le Bonniec, qui hos versus in linguam Francogalli-
cam ita convertit (Ovid.Métam.II, p.23): "le souffle de la vie
animait encore ses membres que déjà toutes les deux les mettaient
en pièces; elles e n font bouillir une partie dans des vases de
bronze; les autres, percés avec des broches, pétillent sur le
feu." Alii vero - mea quidem sententia non necessario perperam -
adverbio **inde** temporalem vim (= **deinde** vel **mox**) tribuunt, e.g.
Chamonard, qui eosdem versus Francogallice ita reddidit (p.173):
"Puis, ces membres encore palpitants et conservant un souffle de
vie, elles les déchirent; **b i e n t ô t** une partie bout dans
des chaudrons de bronze, une autre grésille sur des broches."

98. Frustra, quod intellegam, Handius hic "et ob structuram
verborum, et ob sententiam, cui aliquid deesse videtur" (III, p.
364), in adverbio partitive interpretando dubitat; pignoribus
enim Phyllis verba blanda et genus et lacrimas Demophoontis de-
signat, quae singula enumeravit supra v.49-52 verbum **credidimus**
anaphorice repetens; tum addit sibi tot pignoribus non opus fuis-
se; **quolibet uno ex iis** se confisuram fuisse. Recte igitur G.Ro-
sati Italice (p.83): "A che scopo mi hai dato tutti quei impegni,
d i c u i anche una parte qualunque sarebbe bastata a sedurmi?"
Multo magis coacta est modalis significatio **hac via, hoc mo-
do** (?), quam idem Handius paulo post (III, p.366) adverbio **inde**
tribuere conatur: "Dicit Phyllis: quid me iuvant tot pignora.
Potui ab unoquoque capi amoris caussa. Nos **von dieser Seite, auf
diesem Wege.**"

99. Handius III, p.86. Rectius Izaac hos versus Francogallice
ita reddit (I, p.59): "Tu ne m'embrasses, Postumus, que de la

moitié d'une lèvre. J'en suis heureux; mais tu peux même supprimer la moitié de cette moitié."

100. Schlesinger hunc locum Anglice reddens **inde** temporaliter accipit (Livy XIII, p.179): "t h e n he sent ten talents to Pantauchus". Hillen autem in conversione sua Theodisca adverbio partitivam vim tribuit (p.481): "D a v o n wurden zehn Talente zu Pantauchus geschickt".

101. Ad locos Livianos 3,5,13 et 26,47,1 et 36,19,12 et 39,29,9 et 39,31,13, ubi **inde** partitive adhibitum potius ad personas quam ad res refertur, in septimo capitulo redibo; item ad Ovid.Metam. 3,404 et 7,515 et Epist.Pont.2,2,22.

102. Vide quae Hildebrand (p.558-559) ad hunc locum adnotavit.

103. Vide Salonium, p.212.

104. Thes.Ling.Lat. s.v. **inde** (VII 1, p.1119,lin.47 - p.1120, lin.18) enumerat exempla, in quibus "de partitione" agitur: "exprimitur per numeral., pron., subst., quid vel quantum dematur". In multis horum exemplorum pro adverbio **inde**, quod potius verbo quam nomini annectitur, elocutionem praepositionalem optime, vix autem genetivum partitivum ponas.

105. Ad adverbium modale **largiter**, in prosa quidem aevi classici rarum, sed in archaica et posteriore Latinitate etiam pro substantivo quantitatis adhibitum, genetivus partitivus e.g. his locis accedit: Plaut.Rud.1188 **credo edepol ego illic inesse argenti et aurii largiter**; ibid.1315 **largiter merce dis indipiscar**; Truc.903 **veteris vini largiter**; Petr.71,7 **Omne genus enim poma volo sint circa cineres meos, et vinearum largiter**; Apul.Apol.28 (Helm II 1, p.32, lin.22-23) **mihi...largiter aqua superest**.

106. In litteris antiquis certe inveniuntur loci, quibus **inde** syntactice simillima ratione positum est, qua **en** Francogallicum poni solet, e.g. Ovid.Metam.12,443-444 **iaculo mihi vulnera fecit. / Signa vides, apparet adhuc vetus inde cicatrix (inde = ex iis, sc. vulneribus)**. Hos versus Chamonard (p.311) Francogallice ita reddidit: "De son javelot, il me blessa. Tu vois la marque du coup, et j'en ai gardé cette vieille cicatrice encore apparente." Nihilo minus **inde**, cum ad vulnera referatur, e quibus restat cicatrix, causaliter quoque accipi potest.

107. Cf. Väänänen, Éger. p.98. Quod autem ad primum **inde** in eadem periodo occurrens attinet, quod Väänänen cum **adhuc** coniungit et **inde adhuc** interpretatione Löfstedtiana (Komm.p.230 **inde adhuc** etwa = **usque adhuc** 'heute noch') nisus Francogallice "depuis ce temps jusqu'aujourd'hui" reddit, dubito an non temporaliter accipiendum sit **inde**, sed potius causaliter vel localiter, velut si "presbyter sanctus" haec fere dixisset: "...**quare si quis hodie iuxta eum ipsum locum sibi vult facere domum,...aliquotiens et argenti et heramenti modica frustella ibi invenit...**", id est de regio palatio, non de quolibet aedificio agi id ipsum ostendere,

quod ibi metallorum pretiosorum "frustella" reperiantur. Cf. Ma-
raval, p.187: "D e l â v i e n t qu'aujourd'hui encore, lors-
que quelqu'un veut faire une maison juste à côté et en touche les
fondations, il y trouve parfois de menus fragments d'argent ou de
bronze". Si **inde pro quare vel eam ob rem** accipitur, coniunctioni
nam necesse est pleonastica tantum remaneat functio, haudquaquam
rara in sermone Aetheriae; sin **inde...subito iuxta idem fere ac**
iuxta eum ipsum locum valet - ne hoc quidem a sermone Aetheriae
excluserim -, **nam** originalem habet vim explanativam.

108. Equidem quodcumque opus scriptoris Graeci aut Romani a domo
editoria Francogallica "Les Belles Lettres" divulgatum in manus
sumpsi, in initio uniuscuiusque eandem fere adnotationem reperio,
in qua **en syntactice genetivi obiectivi Latini vice fungi iudica-**
verim, e.g. Bornecque, Ovide, L'art d'aimer (1983): "...ce volume
a été soumis à l'approbation de la commission technique, qui a
chargé M.Jules Martha d'e n faire la revision et d'e n surveil-
ler la correction..." (= ...de faire la revision et de surveiller
la correction d u v o l u m e). Latinum **inde** nusquam inveni ta-
li functione adhibitum; **unde** autem in versu Lucretiano 4,1048 id-
que **petit corpus, mens u n d e est saucia amore** non modo causa-
liter ad adiectivum **saucia** accedere potest, sed etiam obiectivi
fere genetivi (**cuius**) vicem gerens cum **amore** cohaerere.

109. Vide p.12. Aliorum autem adverbiorum compositorum partitive
usurpatorum exempla in seriore Latinitate occurrunt, e.g. Vitae
patrum 5,4,4 **mensuram parvam victus dabamus ei in anno; et quo-**
tiens veniebamus, e x i n d e comedebamus (exinde = partem eius
victus).

110. Robert, s.v. **dont** (p.570) plura quoque exempla praebet.

111. In Liv.8,13,15 **Licet delere omne Latium, vastas inde soli-**
tudines facere, u n d e sociali egregio exercitu per multa bel-
la magnaue saepe usi estis adverbio **unde** pura localis vis tribui
posset, si praedicatum enuntiati secundarii e.g. verbum movendi
esset; nunc vero **inde...unde** prope idem valet atque **ex ea ter-**
ra... cuius; genetivus enim pronominis relativi pro attributo
elocutionis **sociali egregio exercitu** optime quadrat. Cf. p.121.

112. Exempla adverbii **unde** pro genetivo possessivo (**cuius**) posi-
ti praebet Du Cange VIII p.368, inter alia Litteras Edwardi II,
Reg.Angl.ann.1323, apud Rymer.tom.3. pag.985: **Cum olim Jakeminus**
de Recto, mercator de Janua, nobis dedisset intelligi, qualiter
ipse cum quadam magna nave, quae vulgariter Dromunda nuncupatur,
u n d e idem Jakeminus patronus et dominus erat...

113. Cf. etiam Agr.33,5 (vide p.93).

114. Vide adn.111 huius capituli.

115. Alia exempla: Liv.4,50,2 **quaestor P.Sestius...misso ad vo-**
ciferantem quendam militem lictore, cum i n d e clamor et iur-
gium oreretur, saxo ictus turba excedit; 6,18,16 I n d e de
regno agendi ortum initium dicitur; cf. etiam Colum.6,14,4 intu-

mescit collum nervique tenduntur, et i n d e nata durities iugum non patitur.

116. E.g. U.Albini hunc locum ita reddit Italice (Pacitti-Castorina-Albini, p.338): "Bada, ti avverto s i n d' o r a: non mescolare l'abiezione tua con lo splendore dei più illustri cittadini".

117. Vide p.85-86 et 120.

118. Cf. Ernout, *Lucr.* p.60: "...il te faudra ajouter d'autres parties; et s u c c e s s i v e m e n t, toute nouvelle combinaison réclamera à son tour d'autres parties, si tu t'avises de vouloir encore trouver d'autres figures". Etiam pura temporali vi adhibitum occurrit **inde** alio loco Lucretiano, scilicet 4,275-276 **Primus enim citra postes tum cernitur aer, / i n d e fores ipsae dextra laevaue secuntur (inde = deinde).**

119. E commentatoribus alii adverbio illi potius temporalem tribuunt functionem, e.g. Basore I, p.219: "N e x t, too, comes this - that we should not be exasperated by trifling and paltry incidents"; alii autem causalem functionem praeferunt, e.g. Sacerdoti, p.217: "D a c i o d e r i v a anche il fatto che non ci adiriamo per questioni di poca importanza". Hanc interpretationem verisimiliorem esse ex eo apparet, quod enuntiatum secundarium ut **...non exacerbemur** (pro **ne...exacerbemur**) manifesto consecutivum est, non finale. Auream quandam mediocritatem diligit Bourgery eundem locum his verbis Francogallice reddens (p.50): "A c e r e m è d e s ' e n r a t t a c h e un autre: ne pas s'exaspérer pour des riens, pour des mesquineries."

120. Alia similia fere exempla sunt *Liv.* 5,26,7 et 22,44,5; temporalem autem vim praevalere existimaverim in 22,49,5 et 27,18,6.

121. Cf. *Liv.* 21,63,4 **Res per summam contentionem acta invidiam apud nobilitatem suasori legis Flaminio, favorem apud plebem alterumque i n d e consulatum peperit (inde = ob eum, sc. favorem).**

122. Errores etymologicos a Varrone passim admissos hic non est locus perscrutandi.

123. Cf. *Thes.Ling.Lat.* VII 1, p.381, lin.1: "...pote vel illinc (**vox dicta esse**).

124. Vide p.132.

125. Vide e.g. *Thes.Ling.Lat.* VI 3, p.2800, lin.23-46 (s.v.**hinc**), VII 1, p.381, lin.1-9 (s.v. **illinc**), VII 1, p.1117, lin.3-31. Adverbium **indidem** multo rarius tali vi ponitur (VII 1, p.1165, lin. 9-61), **istinc** videlicet numquam (VII 2, p.516-517).

126. Norden (p.197) versus **qui nunc Misenus ab illo / dicitur aeternumque tenet per saecula nomen** (*Verg.Aen.* 6,234-235) commentans aetiologicae quae vocatur poesis mentionem facit eo peculia-

riter tendentis, ut origo nominum propriorum explicetur. Monet antiquos lectores huius proprietatibus stilisticis assuetos fuisse. Harum pro exemplo inter alia profert versus **Adfuit...et Cypys: h i n c n o m e n C a m p a n a e d i c i t u r u r b i** (Aen.10,143-145), ad quos in septimo capitulo revertar. Eiusdem generis explicationes etiam posterius interpolatores carminibus inserebant; e.g. Aen.6, 242 **U n d e l o c u m G r a i i d i x e r u n t n o m i n e A o r n o n** vix Vergilio attribuentus est versus, sed potius posterior glossa.

127. Väänänen, Eger. p.98-99.

128. Cf. Peregr.Aeth.7,1 **q u i l o c u s n u n c d e c a s t r o, q u i i b i e s t, a p p e l l a t u r C l e s m a**. Praepositiones **a/ab** et **e/ex**, quae alibi passim ad originem nominum et vocabulorum exprimendam usurpantur (vide e.g. Lewis & Short, s.v., p.3, col.tertia, et p.670, col.secunda), in Peregrinatione Aetheriae in hac significatione non reperiuntur.

129. Vide p.5.

130. Stampini I, p.27.

131. Goelzer (p.424) hoc et quaedam alia e numerosis exemplis ("entre mille exemples") Hieronymianis profert simulque addit similia in Francogallica quoque lingua inveniri: "C'est la même fait que nous constatons dans l'ancien français avec **dont** et dans le français du XVII^e siècle avec **d'où**."

132. Cf. supra p.10-11 (Salonius, p.212).

133. Bonnet, p.328.

134. Blaise, s.v. **unde** (p.856).

135. E.g. Della Corte III, p.38: "**hinc**, dalle capre si ricava una abbondante figliazione (**suboles**) e grande quantità di latte..."

136. Ita illum locum interpretari videtur Koch, qui eum hac ratione explicat (p.237): "**hinc**, d.h. in Folge dieser reichlichen Nahrung u. guten Pflege der Ziegen." Aliter tamen censet Thomas (2, p.100) Columellae auctoritate nisus: "**hinc** refers to goats, as opposed to sheep; cf. Columella 7,6,7 **parit autem, si est generosa proles, frequenter duos, nonnumquam trigeminos**." Sic etiam Servius: **binos enim pariunt capellae plerumque**.

137. Cf. Hoppe, p.111-112.

138. Vide adn.107 huius capituli.

139. Cf. Thes.Ling.Lat.VI 3, p.2799, lin.10-25 et 28-33, VII 1, p. 1115, lin.81 - p.1116, lin.14).

140. Cf. Prud.Cathem.4,13 **Omnes quod sumus aut vigenus, i n d e e s t**, ubi itidem **inde est** non proleptice in initio, sed post enuntiatum secundarium in fine periodi positum est. Praeterea cum in

hoc exemplo, contra atque in reliquis, inde Deum designat, ad id in septimo capitulo redibo.

141. Vide p.22.

142. Handius III, p.90 tertiam praebet interpretationem: **hinc** "regitur a notione incipiendi...Posuit enim (poeta) universa argumenta, a quibus exiens ad alias res erat digressurus"; **hinc** igitur idem fere valere atque **ex his (argumentis) proficiscens**. Haec etsi non omnino excluserim, non video, cur simplicior explicatio Burmanniana (**hinc pro nunc, post bucolica**), congruens cum "notione incipiendi", quam adverbium **hinc** habet, inepta iudicari debeat. Cf. Stampini, Georg. I, p.2: "**hinc** suole spiegarsi come equivalente del greco τῶν ἀμόν^ηεν (Om.Od., I, 10), cioè **ex his, horum partem**. Pertanto il poeta significherebbe non voler egli trattare di tutto ciò che si riferisce all'argomento da lui scelto, ma solo esporre le cose più importanti. Ma è più semplice interpretare per 'da questo punto', 'ora'." Similiter Mynors, Verg. p.3: "**hinc** seems to lie somewhere between 'next' (E.6.41) and 'henceforward', 'beginning from this point'. If so, there may be a reference to the Eclogues, which are not explicitly mentioned till 4.565..." Ad interpretationem **hinc = de his rebus** inclinare videtur de Saint-Denis, qui **hinc canere incipiam** Francogallice "v o i l â c e q u e j e v a i s m e t t r e â c h a n t e r" reddit.

143. Vide p.9.

144. Compennass, Glotta 8/1917, p.117. Plura exempla enumerat etiam Thes.Ling.Lat.VII 1, p.1120, lin.19-38.

145. Cf. p.12 et 22. Plura exempla e Gregorio Turonensi excerpta profert Bonnet p.580.

146. Cf. p.13.

147. Girodet, s.v. **dont**, p.251: "Le relatif **dont** ne doit pas s'employer pour exprimer le lieu au sens matériel. Il faut employer d'où: **La province d'où je viens** (et non **dont je viens**, tour archaïque). **Voici la carrière d'où on a extrait la pierre**. En revanche, il est conseillé d'employer **dont** plutôt que d'où, quand il s'agit du lieu au sens figuré avec les verbes **descendre, sortir de, être issu de** etc. exprimant l'origine familiale: **Le personnage illustre dont il descend; Ces obscures familles paysannes dont ils étaient sortis.**"

148. Vide e.g. Forcellini II, p.8, col.dextr.(s.v. **de**).

149. Praeter inveteratam formulam **de pecunia sua fecit** etiam alibi praepositio **de** prope instrumentali vi adhibita occurrit, in archaicis quidem et classicis litteris admodum raro, e.g. Plaut. Bacch.97-98 **te.../...facere sumptum de tuo**, Ter. Adelph.117 **Obsonat, potat, olet unguenta de meo**, Cic. Epist. ad Att.13,47 (38),1 **de eodem oleo et opera exaravi nescioquid ad te**, Ovid. Metam.1,413 **de femineo reparata est femina iactu**. In posteriore Latinitate **de** cum ablativo saepius pro ablativo instrumenti

occurrit; secundum Thes.Ling.Lat.V 1, p.62, lin.21-22 inde ab Apuleio "deest apud neminem et plerisque recentioris aetatis in deliciis habetur" (vide exempla p.62,lin.22 - 64,lin.34 prolata, quorum quidem in multis non dixerim instrumentalem vim inesse. In vulgari utique Latinitate talem functionem conservatam esse ostendunt praepositiones linguarum Romanicarum (Francogallica & Hispanica **de** et Italica **di**), quae saepissime instrumentalem habent functionem (e.g. Francogall. **se pourvoir d'armes** = Hisp. **proveerse de armas** = Ital. **provvedersi di armi**). - Etiam praepositio **ex** passim instrumentali vi ponitur, praesertim cum de aedificandi rationibus agitur, e.g. Vitruv. 5,10,3 **Earumque camararum superiora coagmenta ex argilla cum capillo subacta liniuntur**; Vulg. Ioh. 12:3 **et domus impleta est ex odore unguenti**. Cf. Thes.Ling. Lat.V 2, p.1111, lin.51 - p.113,lin.43 ac Saloni, p.100-102.

150. Cf. Ernout, Plaute II, p.26: "Je m'en vais aujourd'hui machiner quelque bon tour afin de réaliser l'argent dont son jeune fils a besoin pour ses amours." Etiam interpretationem Anglicam (Nixon I, p.353) "I'll machinate some machinations to-day for transferring part of said gold to my lovesick young master" approbandam esse censeo, non tamen ita, ut adverbio Latino **unde** partitivam vim tribuam.

151. In expressivo sermone pro **habeo unde dem** vel **habeo unde hoc fiat** etiam elliptice **habeo unde** et alia similia dici possunt omisso praedicato enuntiati secundarii relativi, e.g. Plaut. Capt. 850 **scis bene esse, si sit unde**, Cic. Tim.6,18 **nec vero erat unde**, Petron.45,6 **Et habet unde: relictum est illi sestertium tricentis**. Plura exempla e posterioribus litteris desumpta profert Löfstedt (Synt. II, p.273-274), qui in eodem conexu etiam Francogallicae elocutionis **Il a de quoi** mentionem facit. Hanc recte monet psychologica tantum elocutioni Latinae **habet unde** propinquam esse; nihil est, cur illam ex hac originem trahere concludamus. Huius modi elocutiones separatim in diversis linguis nasci ex eo quoque patet, quod e.g. Hungarice **van miből** 'est unde' dici potest. In Latinitate etiam adverbium **ubi** eadem ratione elliptice adhibitum invenitur, cuius pro exemplo Löfstedt profert Anton. Plac. Itinerarium, rec. A 40 **quia nec habent ubi, eo quod totum harena sit (nec habent ubi = nec habent ubi laborent sive ...ubi agros colant)**.

152. Handius III, p.363.

153. Genetivo plerumque indicantur abstractae res, **quarum** aliquid impletur vel completur vel expletur vel repletur: Liv.1,46, 8 **celeriter adolescentem suae temeritatis implet**; Plaut. Amph.470-471 **Erroris ambo ego illos et dementia e / complebo**; Verg. Aen.2,586-587 **animumque explesse iuvabit / ultricis flammae**. Neque tamen desunt exempla etiam concretarum rerum in huius generis elocutionibus genetivo expressarum: Plaut. Truc.523 **Multo ecaster magis oppletis triticis opust granariis**, Liv.6,25,9 **vidit...repletas semitas inter vulgus aliud puerorum et mulierum huc atque illuc euntium...**

154. Cf. supra adn.149.

155. Hoc modo, ut recte monet Forster p.154, **inde** interpretandum esse testatur Valerius Maximus idem certamen ita describens (7,6, ext.2): **Numantini autem a Scipione vallo et aggere circumdati, cum omnia, quae famem eorum trahere poterant, consumpsissent, ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt.**

156. Propius ad localem functionem est **unde** in Liv.44,27,6 **amis-
sa Thessalia, unde exercitus alebatur** (id est fere: **unde ex-
ercitui alimenta suppeditabantur**). Elativas tamen elocutiones pu-
ra instrumentali sive modali vi etiam verbo **vivere** iam inde ab
aevo classico adiungi potuisse nonnulla - admodum rara quidem -
exempla ostendunt: Cic.Or.Rosc.Amer.18,78 **in caede atque ex
caede vivunt**, Ovid.Metam.1,144 **vivitur ex raptu**. Vix
dubium est, quin idem in verbo **alere** valeat, cuius quidem eadem
ratione adhibiti exempla non inveni nisi in litteris serioris an-
tiquitatis: Paul.Dig.37,10,6,4 **ali ex bonis defuncti**,
Hieron. Epist.53,10 **unde alat Christus pauperes suos**.

157. Cf. Williams, Verg.Aen.3, p.197: "Servius says '**aut de
fluctibus aut de spatio oculi**', of which I prefer the former:
'when he reached the deep water, he bathed his eye in it (from
it)'. Conceivably **inde** might mean 'then', picking up **postquam**
(cf. the use of **tum** in Aen.5.720), but this would be very weak
indeed, particularly in the fifth foot."

158. Vide p.10-11 (Salonius, p.212-213).

159. Reydellet hos versus Francogallice ita reddit (p.27):
"Croyant lui donner la mort, l'ennemi donne au saint la gloire et
c'est plutôt lui, le bourreau, qui succombe à la mort éternelle.
Ce misérable triomphait, s'il avait été incapable de l'égorger:
en lui ôtant la tête, il lui donna le ciel."

160. Non prorsus excludendam, etsi minus probabilem, iudicaverim
alteram explicationem: adverbii **peccatum originale** sive **parentis
protoplasti fraudem** (v.4) designari. Tum **unde** instrumentalem ha-
beat functionem, **inde** autem attributive pro genetivo obiectivo ad
medellam accedens hanc fere suadeat liberam paraphrasim: Creato-
rem **eius fraudis, qua** Diabolus genus humanum laesisset, remedium
afferre voluisse. Nam substantivum **medella** in posteriore imprimis
Latinitate usurpatum haud raro genetivum obiectivum regit (Thes.
Ling.Lat. VIII, p.519, lin.57-59). Haec vero explicatio illam,
quam supra attigi, elegantem similitudinem versuum sexti et noni
minus conspicuam reddat. Utique res ipsa in versibus commemoratis
tractata manifesto eadem est, de qua e.g. Paulus Apostolus in
Epistula ad Romanos (5:14-19) fusius disserit atque brevius in
Epistula prima ad Corinthios (15:21-22). In hac Versio Vulgata
verba eius ita Latine reddit: **Quoniam enim per hominem mors, et
per hominem resurrectio mortuorum, et sicut in Adam omnes moriun-
tur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.**

161. Cf. Bonnet, p.580.

162. Vide supra p.94.

163. Kraner-Hofmann-Meusel ad locum (p.187): "Quo cum: als man zu dieser Zeit am folgenden Tage kam usw. Doch könnte quo auch bedeuten: ad conloquium..." Equidem quo nisi ad conloquium referri non posse censeo. Ne ad tempus referatur et pro ablativo pronominis relativi accipiatur, ablativus temporis postero die in enuntiato secundario occurrens impedit.

164. Thes.Ling.Lat.VII 2, p.517, lin.68.

165. E.g. Plaut.Asin.578 Omitte istaec; h o c, quod rogo, responde!; Ter.Phorm.684 Eho, verbero, a l i u d mihi respondes quod rogo!; Cic.Or.Cael.28,67 I l l u d vero respondere cogam, cur tot viri...hunc unum et tam imbecillum...non...comprehenderint; Or.Vatin.17,41 Extremum illud est, q u o d mihi abs te responderi velim. Plura exempla profert Ox.Lat.Dict. (s.v. respondeo, p.1634), inter alia ipsum locum Varronianum supra examinatum.

166. Nimirum inveniuntur exempla etiam aliis additamentorum generibus adaucta aut iis omnino carentia: Ter.Eun.517-518 Ubi friget, h u c evasit, quam pridem pater / mihi et mater mortui essent; Cic.Nat.deor.1,32,89 quid opus erat te gradatim i s t u c pervenire (istuc = ad istam conclusionem) Leg.1,3,9 ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus traducor a l i o (alio = ad alia negotia); Or.Cael.31,74 Vellem a l i o potius eum cupiditas gloriae detulisset (alio = ad alias res, id est: non ad accusandum); Or.Rosc.Amer.30,83 Venio nunc e o, q u o me non cupiditas ducit, sed fides; Or.Sest.52,112 I l l u c revertor (illuc = ad illa comitia, de quibus orator iam 51,109 loqui coeperat, sed a quibus digressus erat, ut in L.Gellium inveheretur; cf. 53,113); De orat.2,38,157 ut e o revocetur, unde h u c declinavit oratio...; Epist.Fam.8,16,5 ne te sciens prudensque e o demittas, unde exitum vides nullum esse; Rhet.Herenn.1,16,26 Reperta iudicatione omnem rationem totius orationis e o conferri oportebit; Liv.42,13,3 Cernebam nobilissimas Asiae et Graeciae civitates mox...e o processuras, unde receptum ad poenitendum non haberent; Quint. Inst.or.4,2,132 De fine narrationis cum iis contentio est, qui perduci expositionem volunt e o, unde quaestio oritur.

167. Sargeaunt hos versus ita Anglice reddit (I, p.61): "Why, at the worst the inconvenience r e d u c e s i t s e l f t o t h i s, the possibility of a divorce, which heaven forbid", itidemque Bianco elocutionem huc redit Italice "si riduce a questo" (Ter.Andr. p.56).

168. Vide supra p.68-71.

169. Ex aliis locis, ubi elocutio quo usque invenitur, hi commemorantur: Plaut.Asin.42 "Nam q u o u s q u e?" "Usque ad mortem volo; Cic. De re publ.6,17,17 q u o u s q u e humi defixa tua mens erit?; Epist.Att.15,23 permulta mihi de nostro itinere in

utramque partem occurrunt. 'Q u o u s q u e?' inquires. Quoad erit integrum; erit autem, usque dum ad navem.; Sallust.Hist.1, 77,17 vos autem, patres conscripti, q u o u s q u e cunctando rem publicam intutam patiemini et verbis arma temptabitis?; Dig. 20,3,1 q u o u s q u e ei permissum videatur peculium administrare. Nonnumquam partes elocutionis tmesi distinguuntur, e.g. Cic.Or.Philipp.3,2,3 Q u o enim u s q u e tantum bellum, tam crudele, tam nefarium privatis consiliis propulsabitur?; Martial. 2,64,9 Heia, age, rumpe moras: q u o te sperabimus u s q u e?; rarius autem inverso ordine occurrunt, e.g. Vulg.Exod.10,3 U s - q u e q u o non vis subici mihi?.

170. Adverbium interrogativum quo translate adhibitum sine additamento usque occurrit e.g. his locis: Verg.Ecl.1,71-72 en q u o discordia civis / produxit miseros!; Hor.Sat.1,1,14-15 audi, / q u o rem deducam (cf.p.93).

171. In eadem epistula paulo post (7,9,4) ita pergit: tollamus igitur hoc, q u o illum posse adduci negant.

172. Coniunctio consecutiva ut, quae in codicibus desideratur, ab editoribus optimo iure addita est. Cf. locum parallelum alias (p.69) tractatum Tac.Ann.15,1,2 e o contemptionis descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur.

173. Vide Forcellini I, p.779, s.v. confugio.

174. Idem de alio quoque loco Ciceroniano dici potest, scilicet Tusc.2,27,67 urgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanta sint, ut ferendi non sint, q u o sit confugiendum, tu vides; quamquam enim quo potius abstractas quam concretas res designat (= ad quae remedia), tamen praecedente comparatione praesto est, qui excipiat, vel delphinus...vel equi Pelopis...excipient te et quo velis perferent fit, ut legenti velut concreta imago ante oculos obversetur.

175. Cf. quae Questa ad hunc locum adnotat (p.35): "287...istuc: acc.n.sing. - aliovorsum: anche noi diciamo 'in senso diverso' (aliovorsum è avv. di moto a luogo). 288. istuc: qui è avv.dimostrativo di moto a luogo. - insimulas: rendi tutta la frase (compreso il v. precedente) 'ma io avevo detto questo in senso diverso da quello di cui tu mi accusi (insimulas).' Hactenus commentatori assentior; minus autem eidem pergenti: "insimulo è costruito come un verbo di moto, donde aliovorsum...istuc... quo."

176. E.g. Cels.4,29,1 Harum (sc. coxarum) ingens dolor esse consuevit, isque hominem saepe debilitat et quosdam non dimittit; eoque id genus difficillime curatur, quod fere post longos morbos vis pestifera h u c se inclinat (huc = ad has, sc. coxas).

177. Liv.1,25,4 et 5,26,9 et 8,1,4 n e u t r o inclinata spe; 6,38,9 re n e u t r o inclinata; 24,15,3 n e u t r o inclinata est pugna; 27,2,6 diu pugna n e u t r o inclinata stetit; 34,62,17 n e u t r o inclinatis sententiis; 42,7,5 ut n e u t r o inclinaret spes, Tac.Hist.3,23,3 N e u t r o inclinave-

rat fortuna; cf. Liv.4,37,9 **q u o res inclinatura esset** (in nonnullis quidem codicibus legitur **qua pro quo**); Valer.Max.6,4,2 **q u o n a m eius sententia inclinaretur**; Seneca, Phoen.384-385 **q u o causa melior sorsque deterior trahit, / inclinatur animus semper infirmo favens**; Iustin.5,1,11 **q u o se fortuna, e o - d e m etiam favor hominum inclinatur**; Amm.Marcell.19,2,13 **n e u - t r u b i proelio inclinatur (neutrubi pro neutro vel ad neutram partem**; sicut enim p.61-63 ostendi, sera imperatorum aetate casus inessivi & adessivi cum illativis & allativis confunduntur).

178. ...ut...nullus sit ornatus pro ...ne...ullus sit ornatus.

179. Cf. Valmaggi p.26: "Avverti che **tamquam** col congiuntivo introduce il pensiero non dell'autore, ma del soggetto di cui si parla."

180. Alio apud Horatium loco **quo** ad verbum **valere** accedens non est adverbium, sed ablativus pronominis relativi, scilicet Sat.2, 1,50-53 **Ut, q u o quisque valet, suspectos terreat, utque / imperet hoc natura potens, sic collige mecum: / Dente lupus, cornu taurus petit; unde, nisi intus / monstratum?** quod hac fere prosaica circumlocutione reddi potest: **Qua ratione unusquisque iis, q u i b u s valet, armis sibi suspectos terreat, et qua ratione natura potens hoc imperet, mecum concludere ita dicens: Dente lupus, cornu taurus dimicat; qua re, nisi interna naturae vi, ita agere docti sunt?** Cf. Doering II, p.95.

181. Cf. e.g. Lewis & Short, s.v. **valeo** (p.1954, columnae prima et tertia).

182. Vide p.17, 64, 116.

183. Ad exempla verbi **referre** allativum adverbium regentis addi potest Horatianum (Od.3,6,5-6) **Dis te minorem quod geris, imperas; / h i n c omne principium, h u c refer exitum**, in quo adverbium **hinc** et **huc** anaphorice posita aut idem valent atque elocutiones **ab horum cultu et ad horum cultum** (sive pro correlato habent totum enuntiatum secundarium **dis te minorem quod geris**) aut simpliciter pro **ab his** (sc. **dis**) et **ad hos** (sc. **deos**). Ad hanc posteriorem interpretationem in septimo capitulo redibo.

184. Pro codicum scriptura **coaccedunt**, quae *ἅπαξ λεγόμενον* est ac verum metricae claudicantem facit, plurimi editores Plauti emendationem **eo accedunt** acceperunt.

185. Cf. etiam Cic.Nat.deor.2,13,35 **Quocirca necesse est esse quartum illum et altissimum gradum, q u o nulla vis possit accedere**, quod tamen diversi generis exemplum est, quia in eo non de additamento agitur, sed enuntiatum secundarium idem fere significat atque **quem** (sc. **gradum**) **nulla vis possit assequi**.

186. Verbum **adiungere** unum est e verbis quae vocavi **addendi**, nec passivae formae eius (e.g. **adiungi**) significatione multum differunt a verbo **accedere**; ergo enuntiatum secundarium **si utroque adiuncta sit** idem fere valet ac **si utroque accesserit**.

187. Cf. *Caes.Civ.*1,56,1-2 (p.179).

188. Pro codicum scriptura **huic**, quae vera existimari non potest (*Kraner-Dittenberger-Meusel* II, p.599), editores aut **huic** <spatio> legunt aut **huc**. Veri similis est *Caesarem huc* scripsisse quam substantivum **spatium** bis in eadem periodo brevi adhibuisse.

189. Elocutionibus **Huc accedit, uti...** et **Huc accedit, ut...** et **Huc accedit, quod...**, quas apud *Lucretium* omnino novies occurrere computavi (1,192, 1,215, 1,565, 1,753, 2,398, 2,1077, 3,459, 6,959, 6,1002) poeta praecipue videtur favere, ut qui prope quamlibet rem serie multorum argumentorum ostendere et singula argumenta certis elocutionibus adverbialibus introducere soleat; e.g. 1,503 **Principio...**, 1,511 **Praeterea...**, 1,520 **Tum porro...**, 1,540 **Praeterea...**, 1,551 **Denique...**, 1,565 **Huc accedit, uti...**, 1,584 **Denique...**, 1,599 **Tum porro...**, 1,615 **Praeterea...**, 1,628 **Denique...**

190. Elocutio **huc natas adice septem** hic idem fere significat atque **accedunt huc natae septem** (cf. adn.186 huius capituli ac vide p.182-183).

191. Vide *Thes.Ling.Lat.*I, p.268, lin.20-36 et p.269, lin.44-50 et 70-75, p. 270, lin.4-5 (s.v. **accedo**).

192. *Forcellini* I, p.33.

193. Enuntiata secundaria coniunctionibus **quod** et **ut** incipientia, quibus elocutiones **accedit huc** et **accedit eo** aliaeque earum similes excipiuntur, subtilissime tantum significatione inter se differunt; quam rem *Menge* ita explicat (p.248): "(Huc, eo, eodem) **accedit, quod** giebt ein wirkliches, schon vorliegendes Faktum als hinzukommenden Grund an ('ausserdem, weil'), während das häufigere **accedit, ut** überhaupt bezeichnet, dass eine neue Thatsache zu dem schon Angeführten hinzukomme ('dass')." Nihilominus etiam **quod** in elocutione **accedit quod...** potius explicativam quam causalem coniunctionem esse dixerim.

194. *Thes.Ling.Lat.*I p.269, lin.44.

195. Cf. *Gragner* II p.109: "To it is added malachite, purple, Armeniam ultramarine".

196. Emendatio **huc** credibilis videtur (codices habent **hunc** et **nunc**).

197. Nihil est, cur **quo** spuria scriptura habeatur et in locum eius e.g. **quoi** substituatur.

198. Cf. *Galli* p.13: "**cui**: sebbene riportato dai codici deteriori, è preferibile al **quo** dei potiores". Equidem contra potiores codices, qui a codice *Laudensi* deperdito originem trahunt, deterioribus praeferens **quo** legendum esse censeo, quae insuper ob ipsum usum adverbii lectio difficilior haberi potest.

199. Cf. etiam Liv.42,52,9 **Eo** (= ad eas copias) ut accedant regum auxilia... Diversi autem generis est exemplum Livianum, quod Thes.Ling.Lat.I, p.584, lin.17. iuxta 27,22,9 et 44,21,1 commemorat, scilicet 27,45,3, in quo C.Nero dux "paucis milites adloquitur": **ad certam se eos victoriam ducere, quippe ad quod bellum collega non antequam ad satietatem ipsius peditum atque equitum datae ab senatu copiae fuissent maiores instructioresque quam si adversus ipsum Hannibalem iret, profectus sit, e o ipsos, quantumcumque virium momentum addiderint, rem omnem inclinatueros.** In hac enim periodo admodum tortuosa eo vix adverbium allativum est verbo **addiderint** adhaerens, a quo nimis longe distat, sed potius ablativus pronominis **id** elocutionem **ad quod bellum** excipiens: **ad quod bellum** collega non nisi cum ingentibus copiis profectus sit, **eo** (sc. bello) ipsos (milites Neronis), vel exiguo additamento copiarum auctos, victoriam Romanis inclinatueros. Emendatio Madvigiana ...**eo ipsi si quantumcumque virium momentum addiderint...**, quae **eo** pro adverbio locali accipi sinat (= ad eas copias), eo laborat vitio, quod totam periodum syntactice claudicantem reddit, ut in qua elocutio relativa **ad quod bellum** manca maneat; insuper coniunctio **si** cum pronominali relativo **quantumcumque** in eodem enuntiato secundario male quadrat.

200. Vide Radice, p.162.

201. In fragmentis orationum suarum Cicero manifesto ipse alloquitur Antonium (Or.Philipp.11,10,3) et iudices (2.Or.Verr.3,86,200); in epistulae autem "Ciceronianae" fragmento (Fam.10,31,4) Asinius Pollio "familiaris" Ciceronem alloquitur, sicut Seneca in sua epistula (117,31) Lucilium. Quod ad Tusculanarum disputationum fragmentum (5,6,15-16) attinet, in eo duae personae fictivae litteris M et A designatae inter se disputant.

202. De adumbratione carminis, cui ultima manus non est imposita, agi inter alia ostendunt duo versus Phalaecei non hendecasyllabi, sed decasyllabi (1 et 9) atque anacoluthon (in apodosi nullo est verbum, cui negatio **non** in initio versuum 1-4 anaphorice repetita adhaereat), quod Kroll elocutioni **adde huc** tribuit (p. 104): "Es ist ein Hinzudenken, nicht ein wirkliches Zufügen gemeint. Durch die Einfügung dieses Imperatives in den hypothetischen Vordersatz entsteht ein (psychologisch leicht verständliches) Anakoluth."

203. Praecipue **adde (huc) quod et adice (huc) quod** evanescente vi imperativi prope in adverbialem functionem transeunt, e.g. Seneca, Controv.4,5 **a d i c e h u c e t q u o d, q u i s a n a n t u r, i n g r a t i s u n t;** Quint.Inst.or.10,2,10 **A d d e q u o d p l e r u m q u e f a c i l i u s e s t p l u s f a c e r e q u a m i d e m** et ibid.11. **A d d e q u o d, q u i c q u i d a l t e r i s i m i l e e s t, n e c e s s e e s t m i n u s s i t e o, q u o d i m i t a t u r** (adde quod = praeterea).

204. Cf.37,2 **Partem de nucleis succernito et in lacum coicito; e o aqum addito, permisceto rutro bene; 39,1-2 cerae P.I, resinae P.I, sulphuris P.C'C'. Haec omnia in calicem novum indito, e o addito gypsum contritum; 75 Casei P.II bene disterat in mortario.**

Ubi bene distriverit, farinae siligineae libram aut, si voles tenerius esse, selibram similaginis e o d e m indito permiscetoque cum caseo bene; 87 Siliginem purgato bene, postea in alveum indat, e o addat aquam bis in die; 104,1 Musti Q.X in dolium indito, aceti acris Q.II e o d e m infundito, sapae Q.II, aquae dulcis Q.L. Haec rude misceto ter in die dies quinque continuos. E o addito aquae marinae veteris sextarios LXIIII; 157,9 Brassicam macerato bene, postea in aulam coicito, defervefacito bene. Ubi cocta erit bene, aquam defundito. E o addito oleum bene et salis paululum et cuminum et pollinem polentae. Puram localem vim sine ulla ambiguitate habet eo in 48,2 Porcas pedes quinos latas facito, e o stercus minutum addito (eo = in eas, sc. porcas).

205. Cf. Hooper-Ash, p.21: "... (the urine or dung of swine should be applied a r o u n d t h e r o o t s o f t h e s e to serve as food for the fruit)..."

206. Cic.Off.1,42,150; Caes.Gall.7,64,4; Civ.3,4,6.

207. Vide supra p.41-42; cf. etiam p.53.

208. Cf. Doering I, p.131: "Equidem veram esse puto antiquissimorum Codd. scripturam, qui v.9. praebent Quo..., at aliter hunc locum explico, atque ab interpretibus factum est. Quo enim neque pro ubi positum accipio neque refero ad praegressa verba in remoto gramine, sed interrogantis esse censeo: quem in usum, cui bono... Porphyrius recte igitur subaudiendum dicit ad alteram enunciati partem: si ea non utimur..." Haud multum a quo hac vi adhibito differt accusativus quid, quo Horatius in eodem carmine canere pergit (v.12-13): Q u i d obliquo laborat / lympha fugax trepidare rivo), sicut in versu Publilii Syri 566 Q u i d tibi pecunia opus est, si uti non potes?, quem in quibusdam anthologeis vidi contra codicum auctoritatem ita editum, ut quo pro quid substitutum esset.

209. Nonnulli editores praeferunt lectionem Quo mihi fortuna, si non conceditur uti?, id est fere Quam ad rem mihi fortuna opus est, si ea non licet uti?.

210. Vide p.54.

211. Dativus singularis pronominalis alius, iam per se perraro adhibitus, vacillat: pro normali forma alii substitui potest in feminino genere aliae; e.g. Plaut. Mil. glor. 802 qui nisi adulterio studiosus rei nulli a l i a e est improbus, Gell. 9,4,8 emorian-tur repente haec omnia, nulli a l i a e causae obnoxia.

212. Ultima verba periodi in codicibus corrupta sunt. Equidem coniecturam Butlerianam omnium, quas vidi, optimam esse arbitratus accepi, quamvis ne ipsi quidem persuasum sit eam rectam esse (Butler III, p.336): "The sentence can hardly be correct as it stands in the MSS. I have inserted numerosum as being the simplest improvement available."

213. Ita hunc locum partim explicatione Forbigeriana (Forbiger III, p.72) nisus interpretor. Cf. etiam Page p.191: "'t o t h i s (i.e. warlike enthusiasm) all reverence for the pruning-hook, t o t h i s all devotion for the plough has yielded'." et Götte p.307: "Ehre der Pflugschar und Sichel und jegliche Liebe zum Pfluge / w i c h d i e s e m W e r k..." Alii vero elocutionem huc cessit amor fere pro huc (= in talem statum) delapsus est amor vel sic finitus est amor accipiunt, e.g. Onesti II, p. 119: "Q u i del vomere e della falce la gloria, q u i tutto l'amore dell'aratro è f i n i t o..."

214. Vide p.54.

215. Forcellini II, p.684, columna media, s.v. huc.

216. Haec interpretatio minime cogit adverbium huc pro corruptela et dativum huic pro genuina lectione haberi. Ut enim in septimo capitulo ostendetur, pronomina primae personae non solum pronomine demonstrativo hic, sed pariter etiam adverbii localibus hic et hinc et huc semantice compensari possunt. Ne iis quidem assentior, qui significationem elocutionis arido argento nusquam alibi inventae mirati formam arido pro dativo accipiunt et huic arido legi volunt, quod eandem fere vim habeat atque 'à cet homme qui est à sec' Francogallicum et 'a quest'uomo a secco' Italicum. Cf. Ernout, Plaute VI, p.157, Paratore, Plautus V, p.89.

217. Cf. Ernout, Plaut. VI, p. 156-157: "si tu es amoureux d'elles, il me faut p o u r c e l a du bel et bon argent".

218. Cf. Williams II, p.97: "...H e r e w e need the help of your exquisitely refined discrimination."

219. In eiusdem generis elocutione Livius adverbium quo etiam propria vi locali adhibet, e.g. 43,12,6 quattuor praeterea legiones scribi iussae, quae, si q u o opus esset, educerentur. Aliibi simile atonum quo pro ablativo pronominis (= qua ratione) accipiendum est, e.g. 37,52,6 propensius cumulatusque, si q u o possit, prout eius merita sint, senatum facturum.

220. Elocutio quo senatus censuisset apud Livium ter decies omnino occurrens pro inveterata phrasi habenda est, in qua quo initio puram localem, et quidem illativam & allativam vim habuit, e.g. Liv.33,25,10 quattuor legiones novas scriberent: duas urbanas, duas, quae, q u o senatus censuisset, mitterentur (item 35,41,5 et 35,41,6 et 42,31,6 et 43,6,1). Interdum in hac elocutione quo tamen potius inessive & adessive (= ubi) usurpatur, e.g. Liv.35, 41,3 Decrevere, ut consulibus Italia et, q u o senatus censuisset - iam esse bellum adversus Antiochum regem omnes sciebant - provinciae essent (item 27,22,3 et 35,20,7). Nonnumquam in eadem phrasi quo localitate fere amissa potius in modalem functionem (= quo modo vel prout) transit, e.g. Liv.42,31,9 C.Lucretio Gallo, q u o senatus censuisset, sors obvenit (item 42,28,6 et 44, 17,10). His locis quo senatus censuisset plerumque elocutioni Anglicae 'at the disposal of the senate' aut 'at the senate's disposal' respondet.

221. Cocchia ad locum (p.45): "eodem versa in Punicum bellum, che era esposta allo stesso pericolo o alla prima minaccia di guerra da parte dei Cartaginesi; v., quali es. di epesegesi affine, 3,8,11: eodem in stativa habuit; 23,34,2 eodem ad Iunonis. A me non sembra punto verosimile l'interpretazione di versa qual neutro plurale riferito a legiones e milia." Pari ratione interpretatur Ceva (Ceva-Scândola, p.57): "La provincia di Gallia, esposta anch'essa al pericolo della guerra punica, ebbe un presidio di diecimila fanti..." - Aliter censent Weissenborn & Müller (p. 46): "versa im Neutrum, weil es auf verschiedene Begriffe, darunter milia, zu beziehen ist.", itemque Foster (Livy V, p.49): "...These troops were designed for the same service - the Punic War.", et Jal (p.21): "...forces dont l'objectif d'action était aussi la guerre punique."

222. Minus probabilem existimo elocutionis eodem versa "geographicam" interpretationem, quam praebet e.g. Gärtner (p.17: "...in derselben Richtung gelegen..."), videlicet talibus argumentis nisus, qualia Wölfflin & Lutembacher proferunt (p.28): "Nach den unklaren geographischen Vorstellungen des Livius lagen die Polande und Spanien von Rom aus nach der gleichen Richtung: man zog von Rom in beide Länder nach Norden zu."

223. Melhuish ad locum (p.93): "eodem versa. The reading, if genuine, is harsh. Versa must be taken to agree with milia, or be understood absolutely of all the forces specified. eodem is further explained by in Pun.bellum, i.e., the province had forces sent with the same object (or in the same direction) to meet the coming war with Carthage. But as a matter of fact they were sent mainly to keep the Gauls in check. The old reading is eodem anno, which has little MS. authority. It would seem as if some word had dropped out, like missa, after eodem, and that Livy meant that the forces sent to keep watch over the Gauls were diverted to the war with Hannibal (versa habuit)."

224. Non desunt exempla, in quibus vertere idem fere significet ac transferre aut mutare (et verti idem fere ac transire aut mutari): Liv.26,12,10 summa curae omnis in Bostarem Hannonemque, praefectos praesidii Punici, v e r s a erat; ibid.26,12,13 si redeat Capuam bellumque omne e o v e r t a t, et se et Campanos paratos eruptioni fore; Ovid.Metam.1,407-409 Quae tamen ex illis aliquo pars umida suco / et terrena fuit, v e r s a est in corporis usum; / quod solidum est flectique nequit, mutatur in ossa. Cf. etiam Tac.Ann.1,18,2 a l i o v e r t u n t (= ad aliam rem animos advertunt vel aliud consilium ineunt) et Ulp. Dig.15,3,3,9 cum hac mente accepisset <servus rem>, postea a l i o v e r t i t.

S U M M A R I U M L A T I N U M

In sequentibus paginis eorum, quae supra in capitulis 1 - 6 scripsi, potissima summatim repeto.

Investigatio mea eo imprimis tendit, ut vivam reddat imaginem evolutionis semanticae et syntacticae adverbiorum pronominalium localium Latinorum, quae in usu suo solitos limites transgressa pro casibus pronominum et elocutionibus praepositionalibus adhiberi coepta sunt (p.1-2 et 15). Haec res iam a quibusdam grammaticis antiquis obiter notata (p.3-4) a recentioribus tamen philologis parum est investigata; monographice non tractatur nisi in commentatione mea **Die lateinischen pronominalen Ortsadverbien in Kasusbedeutung** (Arctos II, nova series 1958, p.104-142), quam nunc retractandam atque, ut novus titulus ostendit, ampliandam suscepi (p.2, 15-16, 24-27).

Antequam problemata principalia aggrediar, varias res, quibus adverbia Latina cum casibus nominum et elocutionibus praepositionalibus coniunguntur, generaliter observo (p.28-71). Inter casus enim et adverbia nullus videtur limes fixus esse (p.28): multa adverbia et morphologice et syntactice sunt veteres casus petrificati ac suas peculiarias agunt partes in evolutione generali casuum. Hoc non modo in adverbiiis localibus, sed etiam in modalibus et causalibus et temporalibus particulis (e.g. **qui, qua, cur, quare, cum, quoad**) aliisque valet, quorum, sicut adverbiorum localium, usus haud raro commoditati cuidam eorum tribuendus est (p. 5, 25-26, 34, 44, 72). Syncretismo casuum factum est, ut nudi casus paullatim elocutionibus praepositionalibus cederent (p.55-59, 72). Ne adverbia quidem contagione praepositionum libera manserunt; immo nova nata sunt adverbia e praepositionibus et veteribus adverbiiis composita (p.12-13,24); quin etiam in praepositiones aut postpositiones aut coniunctiones temporis decursu quaedam adverbia ipsa mutata sunt (p.56-60). Confusio elocutionum ad quaestiones **ubi?** et **unde?** et **quo?** respondentium in adverbiiis pariter apparet atque in ceteris elocutionibus localibus sermonis Latini

praesertim seriorum saeculorum (p.60-63). Adverbium **nusquam** non modo (**in**) **nullo loco** significat, sed etiam pro **in nullum locum** aut interdum pro **e/a nullo loco** adhiberi potest, quia in Latinitate iuxta **nusquam** nulla sunt adverbia localia ad quaestiones **quo?** et **unde?** respondentia; pari ratione se gerit **usquam**, quamquam existit **quoquam** (p. 17, 63-64, 116, 173). Inter indicia paritatem syntacticam quarundam elocutionum nominalium et quorundam adverbiorum ostendentia id quoque notetur, quod utrisque saepe genitivus partitivus annectitur (p.31-32, 64-71); e.g. inde ab aetate Augusti et **eo inopiae venerunt** et **in id inopiae venerunt** dici potest.

Adverbia pronominalia localia examinare incipienti primum, quae sint et quae in genera dividantur, definiendum est. Dividendi rationes variae sunt. Quod ad stirpem pronominalem attinet, duo eorum genera distinguere possunt: 1) adverbia demonstrativa, 2) adverbia relativa & interrogativa & indefinita (p.16-18). Diversitate localis functionis eorum fit, ut alia quoque ratione in singula genera dividi possint: 1) adverbia ad quaestionem **ubi?** respondentia sunt **inessiva** aut **adessiva**, 2) adverbia ad quaestionem **unde?** respondentia sunt **elativa** aut **ablativa**, interdum etiam **delativa**; 3) adverbia ad quaestionem **quo?** respondentia sunt **illativa** aut **allativa**. Adverbiis **inessivis** et **elativis** et **illativis** exprimitur **interna** localitas (id est indicatur e.g. **in qua domo** aliquis sit aut **e qua domo** exeat aut **in quam domum** intret); adverbiis **adessivis** et **ablativis** et **allativis** exprimitur **externa** localitas (id est indicatur e.g. **apud quam domum** aliquis stet aut **a qua domo** proficiscatur aut **ad quam domum** veniat). Extra haec adverbiorum localium genera observanda sunt etiam adverbia **prolativa** sive ad quaestionem **qua** (sc. **via** vel **ratione**) respondentia, quae a prioribus eo differunt, quod potius instrumentali quam locali sunt origine, sed paullatim localis quoque significationis contagione imbuta (p.19-24, cf. p.35-40).

Pro novis terminis in hac investigatione adhibentur praeterea **localitas strictior** et **localitas laxior**; quarum de illa agitur in elocutionibus e.g. ad quaestiones **in quo marsupio?** et **e quo marsupio?** et **in quod marsupium?** respondentibus, de hac autem in elocutionibus e.g. ad quaestiones **in qua regione?** et **e qua regione?** et **in quam regionem?** respondentibus (p.28-29, 74-75).

Adverbia plerumque paulo laxiorem localitatem exprimunt quam elocutiones praepositionales. Eorum exemplorum, quae in mea investigatione tractantur, haec ipsa haud raro est peculiaritas, quod localitas strictior quodam modo in laxiorem mutata est, id est adverbium locale ibi adhibitum est, ubi potius elocutionem praepositionalem adhiberi exspectaveris (p.75-77). Non solum in sermone cotidiano, sed etiam in litteris id saepe commoditatis causa fit; e.g. adverbium simplex **inde** ad quodvis genus et ad utrumvis numerum referri potest ac pro elocutionibus **ab/ex/de eo/ea/iis** poni. Itidem res se habet in adverbiis quarundam linguarum Romanicarum, quibus **inde** Latinum continuatur: **en** Francogallicum elocutionibus praepositionalibus **de lui, d'elle, d'eux, d'elles, de cela et de ces choses** respondet, **ne** Italicum elocutionibus praepositionalibus **di lui, di lei, di loro, di esso, di essa, di essi, di esse** (p.9-11, cf. p.13 et 19).

In quinto capitulo de adverbiis ad loca necnon ad locos scriptos relatis dissero. Horum quoque multa reperiuntur exempla; haud raro enim adverbio locali praesertim inessivo indicatur, **quo in libro** aut **qua in epistula** vel **fabula** aut **quo loco operis scripti** aliquid dictum sit (p.79-85). In versu 258^o Artis poeticae Horati interpretando nequaquam nihili interest, utrum **hic** in eo pronomen demonstrativum an, ut ego praefero, adverbium locale esse iudicetur (p.84).

In examinanda significatione adverbiorum ad loca relatorum peculiariora quoque problemata occurrunt; e.g. Cicero in oratione pro Caecina "verba ambigua distinguere" coactus adversariis ostendit elocutionem iuridicam **unde deiecisti** non semper idem atque **ex quo loco deiecisti** valere, sed etiam pro **a quo loco deiecisti** (= **in quem locum aditu prohibuisti**) usurpari posse, id est demonstravit adverbio **unde** non modo elativam, sed etiam ablativam esse functionem (p.86-89). In seriore Latinitate interdum non solum elocutiones prolativae in inessivam vim transeunt (p.40-41), sed etiam vice versa inessivae elocutiones in prolativas mutantur (p.89). Item elativa adverbia prolativum usum sortiri possunt ac nonnumquam perspicuitatis causa compositis adverbiis compensari (p.89-92).

Observatis adverbiis ad loca relatis in eius generis exempla transeo, in quibus adverbia pro correlatis habent vocabula non locum, sed

alias res vel concretas vel abstractas designantia. In iis interna localitas ab externa saepe aut nihil aut obscure tantum differt, sed trinitas quaestionum **ubi?** et **unde?** et **quo?** lucidum praebet ordinem et dignum, qui usque pro fundamento perscrutandi retineatur (p.93-94).

Inessivorum & adessivorum adverbiorum (**ibi, hic, illic, istic, ibidem, ubi, ubicumque, ubique, ubivis, alibi, utrubique, nusquam**) talia primum exempla examino, in quibus translata localitas non multum a propria differt. E.g. **ibi est animus** dici potest fere pro **in ea re cogitationes sunt** (p.95) atque **ibi animum habet** pro **de ea re cogitat** (p.96). In enuntiato **Nusquam alibi spem repono** elocutio **nusquam alibi** utrum ad rem an ad personam referatur, ex eo pendet, quid ad eam in contextu subaudiatur, e.g. **...quam in pace impetranda** an **...quam in me ipso** (p.96-97). Plautinum **ibidem una traho** idem fere valet atque **in eodem numero includo** vel **in eadem computatione includo** (p.95). Adverbia **hic** et **illic** saepe inter se opponuntur, non semper ita, ut **illic** pro **in illa re prius dicta** et **hic** pro **in hac re novissime dicta** adhibeatur; nonnumquam **illic** rem loquenti ignotam aut ab eo alienam et **hic** eidem propinquam aut gratam designat (p.98-99). **Istic** cum secunda persona (**tu** vel **vos**) semantice coneciti solet. Praecipue notandae sunt duae elocutiones: 1) **quid istic?**, quae plerumque, ut e.g. Donatus explicat, formula est "de sententia sua decedentis" (= **Quidnam in ista re resisto?**), sed interdum potius fere elocutioni **Quidnam istis verbis dicere vis?** semantice respondet (p.102-104); 2) **istic sum**, idem fere valens ac **praesto sum, ut (arrectis auribus) auscultem** (p.104) nec multum differens ab elocutione **ibi sum**, id est **in ea re adsum** vel **iis rebus intersum** (p.94), aliquatenus comparabilis cum elocutione Francogallica **J'y suis** (p.217, adn. 27). Denique quibusdam locis Horatius **ubique** et **ubicumque** et **utrubique** translata vi aut ad condiciones rerum aut oblique ad personas quoque refert (p. 105).

Inessiva & adessiva significatio adverbii saepe in temporalem aream transit; e.g. in enuntiato **Latinis bellum fecit, ubi nusquam ad universae rei dimicationem ventum est** et **ubi** temporaliter pro **quo** (sc. bello) et **nusquam** fere pro **numquam** positum est (p.106-108). In initio periodi positum **ubi**, licet in enuntiato principali correlatum habeat, non iam adverbium relativum, sed potius coniunctio temporalis est, e.g. **Ubi eorum dolorem...cognovi,...tum eos hortatus sum...** (p.109).

Etiam instrumentaliter aut modaliter eadem adverbia usurpari possunt; e.g. **ibi** (= **ea re**)...**animus delectat suum** (p.114-116), cf. Franco-gall. **l'esprit s'y delecte** et Ital. **vi trova piacere al cuore** (p.221, adn.56). In Plautino **Erit, ubi te ulciscar pro ubi non solum tempus, quo, sed etiam ratio, qua** substitui potest (p.108, 115). Denique in seriore Latinitate ecclesiastica Hebraicae originis usus instrumentalis praepositionis **in** cum ablativo fortasse effecit, ut similis functio adverbiorum inessivorum & adessivorum invalesceret (p.115-116).

Elativa & ablativa adverbia (**inde, hinc, illinc, istinc, indidem, unde, undecumque, aliunde, undique, utrimque**) translate posita specie localiter res plus minus abstractas designare possunt ac praeterea relationem temporalem aut partitivam aut materiam concretam aut originem vel causam aut argumentum sermonis aut instrumentum exprimere. Specie localem vim habet **istinc** in versu Catulliano **Quin te animo offirmas atque istinc teque reducis?**, in quo **istinc** aut elative pro **ex isto amore** aut ablativae pro **ab ista muliere** dictum esse potest (p.119-120 et p.222-223, adn.68). In temporalem functionem praesertim **inde** et **hinc** frequenter transeunt (= **ab eo tempore et ab hoc tempore**); quorum e compositis usitatissima, **deinde** et **abhinc**, numquam fere nisi pro temporalibus adverbis usurpantur, **abhinc** praeterea pro praepositione impropria (p.123-127). In partitiva functione praeter **inde**, quod creberrime occurrit, inveniuntur **hinc** et **illinc** et **istinc** et **indidem** et **unde** (p.127-132). Haec omnia plerumque ad substantivum (e.g. **pars, dimidium**), nonnumquam ad pronomen aut pronominale (e.g. **quid, uter, nihil**) accedunt, sed adverbio quoque copiam indicante regi possunt, e.g. **istinc** (= **de istis vitiis**) **largiter abstulerit...aetas** aut obiectis partialibus linguarum Romanicarum paene similia fiunt, e.g. **inde** (= **de ea aqua**) **in os tuum mittes**, sicut Ital. **te ne metterai in bocca** (p.132-133). Adverbiorum ad concretam materiam relatorum exempla, ut **lapidem habebis, unde** (= **e quo**) **calcem coquas** plurima praebet Cato, nonnulla etiam posteriores scriptores (p.134-136). Ad abstractam materiam relata adverbia plerumque causalem habent functionem, e.g. **inde** (= **ex luxuria et avaritia**) **omnia scelera et maleficia gignuntur** ac pervulgatum **hinc illae lacrimae** necnon elocutio **inde sequitur, ut...** (p.136-139). Haud raro elocutionibus causalibus aetiologice explicatur, **unde** aliquod vocabulum originem traxerit aut ductum sit (p.140-143). Porro e causali usu adverbiorum derivatur

etiam conclusiva functio eorundem, quae praesertim in posteriore Latinitate admodum libera fit, e.g. **elongati sunt ab auxilio meo** (sc. **dei**); **unde credo eos nullius esse potestatis praeditos** (p.143-146). Consuetudo argumentum, **de quo** agitur, adverbio locali indicandi, e.g. **basilicarum, unde** (= **de quibus**) **mentionem fecimus**, superioris demum Latinitatis esse videtur peculiaritas, quae aliquatenus etiam in Romanicas linguas transiit (p.147-148, cf. p.13). Denique notandus est instrumentalis usus adverbiorum, qui praesertim in negotiali sermone evolutus est deliberantium, **unde sive qua** (**de**) **pecunia** aliquod pretium solvatur aut res curentur aut mortui efferantur etc. (p.149-150). Item verbis **complendi** et **instruendi** et **alendi** et **vivendi** adverbia delativa & elativa interdum reguntur (p.150-153) ac praesertim in posteriore Latinitate etiam verbis **lavandi, ungenti, fricandi** etc. ita, ut sexto p.Chr.n. saeculo instrumentalis usus eorundem adverbiorum alias quoque in consuetudinem venisse videatur (p.153-156).

Illativorum & allativorum adverbiorum (**eo, huc, illuc, illo, istuc, isto, eodem, quo, quocumque, quorsum, utro, alio, utroque**) significationes translatae e verbis, quibus reguntur, pendentes subtiliter inter se differunt (p.156-158). Verbis motum indicantibus (e.g. **venire, procedere**) et verbis movendi (e.g. **perducere, provehere**) saepe annectitur adverbium illativum & allativum cum enuntiato secundario consecutivo, e.g. **ille eo processit, ut...omnia...honestam aestimet et rem huc deduxi, ut...palam pugnare possetis** (p.158-160), frequensque tum adverbii comes est **usque** (p.160-161). Similiter fere adverbia illativa & allativa elocutionibus **decurrere** et **confugere** et **delabi** et **se vertere** (p.162-165) necnon **(in)tendere** et **impellere** et **inclinare** etc. (p.165-167) translate adhibitae annectuntur, e.g. **Marius haruspicum dicta eodem tendere videt, quo cupido animi hortabatur**. Verbis **pertinere** et **spectare** et **valere** annexum adverbium **eo** plerumque finali excipitur enuntiato secundario, e.g. **Hoc eo valebat, ut...ad depugnandum omnes cogarentur** (p.169-171). Pares fere sunt elocutiones indicantes, **quo** (sive **ad quam rem**) aliquid **conferat** vel **referatur** (p.172-173). Usitatissima autem sunt adverbia illativa & allativa verbis **accedendi** et **addendi** annexa. Elocutiones **accedit eo, ut...** et **huc accedit, quod...** (in seriore Latinitate insuper **huc accedit, quoniam...** et **huc accedit, quia...**) aliaeque earum similes apud plerosque scriptores creberrime reperiuntur; pro enuntiato secundario explicativo

etiam substantivum aut pronomen subiectum esse potest, e.g. **Accedit eodem vulgi voluntas et eo quicquid accesserit, nimium est** (p.173-179). In elocutionibus **adde huc et huc adice** id praecipue in oculos incurrit, quod pro inveteratis transeundi phrasibus usurpantur, in quibus forma singularis imperativi tum quoque adhibetur, cum in contextu nulla secunda persona separatim compellata reperitur (p.182-183). Denique liberrimum usum adverbiorum illativorum & allativorum attingo sive exempla, in quibus haec adverbia fere pro dativo commodi posita exprimunt, **quo** quid fiat sive **ad quid (bonum) assequendum** (p. 184-190). Nonnumquam quidem in elocutione **eo, ut** quaeri potest, utrum **eo** adverbium allativum sit an potius ablativus pronominis demonstrativi, sive utrum **eo, ut** pro **ad id, ut** an pro **ea de causa, ut** vel **eo consilio, ut** positum sit, quia finalis a causali vis non nisi exiguo et subtili limite semantico distinguitur (p.184-185, cf. etiam p.42 et 53). Praesertim in poesi crebro occurrunt elocutiones interrogativo adverbio **quo** incipientes et normali praedicato carentes; e.g. versus Ovidianus **Quo tibi, Pasihae, pretiosas sumere vestes?** idem fere valet ac prosaica paraphrasis **Ad quam rem tibi, Pasiphae, confert pretiosas vestes sumere** (p.186-187). Porro elocutio **huc opus est** interdum quaestionem suscitatur, utrum **huc** in ea pro **ad hoc** vel **ad hanc rem** an pro dativo **mihi** vel **nobis** positum sit (p.188-189). Denique plurimis exemplis a me collectis semantice fulciri videtur explicatio praeterito saeculo vulgo accepta, a recentioribus autem investigatoribus in dubium vocata, scilicet originem etymologicam adverbiorum illativorum & allativorum potius a prisco dativo quam ab ablativo esse repetendam (p.48-55).

* * *

Causa principalis adverbiorum pronominalium localium Latinorum translata vi adhibitorum manifesto ea est, quod in normali sermone plurimae translatae functiones a pura localitate haud multum differunt, facillimeque velut furtim ambiguae existunt elocutiones, in quibus pro certo diiudicari nequit, utrum adverbia locum an rem designent aut utrum ad simplex vocabulum an ad enuntiatum e pluribus verbis constans referantur. Altera causa ea est, cuius mentionem iam Löfstedt et Salonius iure fecerunt, scilicet quod adverbia plerumque

commodioris usus sunt quam casus et elocutiones praepositionales, in quibus adhibendis semper genus et numerum correlati oportet respici (p.5, 9, 19, 25; cf. etiam p.34). Hic commoditatis amor ex altera parte praesertim serioribus temporibus effecit, ut perspicuitatis causa necesse esset diversi generis adverbia composita creare (p.12-13, 24, 91-92, 123-127, 148, 156).

Tertiam causam, studium quasdam res e.g. ob verecundiam consulto sub adverbia velut abscondendi, ne nimis aperte exprimantur, in hac investigatione nondum nisi leviter perstrinxi (p.26-27). Eam praecipui ponderis esse videbimus in exemplis, in quibus adverbia ad homines referuntur; quae separatim systematice examinari oportere iam id ostendit, quod grammatici Romani serioris antiquitatis Donatus et Servius et Priscianus ea nominatim animadvertunt mirantes "veteres" adverbia tanta libertate adhibere potuisse (p.4-5, 7). Simul breviter perscrutandum erit, quare talis consuetudo, cum ultimis saeculis antiquitatis prope omnino ex usu decidisse videatur, tamen postea in nonnullis elocutionibus Francogallicis et Italicis velut revixerit (p.11 et 13).

Quidnam de his rebus dicturus sim, praescire cupientes nondum nisi ad paginas 118-142 commentationis a me anno 1958^o in Arcto editae delegare possum simulque monere me in septimo capitulo, quo iam in praefatione (p.2) promisi me hoc opus cumulaturum, illas paginas nihilo lenius retractaturum esse, quam paginas 104-117 eiusdem commentationis in praesenti investigatione retractavi.

S U O M E N K I E L I N E N T I I V I S T E L M Ä

Seuraavassa esitän edellä olevan tutkielman (lukujen 1 - 6) olennaisimman sisällön suomeksi.

Tutkielmani pyrkii ensisijaisesti antamaan havainnollisen yleiskäsityksen latinan pronominaalisten paikan adverbien semanttisesta ja syntaktisesta kehityksestä, etenkin ilmaisuihin, joissa niitä on käytetty pronomien sijamuotojen tai prepositioilmaisujen asemesta (s.1-2, 15). Eräät antiikin grammatikot ovat koskettelleet aihetta päällisin puolin (s.3-4), mutta myöhemmät filologit eivät ole siihen sanottavasti kajoineet; ainoa sitä koskeva monografinen esitys on edelleen minun kirjoitelmani **Die lateinischen pronominalen Ortsadverbien in Kasusbedeutung** (Arctos, nova series 1958, s. 104-142), jota nyt olen ryhtynyt korjailemaan ja täydentämään, ja kuten tutkielman uusi nimi osoittaa, myös laaventamaan (s.2, 15-16, 24-27).

Ennen kuin käyn käsiksi tutkimuksen pääongelmiin, tarkastelen yleisluonteisesti latinan paikan adverbien suhdetta nominien sijamuotoihin ja prepositioilmaisuihin (s.28-71). Sijojen ja adverbien välillä ei tunnu olevan kiinteää rajaa (s.28): monet adverbit ovat sekä muoto- että lauseopillisesti vanhoja kivettyneitä sijamuotoja, ja niillä on oma osuutensa sijojen yleiskehityksessä. Tämä ei koske pelkästään paikan adverbeja, vaan myös muun muassa tapaa, aikaa ja syytä ilmaisevia partikkeleita (esim. **qui, qua, cur, quare, cum, quoad**), joilla, kuten paikan adverbeillakin, on etuna tietty helpokäyttöisyys (s.5, 25-26, 34, 44, 72). Sijojen yhteensulautumisesta on vähitellen ollut seurauksena prepositioilmaisujen yleistyminen (s.55-59, 72). Adverbitkaan eivät ole välttyneet prepositiokontakteilta: on syntynyt uusia yhdysadverbeja, jotka koostuvat prepositioista ja vanhoista adverbeista (s.12-13,24). Eräät adverbit ovat itsekin aikojen kuluessa muuntuneet prepositioiksi tai postpositioiksi tai konjunktioiksi (s.56-60). Kysymyksiin **missä?, mistä? ja mihin?** vastaavien ilmaisujen keskinäinen sekaantuminen näkyy paikan adverbien kehityksessä ja yleensäkin nimenomaan myöhäis-

tiikin latinan lokaalisissa ilmaisuissa (s.60-63). Toisaalta latinan adverbien **nusquam** esiintyminen paitsi normaalimerkityksessään 'ei missään' myös vastaamassa kysymyksiin 'minne?' ja 'mistä?' johtuu siitä, ettei latinassa ole erillisiä adverbeja, jotka merkitsivät 'ei minnekään' tai 'ei mistään'. Vastaavalla tavalla käytetään myös adverbia **usquam** 'missään', vaikka tarjolla on adverbien **quoquam** 'minnekään' (s.17, 63-64, 116, 173). Eräiden nominaalisten ilmaisujen ja adverbien lauseopillista tasa-arvoisuutta osoittaa muun muassa se, että molempiin liitetään usein partitiivinen genetiivi (s.31-32, 64-71). Augustuksen ajasta lähtien on esimerkiksi **eo inopiae venerunt** yhtä käypä sanonta kuin **in id inopiae venerunt**.

Ryhdyttäessä tutkimaan pronominaalisia paikan adverbeja on ensiksi määriteltävä, mitä ne ovat ja miten ne voidaan ryhmitellä. Jakoperusteita on monenlaisia. Pronominivartalon perusteella on erotettavissa kaksi ryhmää: 1) demonstratiiviset adverbit, 2) relatiiviset, interrogatiiviset ja indefiniittiset adverbit (s.16-18). Lokaalisen funktion erilaisuus antaa mahdollisuuden muunlaisiinkin jakoperusteisiin: 1) kysymykseen **ubi?** ('missä') vastaavat adverbit ovat **inessiivisiä** tai **adessiivisiä**, 2) kysymykseen **unde?** ('mistä') vastaavat adverbit ovat **elatiivisiä** tai **ablatiivisiä**, toisinaan myös **delatiivisiä**, 3) kysymykseen **quo?** ('mihin') vastaavat adverbit ovat **illatiivisiä** tai **allatiivisiä**. - **Inessiivisillä**, **elatiivisillä** ja **illatiivisillä** adverbeilla ilmaistaan **sisäistä** paikallisuutta (esim. **missä talossa** joku on, **mistä talosta** lähtee ulos tai **mihin taloon** astuu sisään); **adessiivisillä**, **ablatiivisillä** ja **ablatiivisilla** adverbeilla taas ilmaistaan **ulkoista** paikallisuutta (esim. **minkä talon luona** joku seisoo, **minkä talon luota** lähtee pois tai **minkä talon luo** saapuu). Näiden paikan adverbien lajien ohella huomattakoon vielä **prolatiiviset** eli kysymykseen **qua (via, ratione)?** ('mitä kautta', 'millä tavoin') vastaavat adverbit, jotka poikkeavat edellä luetelluista sikäli, että ne ovat alkuaan olleet pikemminkin instrumentaalisia kuin lokaalisia adverbeja, vaikka niiden merkitykseen on vähitellen pesiytynyt lokaalisia aineksia (s.19-24, vrt. s.35-40). Kaikki yllä luetellut nimikkeet ovat "likiarvoisia"; suomen paikallissijojen nimikkeinä niillä on useinkin hieman toisenlainen merkityssisältö. Muun muassa delatiivinen merkitys, joka nimikkeenä on lainattu unkarin eikä suomen kieliopista, ei tutkiel-

mani esimerkeissä ole puhtaasti lokaalinen, vaan se ilmaisee pelkästään tiettyä adverbien kuvaannollista käyttötapaa (ks. s.195-196, huom. n:o 12 ja 19).

Uusina termeinä käytän lisäksi käsitteitä **localitas strictior** ja **localitas laxior**. Edellinen tarkoittaa suppeaa paikallisuutta, jollaista suomessa edustavat adverbit **tässä**, **tästä** ja **tähän**, jälkimmäinen taas väljää paikallisuutta, jota voidaan havainnollistaa suomen adverbeilla **täällä**, **täältä** ja **tänne** (s.28-29, 74-75).

Adverbit edustavat latinassa yleensä väljempää lokaalisuutta kuin prepositioilmaisut. Tämän tutkielman esimerkeissä on kuitenkin monesti se erikoisuus, että adverbia on käytetty sellaisessa yhteydessä, jossa pikemminkin odottaisi prepositioilmaisun olevan paikallaan, nimittäin suppeaa lokaalisuutta edustamassa (s.75-77). Sekä puhe- että kirjakielessä näin tapahtuu usein mukavuussyistä; esimerkiksi yksinkertainen adverbi **inde** voi viitata erisukuisiin yksikkö- tai monikkumuotoisiin nomineihin ja vastata prepositioilmaisuja **ab/ex/de eo/ea/iis**. Samoin käytetään eräissä romaanisissa kielissä **inde**-adverbien etymologisia jatkajia: ranskan **en** vastaa ilmaisuja **de lui, d'elle, d'eux, d'elles, de cela ja de ces choses**, samoin italian **ne** ilmaisuja **di lui, di lei, di loro, di esso, di essa, di essi ja di esse** (s.9-11, vrt. s.13 ja 19).

Viidennessä luvussa analysoin adverbeja, joiden korrelaattina on paikkaa tarkoittava käsite. Myös kirjallisten tuotteiden kohtiin viitataan usein adverbeilla; esim. **hic** 'täällä' saattaa tarkoittaa samaa kuin **hoc loco fabulae** eli 'tässä näytelmän kohdassa' (s.79-85). Horatiuksen *Ars poetica*n säettä 258 tulkittaessa ei ole yhden- tekevää, selitetäänkö siinä oleva sana **hic** demonstratiivipronomiksi vai, kuten itse pidän uskottavampana, paikan adverbiksi 'tässä' eli 'tällä kohtaa säettä' (s.84).

Samassa luvussa tarkastellaan erityisprobleemojakin. Esimerkiksi Cicero joutui aikoinaan eräessä oikeuspuheessaan selventämään tiettyjen käsitteiden juridista merkityskenttää ja toteamaan, että ilmaisussa **unde deiecisti** 'mistä olet ajanut (hänet) pois' **unde** voi merkitä paitsi **ex quo** 'mistä (paikasta)' myös **a quo** 'minkä (paikan) luota', ts. ilmaisussa ei aina ole kysymys kirjaimellisesti "ulos-

heittämisestä", vaan se saattaa tarkoittaa myös omavaltaisesti annettua lähestymiskieltoa, ts. sitä että joku on uhkailemalla estänyt toista saapumasta kyseiseen paikkaan (s.86-89). - Myöhäislatinassa prolatiiviset ilmaisut saavat joskus inessiivisen merkityksen tai päinvastoin (s.40-41, 89). Elatiivisetkin ilmaisut voivat saada prolatiivisen merkityksen (kuten suomessa **ikkunasta sisään** = **ikkunan kautta sisään**). Yhdysadverbin **perinde** käytössä on usein kysymys elatiivisen adverbien muuntamisesta prolatiiviseksi (s.89-92).

Seuraavassa luvussa siirryn tapauksiin, joissa adverbien korrelaattina ei enää ole paikkaa, vaan jotakin muuta konkreettista tai abstraktista käsitettä tarkoittava sana. Tällöin sisäisen ja ulkoisen paikallisuuden välillä ei enää ole mainittavaa eroa, mutta kolmijako **missä?** / **mistä?** / **mihin?** tarjoaa edelleen mahdollisuuden esimerkkiaineiston rationaaliseen dispoitioon (s.93-94).

Inessiivisistä ja adessiivisistä adverbeista (**ibi, hic, illic, istic, ibidem, ubi, ubicumque, ubique, ubivis, alibi, utrobique, nusquam**) otan ensin tarkasteltaviksi esimerkkejä, joissa kuvaannollisen ja varsinaisen paikallisuuden välillä on vain vähäinen ero. Esim. **ibi est animus** (oik. 'siellä on mieli') voi tarkoittaa samaa kuin **in ea re sunt cogitationes** eli 'siihen asiaan kohdistuvat ajatukset' (s.96). **Nusquam alibi spem repono** voi yhteydestä riippuen merkitä 'Mihinkään muuhun en pane toiveitani' tai 'Kehenkään muuhun...'; jatkona voi näet olla esim. **quam in pace impetranda** 'kuin rauhan saavuttamiseen' tai **quam in me ipso** 'kuin itseeni' (s.96-97). Plautuksen kuvaannollisesti käyttämä ilmaisu **ibidem una traho** tarkoittaa suunnilleen 'sisällytän samaan joukkoon / laskelmaan' (s.95). Adverbit **hic** ja **illic** muodostavat usein antiteesin '(tässä) jälkimmäisessä tapauksessa' ja '(tuossa) edellisessä tapauksessa', mutta **illic** voi viitata myös puhujalle vieraaseen ja **hic** läheiseen asiaan (s.98-99). **Istic** liittyy yleensä merkitykseltään (yksikön tai monikon) toiseen persoonaan. Erityisesti huomattakoon kaksi ilmaisua: 1) **quid istic?**, joka Donatuksen mukaan on "mielipiteestään luopuvan" käyttämä fraasi, suunnilleen kuten suomen 'Mikäpä siinä', mutta esiintyy myös merkityksessä 'Mitä sinä tuolla puheella tarkoitat?' (s.102-104), 2) **istic sum** 'olen pelkkänä korvana', jota rakenteeltaan muistuttaa ilmaisu **ibi sum** 'olen mukana siinä (asias-

sa)', samoin ranskan fraasi **J'y suis** 'Ymmärrän asian' (s.217, huom. 27). Horatius käyttää eräissä runoissaan adverbeja **ubique**, **ubicumque** ja **utrubique** kuvaannollisesti merkityksessä 'joka tapauksessa' ja 'kummassakin tapauksessa' siten, että ne voivat epäsuorasti viitata myös henkilöihin (s.105).

Virkkeessä **Latinis bellum fecit, ubi nusquam ad universae rei dimissionem ventum est** sanat **ubi** 'jossa (sodassa)', 'jolloin' ja **nusquam** 'ei missään (vaiheessa)' saavat temporaalisen vivahteen. Virkkeen alkuun sijoittuessaan **ubi** muuttuu helposti temporaalisvivahteisesta paikan adverbista (= 'missä tilanteessa', 'jolloin') konjunktioksi ('heti kun'), esim. **Ubi eorum dolorem...cognovi,... tum eos hortatus sum...** (s.109). Instrumentaalinen tai modaalinen vivahde puolestaan on inessiivisellä adverbilla lauseessa **ibi** (= **in ea re t. ea re**)...**animum delectat suum** 'sen asian parissa (t. sitten) hän viihdyttää mieltään', vrt. italian **vi trova piacere al cuore** (s.114-116, 221, huom.56). Plautuksen repliikissä **Erit, ubi te ulciscar** (s.108, 115) on kysymys joko tilaisuudesta tai keinoista kostaa, joten **ubi** voidaan katsoa merkitykseltään joko temporaaliseksi (= **tempus, quo**) tai modaaliseksi (= **ratio, qua**). Myöhäisantiikin kirkkolatinassa heprean malliin perustuva **in**-preposition käyttö instrumentaalisessa merkityksessä on vankentanut inessiivisten adverbien vastaavanlaista funktiota (s.115-116).

Elatiiviset ja ablatiiviset adverbit (**inde, hinc, illinc, istinc, indidem, unde, undecumque, aliunde, undique, utrimque**) voivat kuvaannollisesti käytettyinä näennäisen lokaalisesti viitata abstraktisiinkin käsitteisiin sekä lisäksi saada temporaalisen tai partitiivisen merkityksen. Niitä käytetään myös kerrottaessa, mistä jotakin valmistetaan, mistä jokin johtuu tai on saanut alkunsa sekä mistä puhutaan. Instrumentaalisessakin käytössä niitä tavataan. Näennäisesti lokaalinen merkitys on **istinc**-adverbilla Catulluksen säkeessä **Quin te animo offirmas atque istinc teque reducis**, jossa se vastaa joko elatiivista ilmaisua **ex isto amore** 'tuosta rakkauttasi' tai ablatiivista ilmaisua **ab ista muliere** 'tuon naisesi luota' (s.119-120 ja 222-223, huom.68). Etenkin **inde** ja **hinc** ilmaisevat usein aikaa ('siitä lähtien', 'sitten' ja 'tästä lähtien'). Yhdysadverbeja **deinde** ja **abhinc** käytetään lähes aina temporaalises-

ti; **abhinc** esiintyy lisäksi ns. epäaitona prepositiona (s.123-127). Partitiivisessa funktiossa esiintyy ennen kaikkea **inde**, mutta sen ohella myös **hinc**, **illinc**, **istinc**, **indidem** ja **unde** (s.127-132). Nämä kaikki liittyvät yleensä substantiiviin (esim. **pars**, **dimidium**), toisinaan pronominiin tai pronominaaliin (esim. **quid**, **uter**, **nihil**), joskus jopa määrää ilmaisevaan adverbiin, esim. **istinc** (= **de istis vitiis**) **largiter abstulerit...aetas**. Romaanisten kielten partiaali-objektiin verrattavissa on **inde** lauseessa **inde** (= **de ea aqua**) **in os tuum mittes**, jota muistuttaa italian lause **te ne metterai in bocca** (s.132-133). Konkreettiseen raaka-aineeseen viittaavista adverbeista eniten esimerkkejä tarjoaa Cato; niistä näytteeksi käynee virke **lapidem habebis, unde** (= **e quo**) **calcem coquas** (s.134-136). Abstraktisiin käsitteisiin viittaa **hinc** kausaalisisessa merkityksessä ennen kaikkea tunnetussa lauseessa **hinc illae lacrimae**, joka merkitykseltään suunnilleen vastaa suomen sanontaa 'siitä kenkä puristaa' (s.138). Varsin usein adverbia käytetään kerrottaessa, mistä (**unde**) jokin sana on johdettu tai saanut alkunsa (s.140-143). Kausaalinen merkitys laajenee etenkin myöhäisantiikin aikana usein konklusiiviseksi, esim. **unde credo...** 'minkä perusteella uskon...' (s.143-146). Vasta myöhäisantiikin aikana näyttävät adverbit yleistyneen ilmaisutyypissä **res, unde** (= **de qua**) **loquor** 'asia, josta puhun', mikä käytäntö on mm. ranskan **dont**-sanalla: **La chose dont je parle** (s.147-148, vrt.s.13). Instrumentaaliseen merkitykseen päädytään pohdittaessa esimerkiksi, millä rahalla velka maksetaan, tarkasti ilmaistuna, mistä (**unde = qua de pecunia**) otetaan tarvittavat rahat. Myös täyttämistä, varustamista, elättämistä ja elämistä merkitseviin verbeihin voi liittyä samanlainen instrumentaalinen määre: **inde vivunt** 'sillä he elävät' tai 'siitä he saavat elantonsa' (s.150-153). Myöhäislatinassa yhä useammat verbit saavat yhteyteensä vastaavanlaisen määreen (s.153-156).

Illatiivisten ja allatiivisten adverbien (**eo**, **huc**, **illuc**, **illo**, **istuc**, **isto**, **eodem**, **quo**, **quocumque**, **quorsum**, **utro**, **alio**, **utroque**) kuvaannollisten merkitysten välillä on vivahde-eroja sen mukaan, millaisiin verbeihin ne liittyvät (s.156-158). Liikettä ilmaiseviin verbeihin (esim. **venire**, **procedere**) sekä liikkeen aiheuttamista ilmaiseviin verbeihin (esim. **perducere**, **provehere**) liittyy usein adverbien semanttisena täydennyksenä konsekutiivinen **ut**-lause, esim.

ille eo processit, ut...omnia honesta aestimet ja rem huc deduxi, ut...palam pugnare possetis (s.158-160), sekä vahvikkeena usque (s. 160-161). Verbien decurrere, confugere, delabi ja se vertere yhteydessä adverbit ilmaisevat, mihin ratkaisuun turvaudutaan (s.162-165); vastaavasti adverbi voi liittyä mm. verbeihin **intendere** 'pyrkii' ja **impellere** 'houkutella'. Samaan ryhmään kuuluu ilmaisu **inclinare aliquo** 'taivuttaa, kallistua johonkin päin' (s.165-167). Verbeihin **pertinere**, **spectare** ja **valere** liittyvä adverbi saa tavallisesti jatkokseen finaalisien sivulauseiden, esim. **Hoc eo valebat, ut ...ad depugnandum omnes cogere**ntur (s.169-171). Tähän yhteyteen kuuluvat myös ilmaisut **conferre aliquo** 'edistää jotakin' ja **referri aliquo** 'viitata johonkin' (s.172-173). Erityisen tavallisia ovat liittymistä ja lisäämistä merkitseviä verbejä täydentävät adverbit; ilmaisut **accedit eo, ut...** ja **accedit huc, quod...** (myöhäislatinassa myös **huc accedit, quoniam...** ja **huc accedit, quia...**) ovat vakiintuneita siirtymäfraaseja, jotka voidaan usein pelkistetyesti suomentaa sanoilla 'sen lisäksi'; samoin ilmaisut **adde huc** ja **huc adice**, joissa pistää silmään yksikön imperatiivin käyttö silloinkin, kun kyseisessä yhteydessä ei ole yksi henkilö puhuteltavana (173-183). Viimeiseksi tarkastelen vapaammin käytettyjä illatiivisia tai allatiivisia adverbeja, jotka esiintyvät suunnilleen samassa lauseopillisessa funktiossa kuin dativus commodi (s.184-190). Ilmaisut **eo, ut** on tosin usein finaalisien ja kausaalisten merkityksen rajamailla: **eo** voi olla joko adverbi (**eo, ut = ad id, ut**) tai demonstratiivipronominin ablatiivi (**eo, ut = ea de causa, ut** tai **eo consilio, ut**); merkitysero on hiuksenhieno (s.184-185, vrt. myös s. 42 ja 53). Etenkin runoudessa tavallisia ovat predikaatittomat, **quo**-adverbilla alkavat kysymyslauseet; esim. säkeessä **Quo tibi, Pasiphae, pretiosas sumere vestes?** Ovidius kysyy Pasifaelta, mitä hyötyä tälle on pukeutumisesta kallisarvoisiin vaatteisiin (s.186-187). Ilmaisut **huc opus est** on välistä tulkinnanvarainen: **huc** voi siinä viitata joko asiaan tai henkilöön, ja sanonta tarkoittaa vastaavasti joko 'tähän tarvitaan' tai 'minulle (t. meille) on tarpeen' (s.188-189). Kaiken kaikkiaan useimmat kokoamani esimerkit tukevat viime vuosisadalla yleisesti hyväksyttyä, mutta eräiden myöhempien tutkijoiden kyseenalaistamaa selitystä, jonka mukaan illatiivisten ja allatiivisten adverbien etymologinen alkuperä on

löydettävissä pikemminkin vanhasta datiivista kuin ablatiivista (s. 48-55).

* * *

Pääsyynä latinan pronominaalisten paikan adverbien käyttöön kuvannollisissa merkitystehtävissä on ilmiselvästi näiden ja puhtaasti lokaalisen funktion välisen rajan epämääräisyys. Erityisesti puhekielessä syntyy kuin huomaamatta kaksiselitteisiä ilmaisuja, joissa on vaikea ehdottoman varmasti ratkaista, viittaako adverbi paikkaan vai johonkin muuhun käsitteeseen tai onko korrelaattina yksi sana vai useammasta sanasta muodostuva lausekokonaisuus. Toisena syynä on Löfstedtin ja Saloniuksen jo mainitsema adverbien helppokäyttöisyys: toisin kuin sijat ja prepositioilmaisut, ne eivät pakota kiinnittämään huomiota korrelaatin sukuun ja lukuun (s.5, 9, 19, 25; vrt. myös s.34). Tämän mukavuudenhalun takia on toisaalta etenkin keisarikaudella jouduttu selventämään ilmaisuja muodostamalla erilaisia yhdysadverbeja (s.12-13, 24, 91,92, 123-127, 148, 156).

Kolmas syy, tarve käyttää adverbeja tiettyjen asioiden ilmaisemiseksi peitettyssä muodossa esimerkiksi häveliäisyysyistä, on tässä tutkimuksessa toistaiseksi jäänyt vähälle huomiolle (s.26-27). Sen painoarvo näkyy selvimmin silloin kun adverbi viittaa henkilöön. Tällaiset "henkilöesimerkit" ansaitsevat erikoislaatuisuutensa takia oman systemaattisen analyysin; ovathan jo myöhäisantiikin roomalaiset grammatikot Donatus, Servius ja Priscianus kummastelleet adverbien esiintymistä "entisajan" kirjailijoilla niin vapaassa käytössä (s.4-5, 7). Samalla on lyhyesti tarkasteltava kysymystä, miksi kyseinen ilmiö jouduttuaan antiikin viimeisinä vuosisatoina lähes kokonaan unohduksiin on myöhemmin ikään kuin herännyt henkiin eräissä ranskan ja italian ilmaisuissa (s.11 ja 13).

Kaikkea tätä käsittelen aikanaan tutkielmani seitsemännessä luvussa, johon olen jo esipuheessa (s.2) viitannut. Pohjana käytän Arctoksessa vuonna 1958 julkaisemani kirjoitelman loppuosaa, joka, kuten alkuosakin, kaipaa monessa kohdin tarkistamista ja täydentämistä.

LIBRI ADHIBITI

Infra enumerati sunt omnes libri a me in hac investigatione adhibiti. Eorum tria genera distinxi: 1) opera et scripta generalia, maximam partem grammaticalia, 2) lexica et vocabularia et glossaria generalia atque cetera opera cum iis comparabilia, in quibus lemmata ordine alphabetico tractata sunt, 3) editiones et commentarios et lexica singulorum scriptorum antiquorum; in quo indice etiam eos commemoro scriptores, e quibus, quamquam sermonem eorum observavi, nullum exemplum protuli. Sigla singulorum operum crassiculis scripta titulis eorum praemisi.

1. OPERA ET SCRIPTA GENERALIA, MAXIMAM PARTEM GRAMMATICALIA

Anglade = Grammaire élémentaire de l'ancien français par Joseph Anglade. Paris 1965.

Bennett I-II = Charles E. Bennett, Syntax of Early Latin I/II. Hildesheim, New York 1982.

Compernass, Glotta 8/1917 = Joh. Compernass, Vulgaria. Glotta 8, 1917, p.88-121.

Ernout, Morphologie = Morphologie historique du latin par Alfred Ernout. Troisième Édition, revue et corrigée. Paris 1974.

Ernout-Thomas = Alfred Ernout - Francois Thomas, Syntaxe latine. 2^e édition, 6^e tirage revu et corrigé. Paris 1984.

Flinck-Linkomies = De ablativo absoluto quaestiones, scripsit Edwin Flinck-Linkomies. Annales Academiae Scientiarum Fennicae. Ser.B. Tom.XX. N:o 1. Helsingforsiae 1929.

Gustafsson, Dat.Lat. = F.Gustafsson, De dativo latino. Helsinki 1904. Inest in volumine 'Inbjudnings skrifter 1902-1904' inscripto.

Hakulinen = Lauri Hakulinen, Suomen kielen rakenne ja kehitys. Neljäs, korjattu ja lisätty painos. Helsinki 1979.

Häkkinen = Kaisa Häkkinen, Mistä sanat tulevat. Suomalaista etymologiaa. SKS tietolipas 117. Pieksämäki 1990.

Jokinen = Les relatifs en moyen français. Formes et fonctions, par Ulla Jokinen. Helsinki 1978.

Kühner-Stegmann II 1-2 = Raphael Kühner - Carl Stegmann, Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache. Zweiter Teil: Satzlehre 1-2. Darmstadt 1971.

Leumann-Hofmann-Szantyr = M.Leumann-J.B.Hofmann-A.Szantyr, Lateinische Grammatik. Zweiter Band: Lateinische Syntax und Stilistik von J.B.Hofmann, neubearbeitet von Anton Szantyr. Verbesserter Nachdruck der 1965 erschienenen ersten Auflage. München 1972.

Lundström, Abhinc und ante = Abhinc und ante. Studien zur Geschichte der lateinischen Zeitdifferenzbestimmungen, von Sven Lundström. Lund, C.W.K. Gleerup 1961.

Lundström, Ljud- oc formhist. = Latinets ljud- och formhistoria av Sven Lundström. Andra upplagan. Stockholm 1962.

Löfstedt, Synt.I-II = Einar Löfstedt, Syntactica I-II. Studien und Beiträge zur historischen Syntax des Lateins I-II. Lund 1956.

Löfstedt, Vermischte Studien = Einar löfstedt, Vermischte Studien zur lateinischen Sprachkunde und Syntax. Lund 1936.

Menge = Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik von Hermann Menge. Dreizehnte Auflage besorgt von Andreas Thierselder. 18. Auflage Wolfenbüttel 1989.

Nägelsbach = Karl Friedrich von Nägelsbach, Lateinische Stilistik. 9. vermehrte und verbesserte Auflage von Iwan Müller. Nürnberg 1905.

Palmén, Arctos II = Erkki Palmén, Die lateinischen pronominalen Ortsadverbien in Kasusbedeutung. Arctos, Acta philologica Fennica, nova series, vol. II (Iohanni Sundwall dedicatum), p.104-142. Helsinki 1958.

Pekkanen = Tuomo Pekkanen, De studiorum Latinorum statu in Finnia. Acta selecta Octavi Conventus Academiae Latinitati Fovendae (Lovanii et Antverpiae, 2-6 Augusti MCMXCIII), p.767-774. Romae MCMXCV.

Pighi I-II = La lingua latina nei mezzi della sua espressione a cura di Giovanni Battista Pighi. Tomo I: storia della lingua latina. Tomo II: la metrica latina. Società editrice internazionale di Torino 1968.

Pinchon = Jacqueline Pinchon, Les pronoms adverbiaux **en** et **y**. Problèmes généraux de la représentation pronominale. Genève 1972.

Pinkster = H.Pinkster, On Latin Adverbs. Amsterdam-London 1972.

Riemann & Ernout = Syntaxe latine d'après les principes de la grammaire historique par O.Riemann. Septième édition revue par A. Ernout. Paris 1932.

Salonius = Vitae Patrum. Kritische Untersuchungen über Text, Syntax und Wortschatz der spätlateinischen Vitae Patrum (B, III, V, VI, VII) von A.H.Salonius. Lund 1920.

Sommer = Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre. Eine Einführung in das sprachwissenschaftliche Studium des Lateins, von Ferdinand Sommer. Heidelberg 1902.

Szinnyei = Unkarin kielioppi, kirjoittanut J.Szinnyei. Kolmas painos. Helsinki 1950.

Throm = Lateinische Grammatik erarbeitet von Hermann Throm. 3.Auflage. Düsseldorf 1967.

Vallinkoski = Jorma Vallinkoski, Piirteitä suomalaisen väitöskirjan historiasta. Bibliopolos 1949.

Väänänen, Arctos I = Veikko Väänänen, Sur la préposition latine de marquant la notion partitive. Arctos, Acta philologica Fennica, nova series, vol.I, p.192-198. Helsinki 1954.

Väänänen, Lat.volg. = Veikko Väänänen, Introduzione al latino volgare. Traduzione della seconda edizione riveduta e corretta dall'Autore per tale traduzione. Bologna 1971.

Wackernagel = Jacob Wackernagel, Vorlesungen über Syntax I. 2.Auflage, Basel 1950.

Zumpt = Lateinische Grammatik von C.G.Zumpt. Zwölfte Auflage. Bearbeitet von A.W.Zumpt. Berlin 1865.

2. LEXICA ET VOCABULARIA ET GLOSSARIA GENERALIA

Blaise = Albert Blaise, Dictionnaire Latin-français des auteurs chrétiens, revu spécialement pour le vocabulaire théologique par Henri Chirat. Strasbourg-Paris 1954.

Bloch-Wartburg = Oscar Bloch - Walther von Wartburg, Dictionnaire étymologique de la langue française. Sixième édition. Paris 1975.

Daudet-Dubois-Mitterand = Nouveau dictionnaire étymologique et historique, quatrième édition revue et corrigée par Albert Daudet, Jean Dubois, Henri Mitterand. Paris 1964.

Devoto-Oli = G.Devoto - G.C.Oli, Dizionario della lingua italiana. Firenze 1971.

Du Cange I-X = Glossarium mediae et infimae Latinitatis, conditum a Carolo Du Fresne Domino Du Cange, auctum a monachis Ordinis S. Benedicti, cum supplementis integris D.P.Carpenterii Adelungii aliorum suisque digessit G.A.L.Henschel. Editio nova aucta pluri-

bus verbis aliorum scriptorum a Léopold Favre. Unveränderter Nachdruck der Ausgabe von 1883-1887. Graz-Austria 1954.

Ernout-Meillet = A.Ernout - A.Meillet, Dictionnaire étymologique de la langue française. Quatrième édition revue, corrigée. Paris 1959.

Forcellini I-VI = Lexicon totius Latinitatis ab Aegidio Forcellini lucubratum, a Iosepho Furlanetto emendatum et auctum, curantibus Francisco Corradini et Iosepho Perin emendatius et auctius melioremque in formam redactum. Bononiae 1965.

Georges I-II = Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, ausgearbeitet von Karl Ernst Georges. Unveränderter Nachdruck der achten verbesserten und vermehrten Auflage von Heinrich Georges. Hannover 1988.

Girodet = Dictionnaire du bon français par Jean Girodet. Bordas, Paris 1981.

Hammarström = M.Hammarström, Glossarium till Finlands och Sveriges latinska medeltidsurkunder. Helsingfors 1925.

Handius I-IV = Ferdinandi Handii Tursellinus seu de particulis Latinis commentarii, volumina I-IV. Lipsiae 1829-1845.

Heinichen = F.A.Heinichens Lateinisch-deutsches Wörterbuch. Ausgabe mit Berücksichtigung ausgewählter mittellateinischer Schriftsteller. Zehnte Auflage des ursprünglichen Werkes bearbeitet von H.Bauer, R.Catholy, R.Rau, H.Zimmermann, Th.Bögel, R.Brossmann, H.Walther, O.Hoffmann. Leipzig und Berlin 1931.

Hornby-Gatenby-Wakefield = The Advanced Learner's Dictionary of Current English by A.S.Hornby, E.V.Gatenby and H.Wakefield. London 1953.

Krebs I-II = Johann Philipp Krebs, Antibarbarus der lateinischen Sprache, nebst einem kurzen Abriss der Geschichte der lateinischen Sprache und Vorbemerkungen über reine Latinität. I-II. Darmstadt 1962.

Kuusinen-Ollikainen = M.Kuusinen-V.Ollikainen, Venäläis-suomalainen suursanakirja. Helsinki 1972.

Lewis & Short = A Latin Dictionary founded on Andrews' edition of Freund's Latin Dictionary, revised, enlarged, and in great part rewritten by Charlton T. Lewis and Charles Short. Oxford 1969.

Liddell & Scott & Jones = Greek-English Lexicon, compiled by Henry George Liddell and Robert Scott. A New Edition Revised and Augmented throughout by Henry Stuart Jones. Ninth edition reprinted. Oxford 1953.

Machado I-III = José Pedro Machado, Dicionário etimológico da língua portuguesa I-III. Segunda edição 1967.

Moliner I-II = Maria Moliner, Diccionario de uso del español I-II. Madrid 1977.

Oxford Lat. Dictionary = Oxford Latin Dictionary edited by P.G.W. Glare. Oxford 1994.

Rekiaro = Ilkka Rekiaro, Saksa-suomi sanakirja. Jyväskylä 1992.

Robert = Dictionnaire alphabétique & analogique de la langue française par Paul Robert. Nouvelle édition. Paris 1979.

Thes.Ling.Lat.I-IX 2 = Thesaurus Linguae Latinae I-IX 2, editus auctoritate et consilio academiarum quinque Germanicarum: Berolinensis, Gottingensis, Lipsiensis, Monacensis, Vindobonensis. Lipsiae 1900-1981.

Walde-Hofmann I-II = Lateinisches etymologisches Wörterbuch I-II von A.Walde und J.B.Hofmann. Fünfte Auflage. Heidelberg 1982.

Östergren = Nusvensk ordbok av Olof Östergren. Stockholm 1981.

3. EDITIONES ET COMMENTARII ET LEXICA SINGULORUM SCRIPTORUM ANTIQUORUM

Aetheria

Arce = Itinerario de la virgen Egeria (381-384). Edición crítica del texto latino, variantes, traducción, anotada, documentos auxiliares, amplia introducción, planos y notas por Augustin Arce. Madrid 1980.

Löfstedt, Komm. = Löfstedt, Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae. Uppsala 1911.

Maraval = Egérie, Journal de voyage (Itinéraire). Introduction, texte critique, traduction, notes, index et cartes par Pierre Maraval. In eodem tomo Valerius Bierzo, Lettre sur la B^{se} Egérie, introduction, texte et traduction par Manuel C.Díaz y Díaz. Paris 1982.

Prinz = Itinerarium Egeriae (Pergrinatio Aetheriae). Herausgegeben von Otto Prinz. Fünfte, neubearbeitete und erweiterte Auflage. Heidelberg 1960.

Väänänen, Eger. = Veikko Väänänen, Le journal-épître d'Egérie (Itinerarium Egeriae). Etude linguistique. Helsinki 1987.

- Afranius

Ribbeck = Scaenicae Romanorum poesis fragmenta, tertiis curis rec. Otto Ribbeck. Lipsiae 1897.

- Ammianus Marcellinus

Seyfarth I-III = Ammianus Marcellinus, Römische Geschichte. Lateinisch und deutsch und mit einem Kommentar versehen von Wolfgang Seyfarth. Erster Teil: Buch 14-17. Zweiter Teil: Buch 18-21. Dritter Teil: Buch 22-25. Vierter Teil: Buch 26-31. Berlin 1978.

- Apicius

André = Apicius, l'art culinaire. Texte établi, traduit et commenté par Jacques André. Deuxième tirage. Paris 1987.

- Apuleius

Beaujeu = Apulée, Opuscles philosophiques (du dieu de Socrate, Platon et sa doctrine du monde) et fragments. Texte établi, traduit et commenté par Jean Beaujeu. Paris 1973.

Brandt = Apuleius, Der goldene Esel, Metamorphosen. Herausgegeben und übersetzt von Edward Brandt. München 1958.

Helm II 1 = Apulei Platonici Madaurensis Opera quae supersunt, vol.II, fasc.1: Pro se de magia liber (Apologia), edidit Rudolf Helm. Lipsiae 1959.

Helm II 2 = Apulei Platonici Madaurensis Opera quae supersunt, vol.II, fasc.2: Florida, recensuit Rudolf Helm. Lipsiae 1959.

Hildebrand, Apul. = Apuleii opera omnia, ed. G.H.Hildebrand. Lipsiae 1842.

Asconius Pedianus

Clark = Q.Asconii Pediani Orationum Ciceronis quinque enarratio, recognovit brevique adnotatione critica instruxit Albertus Curtis Clark. Oxonii 1907.

Squires = Asconius Pedianus, Quintus, Commentaries on Five Speeches of Cicero. Edited with a Translation by Simon Squires. Bristol-Wauconda 1990.

- Augustinus

Dombardt I-II = Sancti Aurelii Augustini episcopi De civitate Dei libri XXII. Tertium recognovit B.Dombardt. Vol.I lib.I-XIII, vol.II lib.XIV-XXII. Lipsiae 1909 et 1918.

Remark = Augustinus, Selbstgespräche. Lateinisch und deutsch herausgegeben von Peter Remark. 2.Auflage. München 1965.

- Belli Alexandrini, Belli Africi, Belli Hispaniensis auctores

Way = Caesar, Alexandrian, African and Spanish Wars, with an Eng-

lish Translation by A.G.Way. London, Cambridge, Massachusetts 1955.

- Biblia Sacra

Nov.Test.Gr. = Novum Testamentum Graece, post Eberhard Nestle et Erwin Nestle communiter ediderunt Kurt Aland, Matthew Black, Carlo M. Martini, Bruce M.Metzger, Allen Wikgren; apparatus criticum recensuerunt et editionem novis curis elaboraverunt Kurt Aland et Barbara Aland. 26.Auflage, 7. revidierter Druck 1983.

Vulg. = Biblia Sacra iuxta Vulgatam Versionem adiuvantibus Bonifatio Fischer Osb, Johanne Gribomont Osb, H.F.D.Sparks, W.Thiele recensuit et brevi apparatu instruxit Robertus Weber Osb. Editio tertia emendata quam paravit Bonifatius Fischer Osb cum sociis H. I.Frede, Johanne Gribomont Osb, H.F.D.Sparks, W.Thiele. Stuttgart 1983.

- Caesar

Barelli-Brindesi = Caio Giulio Cesare, La guerra gallica, con le figure in rame di Andrea Palladio, testo latino a fronte, introduzione e note di Ettore Barelli, traduzione di Fausto Brindesi. Rizzole Editore, Milano 1974.

Dorminger = C.Julius Caesar, Der gallische Krieg. Lateinisch-deutsch ed. Georg Dorminger. Ernst Heimeran Verlag, München 1962.

Kraner-Dittenberger-Meusel I-II = C.Iulii Caesaris Commentarii de bello Gallico, erklärt von Fr.Kraner, W.Dittenberger und Heinrich Meusel. Erster Band Zürich/Berlin 1964. Zweiter Band Dublin/Zürich 1967.

Kraner-Hofmann-Meusel = C.Iulii Caesaris Commentarii de bello civili, erklärt von Fr.Kraner und Fr.Hofmann; zwölfte Auflage von Heinrich Meusel. Berlin 1959.

Meusel, Lexic. Caes. = H.Meusel, Lexicon Caesarianum. Berolini 1887.

- Cato

Hooper-Ash = Marcus Porcius Cato, On Agriculture; Marcus Terentius Varro, On Agriculture, with an English Translation by W.D.Hooper, revised by H.B.Ash. Cambridge, Massachusetts, London 1993.

- Catullus

Ellis = Robinson Ellis, A Commentary on Catullus. New York - London 1979.

Kroll = C.Valerius Catullus, herausgegeben und erklärt von Wilhelm Kroll. Vierte durch neue Zusätze vermehrte Auflage. Stuttgart 1960.

Lafaye, Catullus = Catulle, Poésies, texte établi et traduit par Georges Lafaye. Onzième tirage. Paris 1984.

Oksala = Adnotationes criticae ad Catulli carmina conscriptae a Päivö Oksala. Helsinki 1965.

Schuster = Catulli Veronensis liber, recensuit Mauritius Schuster. Lipsiae 1949.

- Celsus

Spencer I-III = Celsus, De medicina, with an English Translation by W.G.Spencer, in three volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1960-1961.

- Cicero

Boulanger = Cicéron, Discours, Tome XVII: pour C.Rabirius Postumus, pour T. Annius Milo. Texte établi et traduit par André Boulanger. Paris 1949.

Cancelli = Marco Tullio Cicerone, Le leggi, a cura di Filippo Cancelli. Arnoldo Mondadori Editore 1969.

Casorati = Marco Tullio Cicerone, l'Orazione per Aulo Cêcina, a cura di Francesco Casorati. (In eodem tomo etiam Pro M.Fonteio oratio a Giovanni Tarditi et De imperio Cn.Pompei oratio a Fernando M.Brignoli curata). Arnoldo Mondadori Editore 1973.

D'Arbela = M.Tullio Cicerone, L'Oratore. Edizione critica con traduzione e note italiane a cura di Edmondo V. D'Arbela. Milano 1958.

Donkin = M.Tulli Ciceronis Pro Sexto Roscio Amerino oratio ad iudices, with an Introduction and Notes. Edited, after Karl Halm, by E.H.Donkin. Bristol Classical Press 1965, Repr.1987.

Falconer = Cicero, De senectute, De amicitia, De divinatione, with an English Translation by William Armistead Falconer. London, Cambridge, Massachusetts 1959.

Fuhrmann = Marcus Tullius Cicero, Sämtliche Reden, eingeleitet, übersetzt und erläutert von Manfred Fuhrmann. Band.I. Zürich & Stuttgart 1970.

Galli = M.Tullio Cicerone, Orator. Introduzione e Commento di Francesco Galli. Milano 1950.

Gardner,Cael. = Cicero, The Speeches Pro Caelio - De provinciis consularibus - Pro Balbo, with an English Translation by R.Gardner. Cambridge, Massachusetts, London 1965.

Gardner,Sest. = Cicero, The Speeches Pro Sestio and In Vatinius, with an English Translation by R.Gardner. London, Cambridge, Massachusetts 1958.

Gigon = Marcus Tullius Cicero, Gespräche in Tusculum. Lateinisch-deutsch mit ausführlichen Anmerkungen neu herausgegeben von Olof Gigon. München 1970.

Greenwood = Cicero, The Verrine Orations, with an English Translation by L.H.G.Greenwood, in two volumes. Cambridge, Massachusetts, London 1959 & 1967.

Hodge = Cicero, The Speeches Pro lege Manilia, Pro Caecina, Pro Cluentio, Pro Rabirio Perduellionis, with an English Translation by H.Grose Hodge. London, Cambridge, Massachusetts 1966.

Hubbel = Cicero, De inventione, De optimo genere oratorum, Topica, with an English Translation by H.M.Hubbel. Cambridge, Massachusetts, London 1993.

Iordan = M.Tullii Ciceronis oratio pro A.Caecina, recensuit, scripturae varietatem adiecit, prolegomenis instruxit, annotationibus cum superiorum interpretum tum suis explanavit Dr.Carol. Adolph.Iordan. Lipsiae 1847.

Kasten,Cic.Epist.Att. = Marcus Tullius Cicero, Atticus-Briefe. Lateinisch-deutsch ed. Helmut Kasten. München 1959.

Kasten,Cic.Or. = Cicero, Staatsreden. Erster Teil: Über den Oberbefehl des Cn. Pompeius, Über das Ackergesetz, Gegen L.Catilina. Lateinisch und deutsch von Helmut Kasten. Berlin 1969.

Ker = Cicero, Philippics with an English Translation by Walter C. A.Ker. London, Cambridge, Massachusetts 1969.

Landgraf = Ciceros Rede für Sex.Roscius aus Ameria, herausgegeben und erklärt von Gustav Landgraf. Erlangen 1882.

Lord = Cicero, The Speeches with an English Translation: In Catilinam I-IV Pro Murena Pro Sulla Pro Flacco, by Louis E. Lord. London, Cambridge, Massachusetts 1953.

Martha I-II = Cicéron, Des termes extrêmes des biens et des maux. Tome I: Livres I-II. Tome II: Livres III-V. Texte établi et traduit par Jules Martha. Paris 1928 & 1930.

Mazzolani = Marco Tullio Cicerone, Le Catilinarie: introduzione, traduzione e note di Lidia Storone Mazzolani, premessa al testo di Salvatore Rizzo. Testo latino a fronte. Quinta edizione. Milano 1989.

Merguet,Philos.Cic.I-III = Lexicon zu den philosophischen Schriften Cicero's mit Angabe sämtlicher Stellen I-III, von H.Merguet. Hildesheim, New York 1971.

Merguet,Red.Cic.I-IV = Lexicon zu den Reden des Cicero Mit Angabe sämtlicher Stellen I-IV, von H.Merguet. Hildesheim 1962.

Miller, Cic. Off. = Cicero, De officiis, with an English Translation by Walter Miller. Cambridge, Massachusetts, London 1968.

Norcio = Opere retoriche di M.Tullio Cicerone. Volume primo: De Oratore, Brutus, Orator, a cura di Giuseppe Norcio. Torino 1970.

Pacitti = Marco Tullio Cicerone, La vecchiezza, L'amicizia, a cura di Guerino Pacitti. Arnoldo Mondadori Editore 1965.

Pacitti-Castorina-Albini = Marco Tullio Cicerone, L'orazione per Marco Celio a cura di Guerino Pacitti, L'orazione per Publio Sestio a cura di Emanuele Castorina, L'orazione contro Publio Vatinius a cura di Umberto Albini. Arnoldo Mondadori Editore, Firenze 1962, II edizione 1973.

Rackham = Cicero, De finibus bonorum et malorum, with an English Translation by H.Rackham. London, Cambridge, Massachusetts 1961.

Schoemann = M.Tullii Ciceronis De natura deorum libri tres, erkläert von G.F.Schoenemann. Leipzig 1850.

Torius = M.Tulli Ciceronis Orationes in Catilinam prima et tertia. Med en levnadsteckning över Cicero samt inledning och förklaringar av K. Josef Torius. Fjärde upplagan. Lund 1959.

Watt I-III = M.Tulli Ciceronis Epistulae, vol.I-III, recognovit brevis adnotatione critica instruxit W.S.Watt. Oxonii 1965.

Watts 1958 = Cicero, The Speeches, with an English Translation, Pro T. Annio Milone In L. Calpurnium Pisonem Pro M. Aemilio Scauro - Pro M. Fonteio - Pro C. Rabirio Postumo - Pro M. Marcello - Pro Q. Ligario - Pro rege Deiotaro, by N.H. Watts. London, Cambridge, Massachusetts 1958.

Watts 1961 = Cicero, The Speeches, with an English Translation, Pro Archia poeta - Post reditum in senatu - Post reditum ad Quirites - De domo sua - De haruspicum responsis - Pro Plancio, by N.H. Watts. London, Cambridge, Massachusetts 1961.

Williams I-III = Cicero, The Letters to his Friends, with an English Translation by W. Glynn Williams, in three volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1958-1960.

Ziegler = M.Tulli Ciceronis scripta quae manserunt omnia. Fasc. 39: De re publica librorum sex quae manserunt quintum recognovit K. Ziegler. Lipsiae 1960.

- Columella

Ash = Lucius Junius Moderatus Columella, On Agriculture, in three volumes, with a recension of the Text and an English Translation by Harrison Boyd Ash. Cambridge, Massachusetts, London 1960-1968.

Betts-Ashworth = G.G. Betts and W.D. Ashworth, Index to the Uppsala edition of Columella. Uppsala 1971.

- Curtius Rufus

Bardon I-II = Quinte-Curce, Histoires. Tome I: livres III-VI. Tome II: livres VII-X. Texte établi et traduit par H.Bardon. Paris 1947 & 1948.

Rolfe, Curt. I-II = Quintus Curtius with an English Translation by John C. Rolfe, in two volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1962.

Vogel, Curt. = Q.Curti Rufi Historiarum Alexandri Magni Macedonis libri qui supersunt, recognovit Theodorus Vogel. Lipsiae 1900.

- Donatus

Wessner I-III = Aeli Donati quod fertur Commentum Terenti. Accedunt Eugraphi commentum et Scholia Bemina. Rec. Paulus Wessner. Lipsiae 1902-1908.

- Ennius

Warmington I-IV = Remains of Old Latin, edited and translated by E.H.Warmington, in four volumes. I: Ennius and Caecilius. II: Livius Andronicus, Naevius, Pacuvius and Accius. III. Lucilius, Laws of the XII Tables. IV. Archaic Inscriptions. Cambridge, Massachusetts. London 1967.

- Florus

Forster = Lucius Annaeus Florus, Epitome of Roman history, with an English Translation by Edward Seymour Forster. In eodem tomo Cornelius Nepos with an English Translation by John.C.Rolfe. London, Cambridge, Massachusetts 1960.

- Fronto

van den Hout = M.Cornelii Frontonis Epistulae, quas edidit M.P.J. van den Hout. Volumen prius prolegomena, textum, indicem nominum propriorum continens. Lugduni Batavorum 1954.

- Gellius

Marshall I-II = A.Gellii Noctes Atticae, recognovit brevique annotatione critica instruxit P.K.Marshall. Tomus primus: libri I-X. Tomus secundus: libri XI-XX. Oxonii 1990.

Rolfe, Gellius I-III = The Attic Nights of Aulus Gellius with an English Translation by John C. Rolfe, in three volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1952-1982.

- Gregorius Turonensis

Bonnet = Max Bonnet, Le latin de Grégoire de Tours. Paris 1890.

Gaudet-Taranne = Gregorius, Episcopus Turonensis, Historiae ecclesiasticae Francorum libri X, emendaverunt et illustraverunt J. Gaudet et N.R.Taranne. Tomi I-II. Parisiis 1836-1838.

Krusch-Levison = Bruno Krusch - Wilhelmus Levison, Scriptores rerum Merovingicarum I: 1 (in serie, quae 'Monumenta Germaniae historica' inscribitur). Hannoverae 1951.

- Hieronimus

Goelzer = Étude lexicographique et grammaticale de la latinité de Saint Jérôme par Henri Goelzer. Paris 1884.

- Horatius

Arnold = Des Horaz Brief an die Pisonen oder über die Dichtkunst. Urschrift, Uebersetzung, Erklärung von August Arnold. Berlin, Posen und Bromberg 1836.

Bo = Dominicus Bo, Lexicon Horatianum I,1 - I,2. Hildesheim 1965-1966.

Brink = C.O.Brink, Horace on Poetry. The "Ars Poetica". Cambridge 1971.

Dillenburg = Q.Horatii Flacci Opera omnia, recognovit et commentariis in usum scholarum instruxit Guil.Dillenburg. Editio quarta. Bonnae 1860.

Doering I-II = Q.Horatii Flacci Opera omnia recensuit et illustravit Fridericus Guil.Doering. Tomus primus: editionem novam curavit Gustavus Regel. Lipsiae 1839. Tomus secundus. Editio tertia auctior et emendatior. Lipsiae 1836.

Kiessling & Heinze, Hor.Epist. = Q.Horatius Flaccus, Briefe, erklärt von Adolf Kiessling. Sechste Auflage bearbeitet von Richard Heinze. Berlin 1959.

Kiessling & Heinze, Hor. Od. & Epod. = Q. Horatius Flaccus, Oden und Epoden, erklärt von Adolf Kiessling. Neunte Auflage besorgt von Richard Heinze. Berlin 1958.

Krüger, Hor. = Des Q.Horatius Flaccus Satiren und Episteln, für den Schulgebrauch erklärt von Dr. G.T.A.Krüger. Sechste Auflage. Leipzig 1869.

Oddone, Hor.Sat. = Quinto Orazio Flacco, Satire, a cura di Enrico Oddone, presentazione di Francesco Maspero. Milano 1990.

Ronconi, Hor.Sat. = Quinto Orazio Flacco, Le satire. Traduzione e note di A.Ronconi. Introduzione di M.Ramous. Firenze 1976.

Rostagni = Orazio, *Arte poetica*, introduzione e commento di Augusto Rostagni. Torino 1964.

Rudd = Horace, *Epistles, Book II and Epistle to the Pisones ('Ars Poetica')*, edited by Niall Rudd. Cambridge 1989.

Schönberger = Horaz, *Satiren und Episteln*, auf der Grundlage der Übersetzung von J.K.Schönberger lateinisch und deutsch von Otto Schönberger. Berlin 1976.

Synnerberg = C.Synnerberg, *Q.Horatii Flacci De arte poetica liber med inledning och förklaringar*. Helsingfors 1868.

Villeneuve, Hor.Od.& Epod. = Horace, *Odes et épodes*, texte établi et traduit par F.Villeneuve. Quatrième édition. Paris 1961.

Villeneuve, Hor.Epitr. = Horace, *Epitres*, texte établi et traduit par Francois Villeneuve. Quatrième édition. Paris 1961.

Villeneuve, Hor.Sat. = Horace, *Satires*, texte établi et traduit par Francois Villeneuve. Cinquième édition. Paris 1958.

- Iustinus

Seel = M.Iuniani Iustini *Epitoma historiarum Philippicarum Pompei Trogi*. Post Franciscum Ruehl iterum edidit O.Seel. Stuttgartiae 1972.

- Iuvenalis

Canali-Barelli = Decimo Giunio Giovenale, *Satire*, introduzione di Luca Canali, premessa al testo, traduzione e note di Ettore Barelli; testo latino a fronte. Milano 1975.

- Livius

Bayet & Baillet = Tite-Live, *Histoire Romaine*, Tome IV, Livre IV. Texte établi par Jean Bayet et traduit par Gaston Baillet. Paris 1946.

Ceva-Scândola = Tito Livio, *Storia di Roma dalla sua fondazione*, traduzione di Bianca Ceva, note di Mario Scândola, volume quinto (libri XXI-XXIII), testo latino a fronte. Milano 1989.

Cocchia = Tito Livio, *Libro XXI delle istorie*. Commento e note di Enrico Cocchia. Torino 1966.

Foster, Livy V = *Livy with an English Translation* by B.O.Foster in fourteen volumes. V: Books XXI-XXII. Cambridge, Massachusetts, London 1957.

Gärtner = Titus Livius, *Der punische Krieg 218-201*, übersetzt und herausgegeben von Hans Armin Gärtner. Stuttgart 1968.

Hillen = Titus Livius, Der Untergang des makedonischen Reiches. Römische Geschichte, Buch 39-45. Eingeleitet, übersetzt und erläutert von Hans Jürgen Hillen. Zürich und München 1972.

Jal = Tite-Live, Histoire Romaine, tome XI, livre XXI. Texte établi et traduit par Paul Jal. Deuxième tirage revu et corrigé. Paris 1991.

Melhuish = Livy, Book XXI Adapted from Mr. Cape's Edition. With Notes and Vocabulary by J.E.Melhuish, M.A. London 1961.

Packard I-IV = A Concordance to Livy I-IV by David W. Packard. Harvard University Press, Cambridge, Massachusetts 1968.

Schlesinger, Livy XIII = Livy with an English Translation in fourteen volumes. XIII: Books XLIII-XLV, translated by Alfred C. Schlesinger. London, Cambridge, Massachusetts 1971.

Weissenborn-Müller = Titi Livi Ab urbe condita libri, bearbeitet von W. Weissenborn und H.J. Müller. 10 Bände. Berlin/Dublin/Zürich 1965-1980.

Wölfflin-Luterbacher = Titi Livii Ab urbe condita liber XXI. Für den Schulgebrauch erklärt von Eduard Wölfflin. Sechste Auflage besorgt von Franz Luterbacher. Berlin 1927.

- Lucanus

Canali-Badali = Marco Anneo Lucano, La guerra civile o Farsaglia, introduzione e traduzione di Luca Canali, premessa al testo e note di Renato Badali; testo latino a fronte. Seconda edizione. Milano 1987.

Graves = Lucan, Pharsalia. Dramatic Episodes of the Civil Wars, translated by Robert Graves. London 1956.

- Lucilius

Cichorius = Conrad Cichorius, Untersuchungen zu Lucilius. Berlin 1908.

Krenkel I-II = Lucilius, Satiren. Lateinisch und deutsch von Werner Krenkel. Leiden 1970.

Marx, Lucil. I-II = C. Lucilii carminum reliquiae, recensuit, enarravit Fridericus Marx. Volumen prius: Prolegomena, testimonia fasti Luciliani, carminum reliquiae, indices. Lipsiae 1904. Volumen posterius: Commentarius. Lipsiae 1905.

Warmington I-IV: vide Ennius.

- Lucretius

Bailey I-III = Titi Lucreti Cari De rerum natura libri sex, edited

with Prolegomena, Critical Apparatus, Translation and Commentary by Cyril Bailey. Oxford 1947.

Ernout, Lucr. = Lucrèce, De la nature, tome premier. Texte établi et traduit par Alfred Ernout. Cinquième tirage. Paris 1984.

Ernout-Robin = Lucrèce, De rerum natura. Commentaire exégétique et critique par Alfred Ernout et Léon Robin. Paris 1925.

Paulson = J. Paulson, Index Lucretianus. Gotoburgi 1911.

- Macrobius

Willis = Ambrosii Theodosii Macrobiani Saturnalia, apparatu critico instruxit, in Somnium Scipionis commentarios selecta varietate lectionis ornavit Iacobus Willis. Leipzig 1970.

- Marcellus

Niedermann-Liechtenhan-Kollesch-Nickel = Marcellus, Über Heilmittel, herausgegeben von Max Niedermann, zweite Auflage besorgt von Eduard Liechtenhan, übersetzt von Jutta Kollesch und Diethard Nickel. Akademie-Verlag, Berlin 1968.

- Martialis

Izaac I-II = Martial, Epigrammes. Texte établi et traduit par H.J. Izaac. Tome I (livres I-VII): troisième édition. Paris 1969. Tome II, 1^{re} partie (livres VIII-XII): troisième tirage. Paris 1973; 2^{me} partie (livres XIII-XIV): deuxième édition. Paris 1961.

- Nepos

Rolfe, Nepos = Cornelius Nepos with an English Translation by John C. Rolfe. In eodem tomo est etiam Lucius Annaeus Florus, Epitome of Roman History, with an English Translation by Edward Seymour Forster. London, Cambridge, Massachusetts 1960.

Siebelis-Jancovius-Stange = Cornelius Nepos, für Schüler mit Erläuternden und eine richtige Übersetzung fördernden Anmerkungen versehen von Dr. Johannes Siebelis. In siebenter bis elfter Auflage besorgt von Prof. Dr. Max Jancovius. Zwölfte Auflage von Dr. Otto Stange. Leipzig 1897.

- Novum Testamentum: vide Biblia sacra

- Ovidius

Bertini = Publio Ovidio Nasone, Amori. A cura di Ferruccio Bertini. Garzanti Editore s.p.a., Milano 1983.

Bornecque, Ovid. Amores = Ovide, Les amours. Texte établi et traduit par Henri Bornecque. Troisième édition. Paris 1961.

Bornecque, Ovid. L'Art d'aimer = Ovide, L'Art d'aimer. Texte établi et traduit par Henri Bornecque. Septième tirage. Paris 1983.

Chamonard = Ovide, Les métamorphoses. Traduction, introduction et notes par Joseph Chamonard. Paris 1966.

Frazer = Ovid, Fasti, with an English Translation by James George Frazer. Cambridge, Massachusetts, London 1976.

Lafaye, Ovid. Metam. I-III = Ovide, Les Métamorphoses. Texte établi et traduit par Georges Lafaye. Tome I (I-V): troisième édition revue et corrigée. Paris 1961. Tome II (VI-X): sixième tirage revu et corrigé par H. Le Bonniec. Paris 1989. Tome III (XI-XV): sixième tirage revu et corrigé. Paris 1988.

Miller, Ovid. Metam. I-II = Ovid, Metamorphoses, with an English Translation by Frank Justus Miller, in two volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1946.

Mozley = Ovid, The Art of Love, and other Poems, with an English Translation by J.H. Mozley. De medicamine faciei, Artis amatoriae I-III, Remediorum amoris, Nux, Ibis, Halieuticon, Consolatio ad Liviam, Appendix to Ibis. London, Cambridge, Massachusetts 1962.

Owen = P. Ovidi Nasonis Tristium libri quinque, Ibis, Ex Ponto libri quattuor, Halieutica, Fragmenta, recognovit brevique adnotatione critica instruxit S.G. Owen. Oxonii 1969.

Rosati = Publio Ovidio Nasone, Lettere di eroine, introduzione, traduzione e note di Gianpiero Rosati, testo latino a fronte. Milano 1989.

Rösch = Publius Ovidius Naso, Metamorphosen. In deutsche Hexameter übertragen und mit dem Text herausgegeben von Erich Rösch. München 1961.

- Pacuvius

Warmington I-IV: vide Ennius.

- Palladius

Rodgers = Palladii Rutilii Tauri Aemiliani viri illustris Opus Agriculturae, De veterinaria medicina, De insitione edidit Robert H. Rodgers. Leipzig 1975.

Svennung = Untersuchungen zu Palladius und zur lateinischen Fach- und Volkssprache von J. Svennung. Lund 1935.

- Persius

Barelli = Aulo Persio Flacco, Satire; saggio introduttivo di Antonio La Penna, traduzione e note di Ettore Barelli, premessa al testo di Franco Bellandi. Terza edizione. Milano 1988.

Némethy = A.Persii Flacci Satirae, edidit, adnotationibus exegeticis et indice verborum instruxit Geyza Némethy. Budapestini 1903.

- **Petronius**

Canali, Petr. = Petronio, Satyricon a cura di Luca Canali. Milano 1990.

Segebade-Lommatzsch = J.Segebade-E.Lommatzsch, Lexicon Petronianum. Leipzig 1898.

- **Phaedrus**

Brenot = Phèdre, Fables. Texte établi et traduit par Alice Brenot. Troisième tirage. Paris 1969.

Perry = Babrius and Phaedrus, edited and translated by Ben Edwin Perry. Cambridge, Massachusetts, London 1990.

- **Plato**

Shorey = Plato in twelve volumes. V. The Republic. Volume I, Books I-V, with an English Translation by Paul Shorey. Cambridge, London, Massachusetts 1978.

- **Plautus**

Brix-Niemeyer = Ausgewählte Komödien des T.Maccius Plautus. Für den Schulgebrauch erklärt von Julius Brix. Erstes Bändchen: Trinummus. Fünfte Auflage bearbeitet von Max Niemeyer. Leipzig und Berlin 1907.

Duckworth = T.Macci Plauti Epidicus, Edited with Critical Apparatus and Commentary by George E.Duckworth. Princeton, London 1940.

Ernout, Plaut. I-VII = Plaute, Comédies I-VII. Texte établi et traduit par Alfred Ernout. Paris 1932-1970.

Jones = T.Macci Plauti Menaechmi, edited, with Introduction and Notes by P.Thoresby Jones. Oxford 1959.

Klotz, Plaut. = T.Maccius Plautus, Komödien. Lateinisch und deutsch von Alfred Klotz. München 1948.

Lindsay, Plaut. Com. = T.Macci Plauti Comoediae, recognovit brevique adnotatione critica instruxit W.M.Lindsay. Oxonii 1968.

Lindsay, Synt. Plaut. = W.M.Lindsay, Syntax of Plautus. Oxford 1907.

Lodge = Gonzalez Lodge, Lexicon Plautinum I-II. Hildesheim 1962.

Marx, Rud. = Plautus, Rudens. Commentar von F.Marx. Leipzig 1928.

Mazzoni = Plauto, Miles gloriosus, commento e note di Gino Mazzoni. Torino 1972.

Moreschini = Plauto, Il fantasma, commento di Adriana Quattordio Moreschini. Torino 1981.

Nixon I-V = Plautus with an English Translation by Paul Nixon, in five volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1960-1979.

Paratore = Tito Maccio Plauto, tutte le commedie, vol.I-V, a cura di Ettore Paratore. Roma-Firenze 1976.

Passalacqua = Plauto, La commedia degli asini, commento di Marina Passalacqua. Torino 1971.

Questa = Plauto, La pentola dell'oro, commento di Cesare Questa. Torino 1978.

Sedgwick = Plautus, Amphitruo, Edited, with Introduction and Notes, by W.B.Sedgwick. Manchester 1967.

- Plinius (Maior)

König = C.Plinii Secundi Naturalis historiae libri XXXVII, herausgegeben und übersetzt von Roderich König. München 1973-1992.

- Plinius (Minor)

Kühn = C.Caecili Secundi Panegyricus Traiano imperatori dictus. Edidit, transtulit atque notis instruxit Werner Kühn. Darmstadt 1985.

Melmoth-Hutchinson I-II = Pliny, Letters with an English Translation by William Melmoth, revised by W.M.L.Hutchinson, in two volumes. Cambridge, Massachusetts, London 1952.

Mynors, Plin. = C.Plini Caecili Secundi Epistularum libri decem, recognovit brevique adnotatione critica instruxit R.A.B.Mynors. Oxonii 1963.

Radice = Pliny, Letters, Books VIII-X, Panegyricus, with an English Translation by Betty Radice. Cambridge, Massachusetts, London 1992.

- Pomponius Bononiensis:

Ribbeck: vide Afranius.

- Priscianus

Keil I-VIII = H.Keil, Grammatici Latini I-VIII. Georg Olms Verlag, Hildesheim, New York 1981.

- Propertius

Phillimore = J.S.Phillimore, Index verborum Propertianus. Oxford 1905.

Rothstein I-II = Die Elegien des Sextus Propertius. Max Rothstein. In two volumes. New York & London 1979.

- Prudentius

Deferrari-Campbell = A Concordance of Prudentius. Roy Joseph Deferrari, James Marshall Campbell. Cambridge, Massachusetts 1932.

Thomson I-II = Prudentius with an English Translation by H.J. Thomson, in two volumes. Cambridge, Massachusetts, London 1962.

Publilius Syrus

Friedrich, Publ.Syr. = Publilii Syri Mimi Sententiae, digessit, recensuit, illustravit Otto Friedrich. Hildesheim 1964.

- Quintilianus

Bornecque, Quint. I-IV = Quintilien, Institution oratoire. Texte revu et traduit avec introduction et notes par Henri Bornecque. Paris.

Butler I-IV = The Institutio Oratoria of Quintilian with an English Translation by H.E.Butler, in four volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1961-1966.

Cousin I-VII = Quintilien, Institution oratoire. Texte établi et traduit par Jean Cousin. Paris 1979.

Faranda & Pecchiura I-II = L'istituzione oratoria di Marco Fabio Quintiliano, a cura di Rino Faranda e Piero Pecchiura. Torino 1979.

Krüger, Quint. = M.Fabii Quintiliani Institutionis oratoriae liber decimus. Für den Schulgebrauch erklärt von Dr.G.T.A.Krüger. Leipzig 1861.

Lehnert = Quintiliani quae feruntur Declamationes IX maiores, edidit Georgius Lehnert. Lipsiae 1905.

Peterson = M.Fabi Quintiliani Institutionis oratoriae liber decimus. A Revised Text with Introductory Essays, Critical and Explanatory Notes and a Facsimile of the Harleian MS. by W.Peterson. Hillesheim 1967.

Ritter = M.Fabii Quintiliani Declamationes quae supersunt CXLV, recensuit Constantinus Ritter. Editio stereotypa editionis prioris (MDCCCLXXXIV). Stutgardiae in aedibus B.G.Teubneri MCMLXV.

Shackleton Bailey, Quint.Decl. = M.Fabii Quintiliani Declamationes minores, edidit D.R.Shackleton Bailey. Stutgardiae 1989.

- Rhetoricorum ad Herennium auctor

Caplan = (Cicero,) Ad C.Herennium de ratione dicendi (Rhetorica ad Herennium), with an English Translation by Harry Caplan. Cambridge, Massachusetts, London 1968.

- Sallustius

Ernout, Pseudo-Salluste = Pseudo-Salluste, Lettres à César invectives. Texte établi, traduit et commenté par A.Ernout. Paris 1962.

Ernout, Salluste = Salluste, Catilina, Jugurtha, Fragments des Histoires. Texte établi et traduit par Alfred Ernout. Paris 1947.

Maurenbrecher = C.Sallusti Crispi Historiarum reliquiae, edidit Bertholdus Maurenbrecher. Stutgardiae 1967.

Opitz = C.Sallusti Crispi Bellum Catilinae, Bellum Iugurthinum. Für den Schulgebrauch erklärt von Th.Opitz. Leipzig 1894-1895.

Rapsch-Najock-Nowosad I-II = Concordantia in Corpus Sallustianum. Volumen Primum A-L, Volumen Alterum M-V, curantibus Jürgen Rapsch et Dietmar Najock, adiuvante Adam Nowosad. Hildesheim-Zürich-New York 1991.

Rolfe, Sallust. = Sallust with an English Translation by J.C.Rolfe. London, Cambridge, Massachusetts 1971.

Vretska I-II = Sallust, Invektive und Episteln I-II. Herausgegeben, übersetzt und kommentiert von Karl Vretska. Heidelberg 1961.

- Seneca (Maior)

Winterbottom 1-2 = The Elder Seneca, Declamations in two volumes translated by M.Winterbottom. Volume 1: Controversiae, books 1-6. Volume 2: Controversiae, books 7-10, Suasoriae. Cambridge, Massachusetts, London 1974.

- Seneca (Minor)

Alexander = William Hardy Alexander, Seneca's Dialogues I, II, VII, VIII, IX, X. University of California, Publications of classical philology. Vol.XIII. Berkeley and Los Angeles 1950.

Barone I-II = Lucio Anneo Seneca, Lettere a Lucilio. Introduzione, traduzione e note di Caterina Barone, con un saggio di Luciano Canfora. Garzanti Editore 1989.

Basore I-III = Seneca, Moral Essays, with an English Translation

by John W. Basore, in three volumes. London, Cambridge, Massachusetts 1970-1975.

Bourgery = Sênèque, Dialogues. Tome premier: De ira. Texte établi et traduit par A.Bourgery. Paris 1951.

Gercke = L.Annaei Senecae Naturalium quaestionum libri VIII, edidit Alfred Gercke. Editio stereotypa editionis anni MCMVII. Stuttgartiae 1970.

Sacerdoti = Seneca, Dialoghi. Edizione critica con traduzione e note a cura di Nedda Sacerdoti. Milano.

Thomann I-II = L.Annaei Senecae Tragoedias Latine et Germanice edidit indice nominum adiecto Theodorus Thomann. Tomus I: Hercules Furens, Troades, Medea, Phaedra, Octavia Praetexta incerti poetae. Tomus II: Oedipus, Thyestes, Agamemnon, Hercules Oeteus, Phoenissae. Turici et Stuttgartiae 1961 & 1969.

- Servius

Thilo-Hagen I-III = Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii. Vol.I: Aeneidos librorum I-V commentarii. recensuit Georgius Thilo. Lipsiae 1881. Vol.II: Aeneidos librorum VI-XII commentarii, recensuit Georgius Thilo. Lipsiae 1884. Vol. II, fasc.I: Servii grammatici qui feruntur in Vergilii Bucolica et Georgica commentarii, recensuit Georgius Thilo. Lipsiae 1887. Vol.III, fasc.II: Appendix Serviana. Ceteros praeter Servium et scholia Bernensia Vergilii commentatores continens, recensuit Hermannus Hagen. Lipsiae 1902.

- Stattius

Mozley I-II = Stattius with an English Translation by J.H.Mozley, in two volumes. I: Silvae, Thebaid I-IV. II: Thebaid V-XII, Achilleid. London, Cambridge, Massachusetts 1967 & 1969.

- Suetonius

Ailloud I-III = Suétone, Vies des douze Césars. Tome I: César, Auguste. Tome II: Tibère, Caligula, Claude, Néron. Tome III: Galba, Othon, Vitellius, Vespasien, Titus, Domitien. Texte établi et traduit par Henri Ailloud. Deuxième Edition revue et corrigée. Paris 1954-1957.

Howard-Jackson = Index verborum C.Suetoni Tranquilli stilique eius proprietatum nonnullarum confecerunt Albertus Andreas Howard & Carolus Newell Jackson. Cantabrigiae Massachusettensium; Londini 1922.

- Tacitus

Borst & Hross = Tacitus, Historien. Lateinisch-deutsch ed. Joseph Borst unter Mitarbeit von Helmut Hross. München 1959.

Cordier = Tacite, Dialogue des orateurs, Vie d'Agricola, La Germanie. Texte établi, et, d'après Burnouf, traduit par André Cordier. Paris 1949.

Dessi = Publio Cornelio Tacito, Storie, Dialogo degli oratori. Traduzione di Felice Dessi. Milano 1968.

Draeger & Heraeus = Das Leben des Agricola von Tacitus. Schulausgabe von A.Draeger. Sechste umgearbeitete Auflage besorgt von W. Heraeus. Leipzig und Berlin 1905.

Furneaux & Anderson = Corneli Taciti De vita Agricolae, edited by H.Furneaux. Second edition revised and largely rewritten by J.G. C.Anderson. 1961.

Gerber-Greef I-II = Lexicon Taciteum ediderunt A.Gerber et A.Greef. U et V litteras confecit C.John. Hildesheim 1962.

Koestermann = Corneli Taciti libri qui supersunt tertium edidit Erich Koestermann. Tom.I: Ab excessu Divi Augusti. Leipzig 1971.

Oddone, Tac. Ann. = Tacito, Annali dalla morte del divo Augusto. Traduzione di Enrico Oddone. Introduzione, note, bibliografia a cura di Matilde Caltabiano. Milano 1978.

Sleeman = Corneli Taciti De vita Iulii Agricolae, De origine et moribus Germanorum, edited by J.H.Sleeman. Cambridge 1958.

Valmaggi = Cornelio Tacito, Germania, commento e note di Luigi Valmaggi. Torino 1962.

- Terentius

Bianco, Ter. Adelph. = P.Terenzio Afro, I due fratelli, commento di Orazio Bianco. Torino 1969.

Bianco, Ter. Andr. = Terenzio, L'Andria, commento di Orazio Bianco. Torino 1983.

Gazzola = Publio Terenzio Afro, Il punitore di se stesso, introduzione di Dario Del Corno, traduzione e note di Gabriella Gazzola; testo latino a fronte. Milano 1990.

Jenkins = E.B.Jenkins, Index verborum Terentianus. Chapel Hill Univ. of North Carolina 1932.

Junks = An Index of the Adverbs of Terence by E.A.Junks. London 1915.

Marouzeau I-III = Térence. Texte établi et traduit par J.Marouzeau. Tome I (Andrienne, Eunuque) 1947, tome II (Heautontimorumenos, Phormion) 1947, tome III (Hécyre, Adelphe) 1949.

McGlynn = Lexicon Terentianum, conscripsit Patricius McGlynn.

Londini et Glascae. Volumen prius: A-O 1963. Volumen alterum: P-V 1967.

Prete = P.Terenti Afri Comoediae, ed. Sextus Prete. Heidelberg 1954.

Sargeaunt I-II = Terence with an English Translation by John Sargeaunt, in two volumes. Cambridge, Massachusetts, London 1964-1965.

Schlee = Scholia Terentiana, collegit et disposuit F.Schlee. Lipsiae 1893.

Spengel = Die Komödien des P.Terentius, erklärt von A.Spengel. Erstes Bändchen: Andria. Zweite Auflage. Berlin 1888.

Tuomi = P.Terentius Afer, Eunuchus. Johdannolla ja selityksillä varustanut Raimo Tuomi. Turku 1988.

- Tertullianus

Evans I-II = Tertullian, Adversus Marcionem. Edited and Translated by Ernst Evans. I. Books 1-3. II. Books 4 and 5. Oxford 1972.

Hoppe = Heinrich Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian. Leipzig 1903.

Waszink-Winden = Tertullianus, De idolatria. Critical Text, Translation and Commentary by J.H.Waszink and J.C.M. van Winden. Leiden - New York - Kobenhavn - Köln 1987.

- Tibullus

Hiller = Albii Tibulli Elegiae cum carminibus pseudo-Tibullianus, ed. Ed.Hiller. Accedit index verborum. Leipzig 1885.

Postgate = Tibulli aliorumque carminum libri tres, recognovit brevique adnotatione critica instruxit Iohannes Percival Postgate. Editio altera. Oxonii 1956.

- Valerius Maximus

Kempf = Valerius Maximus, Factorum et dictorum memorabilium libri novem cum incerti auctoris fragmento De praenominibus, recensuit et emendavit Carolus Kempfius. Berolini MDCCCLIV. Nachdruck der Ausgabe Berlin 1854. Hildesheim, New York 1976.

- Varro

Hooper-Ash: vide Cato.

Kent I-II = Varro, On the Latin Language, with an English Translation by Roland G.Kent. Cambridge, Massachusetts, London 1993.

Traglia = Opere di Marco Terenzio Varrone, a cura di Antonio Traglia. Torino, prima edizione 1974, ristampa 1979.

- Velleius Paterculus

Shipley = Velleius Paterculus, Compendium of Roman History, Res gestae Divi Augusti, with an English Translation by Frederick W. Shipley. London, Cambridge, Massachusetts 1967.

Woodman = Velleius Paterculus, The Tiberian Narrative (2.94-131), edited with an Introduction and Commentary by A.J.Woodman. Cambridge, London, New York, Melbourne 1977.

- Venantius Fortunatus

Reydellet = Venance Fortunat, Poèmes, tome I. Livres I-IV. Texte établi et traduit par Marc Reydellet. Paris 1994.

Tardi = Fortunat. Etude sur un dernier représentant de la poésie latine dans la Gaule Mérovingienne, par L'Abbé D. Tardi. Paris 1927.

- Vergilius

Carena = Opere di Publio Virgilio Marone, a cura di Carlo Carena. Torino 1971.

Forbiger I-III = P.Virgilii Maronis opera ad optimorum librorum fidem edidit, perpetua et aliorum et sua adnotatione illustravit dissertationem de Virgilii vita et carminibus atque indicem rerum locupletissimum adiecit Albertus Forbiger. I-III. Lipsiae 1852.

Galletier = (P.Vergilii Maronis) Epigrammata et Priapea. Edition critique et explicative par Edouard Galletier. Paris 1920.

Götte = Vergil, Aeneis, und die Vergil-Viten. Lateinisch-Deutsch in Zusammenarbeit mit Karl Bayer herausgegeben und übersetzt von Johannes Götte. Bamberg 1958.

Harrison = Vergil, Aeneid 10 with Introduction, Translation, and Commentary by S.J.Harrison. Clarendon Press, Oxford 1991.

Jackson Knight = Virgil, The Aeneid, translated to English prose with an introduction by W.F.Jackson Knight. London 1960.

Koch = G.A.Koch, Vollständiges Wörterbuch zu den Gedichten des P. Vergilius Maro. Hildesheim - New York 1972.

Mynors, Verg. Georg. = Virgil, Georgics. Edited with a Commentary by R.A.B.Mynors. Oxford 1990.

Norden = Eduard Norden, P.Vergilius Maro, Aeneis Buch VI. Vierte Auflage. Stuttgart 1957.

Onesti I-II = P.Vergili Maronis Aeneidos libri XII, praefata est, recognovit, apparatu critico instruxit, italice reddidit atque adnotavit Rosa Calzecchi Onesti. Milano 1962.

Page = The Aeneid of Virgil. Books VII-XII. Edited with Introduction and Notes by T.E.Page. London-New York 1964.

Sabbadini-Marchesi = Virgilio, Eneide, libro primo. Introduzione, commento e note di Remigio Sabbadini, revisione di Concetto Marchesi. Torino 1967.

Saint-Denis = Virgile, Géorgiques. Texte établi et traduit par E. Saint-Denis. Paris 1956.

Stampini I-II = Virgilio, Le Georgiche. Commento e note di Ettore Stampini. Torino, libro I 1957, libro II 1962.

Thomas I-II = Vergil, Georgics. Volume I-II. Edited by Richard F. Thomas. Cambridge University Press 1988.

Wetmore = Index verborum Vergilianus, herausgegeben und bearbeitet von Monroe Nichols Wetmore. Hildesheim, New York 1979.

Williams, Verg.Aen.3 = P.Vergili Maronis Aeneidos liber tertius. Edited with a Commentary by R.D.Williams. Oxford 1962.

Williams, Verg.Aen.7-12 = The Aeneid of Virgil, Books 7-12, Edited with Introduction and Notes by R.D.Williams. London 1973.

- Victor Vitensis

Halm = Victoris Vitensis Historia persecutionis Africanae provinciae sub Geiserico et Hunirico regibus Wandalorum. Recensuit Carolus Halm (Monumenta Germaniae historica, auct.ant.III:1), Berlin 1879.

Pitkäranta = Reijo Pitkäranta, Studien zum Latein des Victor Vitensis. Societas Scientiarum Fennica. Helsinki 1978.

- Vitruvius

Granger I-II = Vitruvius, On Architecture, edited from the Harleian Manuscript 2767 and translated into English by Frank Granger, in two volumes. Cambridge, Massachusetts, London 1983-1985.

Nohl = H.Nohl, Index Vitruvianus. Leipzig 1876.

C O N S P E C T U S M A T E R I A E

Pagina

1. P R A E F A T I O.....	1
2. D E A D N O T A T I O N I B U S G R A M M A T I C O R U M E T I N V E S T I G A T O R U M.....	4
2.1. QUID GRAMMATICI ANTIQUI DE ADVERBIIS PRONOMINALIBUS VI TRANSLATA USURPATIS ADNOTAVERINT.....	4
2.2. QUID EX ADNOTATIONIBUS GRAMMATICORUM ANTIQUORUM APPAREAT.....	6
2.3. DE RECENTIORUM GRAMMATICORUM ET INVESTIGATORUM ADNOTATIONIBUS.....	7
3. Q U O T E N D A T H A E C I N V E S T I G A T I O....	15
3.1. DE MATERIA TRACTANDA.....	15
3.2. QUAE SINT ADVERBIA PRONOMINALIA LOCALIA LATINA.....	16
3.2.1. ADVERBIA LOCALIA DEMONSTRATIVA.....	16
3.2.2. ADVERBIA LOCALIA RELATIVA & INTERROGATIVA & INDEFINITA.....	17
3.2.3. DE RARIORIBUS ADVERBIIS LOCALIBUS.....	18
3.3. DE ADVERBIIS LOCALIBUS IN SINGULA GENERA DIVIDENDIS.....	19
3.4. ADVERBIA PRONOMINALIA COMPOSITA.....	24
3.5. DE RATIONIBUS ET SUBSIDIIS IN HAC INVESTIGATIONE ADHIBITIS.....	24

4.	O B S E R V A T I O N E S G E N E R A L E S.....	28
4.1.	ADVERBIA ET CASUS NOMINUM.....	28
4.2.	LOCATIVUS ET ABLATIVUS.....	29
4.3.	INSTRUMENTALIS ET ABLATIVUS.....	32
4.4.	ABLATIVUS VIAE.....	35
4.5.	ABLATIVUS CAUSAE.....	41
4.6.	ACCUSATIVUS.....	43
4.7.	DATIVUS.....	48
4.8.	ELOCUTIONES PRAEPOSITIONALES ET POSTPOSITIONALES.....	55
4.9.	DE QUAESTIONUM 'UBI?' ET 'UNDE?' ET 'QUO?' CONFUSIONE....	60
4.10.	GENETIVUS PARTITIVUS AD ADVERBIUM LOCALE ACCEDENS.....	64
5.	D E A D V E R B I I S A D L O C A R E L A T I S.....	72
5.1.	LOCALITAS STRICTIOR ET LAXIOR.....	72
5.2.	DE ADVERBIIS AD LOCOS SCRIPTOS RELATIS.....	79
5.3.	UNDE - NON MODO 'EX QUO LOCO', SED ETIAM 'A QUO LOCO'....	86
5.4.	DE ADVERBIIS INESSIVIS ET ELATIVIS PROLATIVE POSITIS.....	89
6.	D E A D V E R B I I S A D R E S R E L A T I S.....	93
6.1.	RES - NEQUE LOCA NEQUE PERSONAE.....	93
6.2.	ADVERBIA INESSIVA & ADESSIVA.....	94

	Pagina
6.2.1. IBI, UBI, IBIDEM, ALIBI, NUSQUAM.....	94
6.2.2. HIC, ILLIC.....	97
6.2.3. ISTIC.....	100
6.2.4. UBIQUE, UBICUMQUE, UBIVIS, UTRUBIQUE.....	105
6.2.5. ADVERBIA TEMPORALITER POSITA.....	106
6.2.6. ADVERBIA INSTRUMENTALITER AUT MODALITER POSITA.....	114
6.3. ADVERBIA ELATIVA & ABLATIVA.....	116
6.3.1. ADVERBIA SPECIE LOCALITER AD RES RELATA.....	117
6.3.2. ADVERBIA TEMPORALITER POSITA.....	120
6.3.3. ADVERBIA PARTITIVE POSITA.....	127
6.3.4. ADVERBIA AD MATERIAM CONCRETAM RELATA.....	134
6.3.5. ADVERBIA AD ORIGINEM VEL CAUSAM RELATA.....	137
6.3.6. ADVERBIA AD ARGUMENTUM RELATA.....	147
6.3.7. ADVERBIA INSTRUMENTALITER POSITA.....	149
6.4. ADVERBIA ILLATIVA & ALLATIVA.....	156
6.4.1. QUO (USQUE) QUID PROCEDAT AUT PERDUCATUR.....	158
6.4.2. QUO QUIS DECURRAT AUT CONFUGIAT.....	162
6.4.3. QUO MENS INTENDATUR AUT INCLINET.....	165
6.4.4. QUO (QUORSUM) QUID PERTINEAT VEL SPECTET.....	168
6.4.5. QUO QUID ACCEDAT VEL ADDATUR.....	173
6.4.6. QUO QUID FIAT SIVE AD QUID ASSEQUENDUM.....	184
A D N O T A T I O N E S.....	191
1. PRAEFATIO.....	191
2. DE ADNOTATIONIBUS GRAMMATICORUM ET INVESTIGATORUM.....	191
3. QUO TENDAT HAEC INVESTIGATIO.....	194
4. OBSERVATIONES GENERALES.....	197
5. DE ADVERBIIS AD LOCA RELATIS.....	210
6. DE ADVERBIIS AD RES RELATIS.....	215

	Pagina
S U M M A R I U M L A T I N U M.....	242
S U O M E N K I E L I N E N T I I V I S T E L M Ä.....	250
L I B R I A D H I B I T I.....	258
1. OPERA ET SCRIPTA GENERALIA, MAXIMAM PARTEM GRAMMATICALIA....	258
2. LEXICA ET VOCABULARIA ET GLOSSARIA GENERALIA.....	260
3. EDITIONES ET COMMENTARII ET LEXICA SINGULORUM SCRIPTORUM ANTIQUORUM.....	262
C O N S P E C T U S M A T E R I A E.....	283